COLLATIONES BRUGENSES.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

—

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XVI

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
CB
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMXI

27249

v. 16
1911

Collationes Brugenses

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XV, pag. 687).

QUÆSTIO VII.

PROPRIA INDOLES INHABITATIONIS DIVINÆ IN JUSTO, ET MODUS SPECIALIS INHABITATIONIS AC UNIONIS PERSONALIS SPIRITUS SANCTI CUM PERSONA JUSTI AMPLIUS DECLARANTUR.

49. Prælucente doctrina jam exposita sacrarum Litterarum sanctorumque Patrum, nunc ulterius inquirimus, admoto quoque lumine explicationum posteriorum Ecclesiæ Doctorum et theologorum, quomodo in ordine præsenti supernaturali Deus non tantummodo per essentiam, potentiam et præsentiam inest in justo, ut in omnibus rebus, nec solummodo ut inest creaturis intellectualibus in ordine naturæ, quemadmodum notavimus supra (1), sed quomodo merito dicatur *inhabitare* in justo tamquam in templo suo, speciali scilicet et non communi modo.

Responsum huic quæsito simul demonstrabit hanc specialem inhabitationem implicare novum quemdam modum et novum respectum, personæ Spiritui sancto proprios, secundum quos personaliter unitur Spiritus sanctus personæ justi, ita ut per Spiritum et in Spiritu Pater quoque et Filius in justo habitent. Nam utrumque

(1) Num. 31 et 32.

habemus ex doctrina Scripturæ et Patrum exposita, saltem quod factum attinet: scilicet, et tres divinas Personas inhabitare in sanctis, et personalem quamdam esse propriamque Spiritus sancti unionem cum justis.

50. Itaque, in ordine naturæ Deus inest creaturis intellectualibus per providentiam naturalem, et per operationem eisdem adaptatam, adeoque et per substantiam, idque dupliciter: tum quatenus operatio divina a divina substantia non distinguitur nisi ratione; tum objective, quatenus sese cognoscibilem et amabilem viribus naturæ exhibet ut omnium rerum principium et finem, speciatimque finem naturarum intellectualium.

In ordine vero supernaturali, præsens est Deus creaturis intellectu præditis per providentiam supernaturalem et in iisdem operatur supernaturaliter. Hic tamen modus non videtur ex parte Dei specifice diversus a modo quo inest in ordine naturæ, et nondum sufficit ut inhabitare in homine dicatur.

Præterea objective non solum ut causa rerum sese exhibet cognoscibilem viribus naturæ, sed ea cognitione est cognitus qua se ipse revelat supernaturaliter, id est, fide qua creditur esse, non solum ut ex operibus creationis manifestatur, sed ut in se est, unus et trinus Deus. Ast neque hoc sufficit ad inhabitationem divinam. Etenim, est quidem talis cognitio participatio quædam divinæ scientiæ, et ex parte subjecti credentis aliqualis unio cum Deo; eo vero quod fides est, nec immediate nec directe attingit objectum, importatque distantiam ab objecto, quod non contingitur in se. Dein fides et spes remanere possunt in peccatore, quo statim constat ratione illorum habituum saltem informium seu non formatorum charitate, hominem dici non posse templum Dei.

51. Sed et objective se exhibet Deus, in ordine supernaturali, ut amabilem amore charitatis seu amicitiæ. Amor autem, ut ait S. Thomas (1), est « magis

(1) 1. 2, q. XXVIII, a. 1, ad 3m.

unitivus quam cognitio » (1). Et fides ostendit quidem objectum charitati, cum non cogniti esse non possit amor; non vero moderatur (2) charitatem, quæ excedit cognitionem, ita ut sint fideles qui parum noscunt sed multum diligunt Deum. Charitas igitur attingit ipsum Deum ut in se est; ipsaque semper manet, dum fides et spes evacuabuntur; atque amat Deum non solummodo ut supremum Dominum et summum bonum naturæ, sed ut amicum et objectum beatitudinis, nempe perfectæ seu supernaturalis, et cujus bonum nostrum bonum est, utpote inter amicos commune totum. Videlicet gratia sanctificans et ab ea inseparabilis charitas ea sunt bona divina, a Deo producta et animæ justi infusa, quæ fundant unionem veræ amicitiæ cum Deo; estque gratia semen gloriæ seu fruitionis perfectæ, continens in se germen fruitionis qua divina Trinitate per visionem et amorem perfectum fruemur. Proinde gratia cum annexis habitibus et donis est manifesto ultima dispositio ad fruendum, tum inchoative in hac vita divina persona, tum perfecte in altera vita beatitudine ipsius sanctissimæ Trinitatis.

52. Dicimus: ultimam seu proximam dispositionem ad fruendum, non vero fruitionem. Etenim fruitio omnino requirit hæc duo: ex parte subjecti fruentis, operationem, nempe in casu cognitionem supernaturalem et amorem charitatis; ex parte objecti fruibilis, realem et substantialem ejus præsentiam seu quamdam ejus possessionem. Adeoque gratia creata, quæ inhæret animæ estque principium vitæ et operationis, subjectum disponit atque capax efficit ad fruendum divina persona; sed præterea requiritur Gratiæ increatæ præsentia substantialis seu inhabitatio, quæ non consistit formaliter in gratia creata, sed in applicatione personæ divinæ ipsi personæ operanti, seu in unione personæ divinæ,

---

(1) De sensu hujus dicti cf. Billuart, in 1. 2, q. 2 et sqq., diss II.

(2) S. Thomas, ibid., q. LXVI, a. 6, ad 1m.

tamquam objecti fruibilis, cum persona humana fruente; et hæc unio non est solummodo cum anima, sed cum persona operante secundum se tota, quæ conjunctione cum persona divina tota dignificatur consors facta naturæ divinæ et filius Dei adoptivus: neque enim anima sola est adoptivus sed homo. In ipso textu sacræ Scripturæ ubi expressa mentio fit consortii divinæ naturæ, scilicet *2 Petri,* I, 4, gratia creata non ipsum consortium naturæ divinæ, sed per quam efficiamur seu fiamus consortes divinæ naturæ dicitur. Itaque ex hoc consortio et filiatione adoptiva fit ut operatio nostra, qua Deum attingimus, non sit solummodo cognitio et amor supernaturalis amici ad amicum, sed filii adoptivi ad patrem, eumque præsentem et possessum; sicque charitas nostra non tantum attingit Deum ut in se est, sed et præsentem et habitum, adeoque vera fruitio est Dei, quamquam inchoativa in hac vita.

53. Quod vera fruitio sit, ast inchoativa ac imperfecta, ulteriorem aliquam declarationem exposcit. In quavis delectatione seu fruitione fruimur non tantum objecto fruibili, sed etiam ipsa actione seu operatione nostra qua fruimur objecto. Sic, in casu, fruimur vere cognitione nostra Dei nostroque amore Dei, et quo magis diligimus Deum, eo plus ejus cognitione et amore delectamur. Ex parte vero objecti quo fruimur, scilicet Dei, vera quoque fruitio est quia Deum habemus; inchoativa tamen et imperfecta, quia, licet Deus sit substantialiter in nobis, nondum tamen perfecta cognitione seu visione habetur. Novimus eum præsentem, quamquam non visum, et quodammodo experimur, quoniam cognitio est non mere theoretica et insipida, ut ita dicam, sed amorosa cum affectu delectabili. Et hic limen contingimus theologiæ mysticæ et divinæ contemplationis, ad quam conscendere possunt justi omnes, inter quos dein Dei est cum sibi placuerit, altius donis supernaturalibus gratis datis aliquos evehere.

Neque obstat neminem, docente Concilio Triden-

tino (1), certitudine fidei scire posse se gratiam Dei esse consecutum; nam ad prædictam fruitionem sufficit certitudinem habere ex fide Deum vere inhabitare in justis generatim, et certitudine humana morali se justum esse nosse et confidere; quæ quidem certitudo moralis eo ipso facile aderit, quod homo, nullius peccati gravis sibi conscius, se amore in Deum affici sentiat, ita ut cuncta relinquere paratus sit potius quam Deum offendat; quod libenter verba Dei audiat, nec ad audiendum tantum sed et faciendum; quodque tandem anhelans divinæ cognitioni et amori gustet divina sapientia quam suavis est Dominus.

54. Ex disputatis sequitur unionem justi cum Deo, qua Deum in se inhabitantem habet justus tamquam objectum fruitionis inchoatæ, non habere ut causam formalem gratiam creatam, quæ solam animam afficit et ad operationem fruitionis tamquam causa dispositiva spectat, sed illam unionem formaliter esse in hoc quod ei applicetur divina persona, quæ applicatio totam personam justi afficit, eumque consortem divinæ naturæ filiumque adoptivum constituit, et conjungit cum objecto fruibili, Deo. Ast inde nondum soluta est integra quæstio inhabitationis et unionis Dei cum justo. Restat enim declarandum quomodo unio ista sit Spiritus sancti non per appropriationem tantum, sed propria et personalis, ut supra e fontibus fidei deduximus. Neque enim ex eo quod consortes dicamur et simus divinæ naturæ, sequitur unionem istam esse cum divina natura et tribus personis communem, cum, si Spiritus sancti propria est, nihilominus in persona et per personam Spiritus sancti consortes divinæ naturæ æque efficimur. Pariter quod Pater et Filius nos inhabitant, et quod objectum fruitionis, tum inchoativæ nunc, tum consummatæ in termino beato, sit ipse Deus unus et trinus, nullatenus importat, ut quidam objiciunt, unio-

(1) Sess. VI *de Justif.*, c. 9.

nem justi in hac vita non esse cum Spiritu sancto personaliter. Etenim, si Spiritui sancto propria est illa unio, Pater tamen et Filius quoque inhabitant justum in Spiritu sancto et per ipsum, cum indivisæ sint tres divinæ Trinitatis personæ; et proinde objectum etiam fruitionis non erit solus Spiritus sanctus sed tota individua Trinitas. Sic, respiciendo ad Verbum incarnatum, Pater et Spiritus sanctus, propter unitatem divinæ naturæ, sunt in Christo; sed non, ut Christus, sunt homo; et similiter Pater et Filius sunt in Spiritu sancto inhabitante justum, adeoque et ipsi inhabitant, sed non, ut Spiritus sanctus, sunt ita uniti justo, ut istud in eodem justo unitum esse sit causa formalis deiformitatis et adoptionis; neque tamen Spiritus sanctus est homo, cum non sit unitus substantialiter seu hypostatice.

55. Igitur quod merito credamus S. Scripturam, ut eam supra exposuimus, unionem quamdam personalem Spiritus sancti cum justo insinuare, quodque ita sacrum textum merito intelligant Patres supra citati, omnino congruum esse ostendi potest simulque nihil obstare quin ita sit.

Agitur hic de unione, non animæ tantum per gratiam creatam seu per dona quævis producta et eidem infusa a Deo, in ordine ad operationem, ut sæpius demonstravimus, nec naturæ humanæ, sed personæ humanæ cum divinitate, qua hæc substantialiter inhabitat justum secundum se totum. Jamvero si alter terminus unionis est *persona* humana, vix intelligitur quomodo esse possit alter terminus *natura* divina ut est tribus divinis personis communis: etenim non potest, ut patet, personalitas humana terminare naturam divinam, quemadmodum in unione hypostatica personalitas Verbi incarnati naturam humanam terminat; si vero natura divina hic consideratur ut personis terminata, unio Dei cum justo alia jam concipi nequit quam personalis unicuique vel alicui personæ divinæ. Quod ut intelligatur sufficit advertere discrimen quod intercedit inter *operationem* Dei ad

extra et ejusdem *unionem* cum creatura. In operatione ad extra, adeoque et in uniendo personam divinam cum justo, quæ est actio ad extra, operantur quidem personæ divinæ, cum actiones sint suppositorum ; siquidem vero principium proximum operationum est natura, communi actione ad extra agunt divinæ personæ. Atvero in hoc quod est unitum esse cum persona humana seu quod spectat terminum unionis cum justo, non natura divina nec personæ ut unius naturæ communis sunt considerantur, sed formaliter ut personæ, ut terminant divinam naturam, sicuti in omni relatione ad extra quæ non sit operatio; sic in Verbo relatio ad naturam humanam assumptam supponit personam Verbi ut talem, terminantem naturam divinam; nec ratione divinæ naturæ sed ratione personæ Verbi hæc natura humana est natura Verbi. Neque igitur objiciatur personis divinis omnia esse communia, ubi non obviat relationis oppositio, cum idem æque objici posset incarnationi Verbi: ast, in hâc, sicut in unione justi cum Spiritu sancto, supponitur, ut diximus, persona relationis oppositione constituta, et de ejusdem sic constitutæ relatione quadam ad extra agitur.

56. At præterea, congruum omnino est ut hujusmodi inchoativa unio justi fiat cum una divina persona, eaque Spiritus sancti: quia nempe Spiritus sanctus est tertia persona, procedens a Patre Filioque, ut Amor substantialis terminativus et Donum utriusque.

Haud raro Patres dicunt Spiritum sanctum « complere Trinitatem », ut Cyrillus Alex. (1); « absque Spiritu sancto imperfectum esse mysterium S. Trinitatis », quemadmodum loquitur Hieronymus (2), et rursum Cyrillus : « Necesse est, *ait* (3), Spiritum

---

(1) *Dial. 7 de Trinit.*, p. 676. Item Basilius, *De Spir. s.*, c. XVIII, n. 45: « Unus autem est et Spiritus sanctus.. per se complens glorificandam super omnia ac beatam Trinitatem ».

(2) *Ad Hedib.* 9.

(3) *Thesaur.*, t. V, p. I, p. 358.

sanctum ex essentia Filii esse. Nam ut ex quo naturaliter existens et in creaturam ab ipso missus, renovationem operatur, plenitudo ac complementum existens (συμπλήρωμα) sanctæ Trinitatis. » Ad hæc verba notat Thomassinus (1): « Affirmat Cyrillus Spiritum sanctum ad innovationem et sanctificationem emitti naturæ intellectualis : ut qui plenitudo sit et complementum SS. Trinitatis. In seipsa enim fluit et ad seipsam refluit plenitudo sapientiæ et charitatis, quæ substantia ipsa et natura deitatis est; nec præterea superest nisi ut in creaturas se diffundat, in quas ideo mittitur Spiritus sanctus tamquam complementum S. Trinitatis. »

Inde jam intelligere est quomodo Spiritui sancto ut tertiæ SS. Trinitatis personæ personalis unio cum justo congruat; ut autem hujusmodi congruentia magis eluceat, considerandum est in re idem esse quod Spiritus sanctus est tertia Trinitatis persona, et quod a Patre Filioque tamquam ab uno principio procedit, et quod procedit per voluntatem seu amorem tamquam terminus substantialis amoris mutui Patris et Filii, utque utriusque Donum, quod alio loco demonstravimus (2). Quo attento, huc spectant quæcumque supra disputavimus de proprietate Spiritus sancti qua donum est seu donabilis (3), et rursum qua vis sanctificatrix est et perfectiva, tribuens nempe applicatione suî seu unione secum, illud in quo est perfectio seu fastigium (τελείωσις) sanctitatis (4). Quibus rite attentis, nemo non habebit ut serio probabile inhabitationem seu unionem esse quamdam propriam Spiritus sancti, per quem et in quo Spiritu simul et Pater et Filius mansionem faciant apud justum.

57. Addamus et hanc unionem specialem, cum sit fruitio divinæ personæ, et per hanc totius S. Trinitatis,

(1) *De Trinit.*, c. XIX, n. IV.
(2) *Medit. theol.*, p. I, n. 138.
(3) V. supra, n. 35 et 36.
(4) Supra, n. 38 et sqq.

inchoativa tantum in hac vita, sub hoc quoque respectu merito censeri propriam solius Spiritus sancti, a quo, tamquam a complemento SS. Trinitatis incipiat fruitio, quæ in altera vita perficiatur pertingendo ad similem unionem personalem cum Verbo, cujus unionis dispositio simul et effectus est lumen gloriæ; sicut gratia sanctificans, semen gloriæ, dispositio est ad unionem cum Spiritu sancto, simul et vinculum quo eidem Spiritui unimur. Sed de unione sanctorum cum Deo in termino beato sermo erit in sequentibus.

58. Unum restat præstandum, nempe ut demonstremus nihil ex dogmate catholico obstare doctrinæ a nobis propositæ.

Et primo quidem, quod hæc unio Spiritui sancto propria cum persona justi non sit hypostatica, ut est unio Verbi cum natura humana, nimis evidens est quam ut diutius rei immoremur. Personæ enim cum persona unio nullatenus hypostatica esse potest. Cæterum discrimen unionem in Christo hypostaticam inter et hanc, qua de agimus, dilucide proponit et ex Patrum doctrina declarat Petavius, ad quem remittimus, *De Trinit.*, l. VIII, c. VII, n. XII-XIV, coll. c. V, n. XII, quæ ut heic inserta habeantur. At, secundo, opponunt nobis quidam aliam relationem seu alium respectum ad extra personæ divinæ esse non posse quam eum qui fundatur in functione, ut ajunt, hypostatica. Atqui alia functio hypostatica nobis revelata non est nec intelligi potest, nisi hypostaticæ virtutis velut extensio ad sustentandam naturam creatam, qualis est unio hypostatica in Verbo incarnato.

Ad hæc respondemus aliam quidem revelatam nobis non esse functionem hypostaticam quam Verbi, intelligendo nempe unionem *physicam* personæ divinæ cum natura humana assumpta, et forte nec aliam in ordine eodem physico intelligi posse. Sed hic agitur de unione aliqua reali quidem, ast ordinis intentionalis seu moralis, qua persona divina, quæ realiter distincta est ab

aliis personis divinis, novam quamdam, suî applicatione personæ justi, dat personalitatem moralem, seu personam humanam dignificat divinitus, ita ut hæc induat personam filii Dei adoptivi, consorsque fiat eo ipso divinæ naturæ, atque, cum actiones sint suppositi, actionibus ejusdem personæ specialem divinamque quodammodo addat dignitatem. Sicuti, v. g. persona humana dignitate sacerdotali seu episcopali aut pontificia insignita induit novam personam moralem, realem ast ordinis intentionalis, cujus actio quoque jam supra actiones suppositi mere humani dignificatur. In hoc ergo respectu ad extra personæ divinæ proprio, siquidem realiter distincta est persona divina ab aliis et non agitur de operatione ad extra, nihil reperitur quod repugnet alicui dogmati et rite intelligi nequeat. Hæc præ oculis habuisse videnter Patres supra citati (1) præprimis S. Cyrillus Alexandrinus; apertius adhuc Zacharias Mitylenus, cum ait: Spiritus vero sanctus est... quod illorum (justorum) hypostasim complet ac perficit. Itemque S. Irenæus, cum in ordine supernaturali: hominem perfectum constare, ait, corpore seu plasmate, ut libenter loqui solet, anima et Spiritu (*C. hæreses*, l. V, c. 9, n. 1). Rursum (c. VI *ibid.*): « Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei, et animas et corpora sine querela servaverint ». Et eod. cap. VI: « Neque enim plasmatio carnis secundum se homo perfectus est, sed corpus hominis et pars hominis. Neque enim et anima ipsa secundum se homo, sed anima hominis et pars hominis. Neque Spiritus homo, Spiritus enim et non homo vocatur ». De quibus, ne latius excurramus, vide D. Massueti, *diss. III de Irenæi doctrina*, art. IX in fine (2).

59. Ex his deducimur ad verbulum dicendum de modo loquendi; neminem enim fugit quanti momenti

(1) Num. 41.
(2) Apud Migne, Patrol. græca, tom. VII.

sit in rebus dogmaticis, præsertim vero quæ ad altissima mysteria SS. Trinitatis divinæque gratiæ spectant (1), accurate et caute loqui, ne ex licentia verborum consequatur ut impia eorum quæ verbis significantur gignatur opinio, quemadmodum ait Augustinus (2).

Itaque *præsentia* Dei Spiritusque sancti in justis dici potest et debet *substantialis*, quoniam substantialiter seu ipsa substantia sua specialiter adest justis Spiritus sanctus et per ipsum inque ipso Pater et Filius, adeoque et *vera* ac *realis* dicenda est inhabitatio Dei et Spiritus sancti, eatenusque substantialis dici potest quatenus substantialiter inest Deus per Spiritum sanctum. Quatenus tamen vox « inhabitatio » unionem quamdam insinuat, melius realem dixeris quam substantialem, ut statim patebit.

Unio, in nostra opinione, est personæ justi cum persona Spiritus sancti. Cum autem vox « unio » non tantum duos terminos unitos dicat sed et modum quo uniuntur, nequaquam hic dici potest substantialis : quamquam enim duo termini substantiæ sunt, nullatenus tamen uniuntur substantialiter ita ut unam substantiam efficiant, sive substantia sumatur pro natura, ut est unio corporis et animæ in homine, sive pro hypostasi seu persona, ut v. g. in unione Verbi cum natura humana. Si non est substantialis unio, ergo *accidentalis* sit et dicatur oportet. Quod quidem non impedit quin et *vera* ac *realis* sit. Nam « unitum esse » cum persona Spiritus sancti ponit aliquod accidens reale in altero termino, nempe in persona justi et duplex quidem : alterum ordinis intentionalis ac moralis, relationem nempe dependentiæ a persona divina, qua persona justi secundum se tota divinitus dignificatur et personam moralem, realem, induit filii adoptivi fitque consors divinæ naturæ in persona Spiritus sancti ; alterum ordinis physici, nempe

(1) Cf. *Medit. theol.*, p. I, n. 124.
(2) *De Civit. Dei*, l. X, c. XXIII.

gratiam sanctificantem cum annexis habitibus et donis, quæ simul, ut vidimus, est dispositio ad habendam personam divinam, simulque vinculum quo jam habita retinetur. Etenim, unio cum divina persona non est, sicut inter homines, mero affectu et habitu sine re; sed in altero termino, scilicet in justo, fit tota mutatio, eaque realis, tum in persona, ut supra, tum in natura per gratiam eique annexos habitus in ordine ad operationem supernaturalem.

Hæc unio proin dici etiam non debet physica, nisi sensu improprio ut significetur vera et realis esse, sed moralis est seu *ordinis moralis* quamquam supponens accidens physicum in anima, nempe gratiam creatam.

Hæc de modo loquendi sufficiant.

60. Itaque concludimus hisce nostram de habitatione Spiritus sancti in justis hac in vita disputationem. Confidimus autem opinionem nostram tamquam serio ac solide probabilem visam iri iis qui sedulo eamdem perpendere voluerint; neque ut certam eamdem propugnamus: quis enim certitudinem omnimodam in his gratiæ mysteriis attinget? Sed, ut Petavius loquitur (1) in simili quæstione: « Conjectura et interpretatione opus est, cauta illa quidem et circumspecta, ne aut anguste nimium de tanto illo beneficio sentiamus, aut ultra modum illud efferamus. »

Neque soli sumus, cum theologi sane insignes simili modo senserint, inter quos Petavius, Lessius, Lud. Thomassinus, Hürter, Beelen, Scheeben, multique alii, etsi propriam mentem aperire voluerimus, nulli eorum simpliciter adhærentes, sed declinantes potius constanter ab iis quæ illis auctoribus merito opponuntur, ut attente legenti tum horum tum nostras explicationes patebit. Porro, nostram sententiam nullam censuram mereri firmiter credimus, quam durius quidam quam par est erga Petavium, Lessium, aliosve exercent, eo

(1) *De Trin.*, l. VIII, c. VI, n. VI.

vel minus quod ea vitavimus incommoda quæ istorum expositioni inesse videri possunt.

Gressum nunc facimus ad occultiora adhuc mysteria de unione cum Deo beatorum in patria.

(Continuabitur).

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Explica Philem. v. 15-20.*

R. In hoc loco S. Paulus amicum suum Philemonem inducit ut Onesimo, servo fugitivo redeunti, culpam ignoscat, debitum condonet, adeoque eum benigne suscipiat (cf. *Collat. Brugen.*, t XV, p. 688 ss.). Mira eloquentia et solers Pauli charitas tum in integro epistolio, tum maxime in subjectis versibus egregie elucent: vix unum in Epistola reperies verbum quod Philemonis animum ad misericordiam Onesimo faciendam non inducat (1).

15. *Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut æternum illum reciperes.* Rationem dat *(enim)* ob quam Philemon bonum opus erga Onesimum faciendum (v. 14) præstare debeat: *forsitan* (nam occulta sunt Dei judicia, et temerarium est (2) de certo pronuntiare) *ideo a te* (3) separatus est (ἐχωρίσθη: non dicit aufugit) *ad* breve tempus, *ut* a me converteretur ad Christum et sic *illum reciperes* ut tuum (ἀπέχῃς) in *æternum*, non tantùm in hac vita, sed et in futura, nempe in unione christianæ charitatis, quæ non (ut servitus) morte finitur, sed de se perpetuo durat.

---

(1) De præclara scribendi ratione ac miro compositionis artificio cf. Van Steenkiste, *Commentarius in Epistolas S. Pauli*, Brugis, 1899, t. II, p. 448 ss.; J.-B. Lightfoot, *St. Paul's Epistles to the Colossians and to Philemon*, London, 1892; H. C. G. Moule, *The Epistles to the Colossians and to Philemon*, Cambridge, 1902, p. 148 ss.; R. D. Shaw, *The Pauline Epistles*, Edinburgh, 1904, p. 297 ss.

(2) Præterea, ut notat Van Steenkiste, *o. c.*, p. 429, absoluta affirmatio Philemoni ingrata fuisset, quasi vero Onesimus, si apud Philemonem mansisset, non potuisset ad fidem converti.

(3) Verba *a te* in textu græco non exprimuntur, et facile rationem suspicamur ob quam scriptor verba illa non expresserit.

16. *Non jam ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi: quanto autem magis tibi et in carne et in Domino.* — Ut illum reciperes inquam nullo tempore, ne morte quidem a te separandum, *non jam* considerandum (1) *ut servum*, *sed* plus quam servum (ὑπερ δούλον), i. e. ut *fratrem* christianum dilectum. Etenim dilectus frater est omnibus christianis, et *maxime mihi*, quem Christo genui in vinculis (v. 10, 12): *quanto autem magis adhuc tibi*, quod duplicem tecum habeat conjunctionem, temporalem tanquam servus, et spiritualem tanquam christianus.

17. *Si ergo habes me socium* (seu ejusdem fidei et charitatis consortem, tibique in Christo unitum et amicum), *suscipe illum sicut me*, quia eamdem mecum fidem habet et gratiam, mihique in Christo conjunctissimus est. Recipe ergo illum in domum, recipe in animam: sicut me, id est, quod illi feceris, mihi feceris. Supra vocavit filium (v. 10), fratrem (v. 17), sua viscera (v. 12, 20), nunc alterum se (2).

---

(1) Non hoc sibi vult, Onesimum per conversionem suam ad Christum fuisse a servitute emancipatum, aut strictum jus acquisivisse ut manumitteretur, sed eum coram Deo et in Ecclesia habendum esse tanquam fratrem, utpote in Baptismo christiano factum — eodem titulo ac herum suum — filium Dei adoptivum, utpote a Christo redemptum. (Cf. *I Cor.* **7**, 22-23; *Gal.* **3**. 28: Non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu). Ex hoc fundamentali principio pedetentim orta est servorum emancipatio. De modo quo Apostoli servitutem dijudicaverint ejusque abusus extirpare conati sint, necnon de prudenti œconomia quà in Ecclesia pagana servitus sensim sine sensu abolita fuerit, cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 699 ss., et opusculum nostrum: *De Bijbel, de katholieke Kerken de Slavernij* (Geloofsonderricht, Reeks B, n. 1), p. 22 ss.; M. R. Vincent, *The Epistles to the Philippians and to Philemon*, Edinburgh, 1902, p. 165 ss.; R. D. Shaw, *The Pauline Epistles*, Edinburgh, 1904, p. 313 ss.; Van Steenkiste, *o. c.*, p. 461 s.; Belser, *Einleitung in das Neue Testament*, Freiburg i. B., 1905, p. 524. Uti apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 690, ostendimus, S. Paulus indirecte liberationem Onesimi postulat: verbum manumissionis non pronuntiat, verùm in primoribus ejus labiis tremula vox illa pendere videtur.

(2) Ad rem notat Van Steenkiste, *l. c.*: « Quæ dicit Apostolus v. 16 valde præclara sunt, atque omni humana philosophia illius temporis

18. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet* (ita demum negotium maxime molestum solerter attingit, sc. furtum vel saltem nocumentum ab Onesimo Philemoni illatum): *hoc mihi imputa* (1): in me transcribe, meisque rationibus imputa, pro illo sponsorem me facio (gall.: *passe-le à mon compte*).

— Non tantum Paulus debitum Onesimi in se suscipit, sed chirographo se ad debiti solutionem obstringit (v. 19[a]), et præterea jocatione civilissima et acutissima innuit Philemonem ipsi multo magis esse debitorem, ita ut amico suo magis præstet solutionem debiti ab Onesimo contracti non exigere:

19. *Ego Paulus scripsi mea manu* (et trado tibi hoc chirographum meum, sc. has litteras propria mea manu (2) scriptas): *ego reddam* (cum emphasi ἐγὼ ἀποτίσω), rependam quod Onesimus tibi debet: *ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes*, sc. sileo quod

---

admodum excellentiora. Ea autem non satis nos commovent, quia non satis attendimus ad vilissimam miserrimamque servorum conditionem apud Græcos et Romanos veteres ». Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 690 ss.; opusculum nostrum cit. *De Bijbel, de katholieke Kerk en de Slavernij*, p. 4 ss.

(1) Rite advertit Van Steenkiste, *l. c.*; « Poterat sane Philemon Pauli petitioni respondere, se paratum quidem esse ad bene excipiendum Onesimum, eique condonare velle fugæ culpam; verum æquum et justum esse, ut servus ille vicissim domino reddat quod abstulit, vel compenset quod nocuit. Hanc autem difficultatem Apostolus sane præoccupasset, si dixisset bonam esse Onesimo voluntatem debito suo satisfaciendi, sed prorsus ei deficere facultates pecuniarias: neminem porro ad restitutionem impossibilem obligari. At vero cum solertia longe majore respondet, quando se sponsorem interponit, sermone utens qui attico sale et jucunda quadam jocatione est conditus ».

(2) S. Paulus, juxta communem antiquorum morem, ordinarie amanuensi epistolas suas dictabat: ita epistolam ad Romanos dictavit Tertio (*Rom.* **16**, 22); ordinarie ipse propria manu verba quædam in signum authentiæ addebat (*Col.* **4**, 18). Hic certò scripsit verba: « *Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam* ». Utrum integram Epistolam, cæterum brevissimam, scripserit haud certo scimus. Id tamen aliunde probabile videtur, cùm fuisset res proculdubio gratissima Philemoni, nec minus honorifica. Cf. Ceulemans, *Commentarius in Epistolas S. Pauli*, t. II, Mechliniæ, 1902, p. 228; Prat, *La Théologie de S. Paul*, Paris, 1908, p. 94.

dicere possem : non solùm (1) mihi debes tantum quantum tibi debet Onesimus, sed et præterea temetipsum totum, quippe meâ operâ ad salutem evangelicam adductum.

20. *Ita* (utique) *frater*, fac quod rogo (v. 17), *ego te fruar in Domino :* ego hunc jucundum fructum christianum a te tanquam Onesimo meo (ἐγώ σου ὀναίμην) referre possim (2), ut obtineam quod a te rogo pro Onesimo : *Refice* (ἀναπαυσόν : requiescere facias) *viscera mea* (cor meum pro Onesimo anxium et sollicitum) *in Domino* (gr. ἐν Χριστῷ) i. e. affectu vere christiano (3).

Quis non moveretur miseratione, cum recogitaret intimam et summam sollicitudinem hominis ætate provecti, vinculis onusti, suppliciter deprecantis, imo vero amici singularis, seu potius patris amantissimi, Christi Apostoli : « Quem lapidem ista non emollirent » ait merito S. Chrysostomus (4).

A. Camerlynck.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas : Anima humana* naturaliter exigit *ut sit perfecte beata; atqui, ut sit perfecte beata, exigit ut iterum uniatur corpori, post mortem : quia secus nequit complete exercere propriam activitatem, nominatim sensibilem; ergo resurrectio est naturalis.*

R. *Conc. Maj.*

Nego min. — Rationem additam distinguo : secus nequit anima complete exercere propriam activitatem : h. e. activitatem *propriam huic statui* in quo versatur

---

(1) Gr. ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσοφείλεις litt.: quod etiam teipsum mihi insuper debes

(2) Est elegans ac solers paronomasia cum nomine Ὀνήσιμος = *utilis*.

(3) De formula « in Christo » apud S. Paulum lege egregium opus jam laudatum F. Prat, p. 434 ss.

(4) Cf. Van Steenkiste, *o. c.*, p. 465 s.

anima separata, *nego;* h. e. activitatem *propriam alteri statui,* in quo jam non versatur anima separata, *conc.*

Sub data distinctione, nego consequentiam et consequens.

Explicatur. 1. Anima humana, separata a corpore seu a materia, *naturaliter* omnino permanet in existendo: quia est essentialiter immaterialis seu spiritualis, proinde forma per se subsistens, et consequenter naturâ suâ incorruptibilis (1).

In hoc statu separationis, debet anima etiam *operari* posse: est enim substantia (licet incompleta) *vivens,* et proinde immanentem debet habere sibi convenientem operationem: vivere enim viventibus est esse; si igitur anima naturaliter pergit existere post ejusdem separationem a corpore, habere debet in hoc statu aliquam sibi connaturalem operationem immanentem.

Hæc porro connaturalis operatio est tum *intellectus,* tum *voluntatis:* etenim intelligere est operatio maxime propria formæ immateriali, et ad intelligere necessario consequitur velle. Cæteroquin anima humana conservat, in statu separationis, habitus acquisitos scientiæ et deinde alium cognoscendi modum habet, nempe *per species intelligibiles a Deo inditas:* hic modus cognoscendi correspondet proprie statui separationis (2). In statu separationis a corpore, in ordine naturæ puræ, anima humana obtinuisset essentialem beatitudinem in cognoscendo *Deum,* in obtinendo circa Deum cognitionem accommodatam conditioni intellectus animæ separatæ et complentem ejus capacitatem (3).

Ex dictis igitur patet animæ separatæ competere aliquam activitatem, quæ propria est statui separationis et qua anima posset esse naturaliter beata.

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii 1900, n. 406 ss.

(2) De modo quo anima cognoscit post separationem ejus a corpore, cf. S. Thomas, 1, q. 89; Lépicier, *Dell' anima separata dal corpo,* Roma, 1901, p. 95 ss.; Chollet, *La psychologie des élus,* Paris, 1900, p. 33 ss.

(3) Cf. Lécipier, *o. c.*, p. 149 ss.

2° In statu autem separationis, nulla est *sensibilis activitas* (sive cognitio, sive appetitus) quæ animæ separatæ sit naturalis. Etenim facultates operativæ sensitivæ (et vegetativæ) sunt facultates, non quidem soliùs animæ, sed *compositi*, nempe compositi ex materia et forma (1); dissoluto autem composito, facultates operativæ sensitivæ simpliciter pereunt, et consequenter nullius operationis vitæ sensitivæ (et vegetativæ) capax est anima separata. Ergo activitas sensitiva non jam pertinet ad activitatem propriam animæ separatæ, nec exigitur ad ejusdem propriam felicitatem.

Recte quidem dicitur anima rationalis, utpote essentialiter forma compositi humani, esse *virtualiter* sensitiva (et vegetativa) et potentiæ operativæ (et vegetativæ) dicuntur *radicari* in ipsa anima rationali; etiam in anima a corpore separata remanent *radicitus* seu *virtualiter* prædictæ potentiæ: hoc significat quod anima semper remanet essentialiter ordinata ad materiam et capax constituendi in materia, cui uniretur, facultates operativas sensitivas: sed licet anima, in statu separationis, sit virtualiter sensitiva, nullam tamen habet formaliter potentiam operandi sensitivam, nec ullius actus sensationis est capax.

Nota. Bene distinguamus inter appetitum *innatum* et appetitum *elicitum* (2). Innatus appetitus nihil aliud est quam ipsa *entitativa proportio* seu ordinatio naturæ ad proprium bonum, est ordo transcendentalis potentiæ ad actum et vice versa. In anima humana habetur appetitus innatus ad materiam, nempe transcendentalis relatio ad materiam: sed hic appetitus non est realiter distinctus ab essentia animæ, nec importat aliquem physicum actum seu habitum distinctum ab essentia animæ: proinde anima a corpore separata, ex hac separatione, nullum incommodum, aut dolorem aut tristitiam percipit.

---

(1) Cf S Thomas, 1, q. 87, a. 8.

(2) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 287; *Collat. Brug.*, t. XIV, p 651, 678.

In statu naturæ puræ, anima humana separata a corpore non haberet *desiderium* (appetitum elicitum) secundæ unionis ad materiam : nam anima nec cogitaret de resurrectione, vel si de hac re, ut possibili cogitaret, hanc cognosceret ut ipsi minime debitam et gauderet de separatione a corpore propter immunitatem a multis doloribus ac tristitiis quæ ex unione cum corpore connaturaliter sequuntur.

J. Van der Meersch.

III

Q. Quid efficit, juxta disciplinam Ecclesiæ Latinæ, susceptio Ordinis sacri, *tum respectu matrimonii prævie contracti, tum respectu matrimonii deinceps contrahendi? Expone undenam iste effectus juridicus derivetur.*

R. I. **Jus vigens.**

A. Ordo sacer (subdiaconatus, diaconatus, sacerdotium), **matrimonio succedens** (1), non dissolvit matrimonium (2), sed reddit præcedentis matrimonii *usum* illicitum (3). Efficit etiam ut proles ex hoc commercio illicito forte nascendæ censeantur illegitimæ ac sacrilegæ (4).

---

(1) Potest a conjuge, vivente comparte, Ordo suscipi in duobus casibus: a/ in casu separationis a cohabitatione perpetuæ, aut judicialiter concessæ, puta ob apostasiam compartis, aut privatim institutæ ob causam adulterii certi ac notorii; b/ in casu quo compars consentiat et ipsa Religionem stricte dictam profiteatur, vel saltem, in hoc dispensante Ecclesia, votum castitatis extra Religionem emittat.

(2) Proprium est exclusive voti solemnis castitatis quod matrimonium non consummatum dissolvat.

(3) Ita c. 1, Dist. XXXII: « Nec subdiaconis quidem connubium carnale conceditur, ut et qui habent sint tanquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares.

(4) Ita canon 14, X, I, 17, ubi de filiis presbyterorum, inscribitur: « Illegitime genitus etiam de uxore, sine dispensatione ad ordines vel beneficia promoveri non potest »; in ipso autem canone *dispensando* conceditur ut lator « in sacerdotio genitus, de uxore legitima natus et conceptus », ordinetur in clericum et ad ecclesiasticum beneficium promoveatur.

B. **Respectu matrimonii contrahendi,** Ordo constituit *impedimentum dirimens*, modò valida fuerit ordinatio, eaque suscepta fuerit absque gravis metus injusta incussione (1) et cum conscientia saltem confusa obligationis ad cœlibatum (2).

Hæc juris dispositio, matrimonii contrahendi irritativa, jam continetur subobscure in tenore Concilii Lateranensis I (1123), et expressis verbis urgetur in Concilio Lateranensi II (1139), necnon in can. 9, Sessionis XXIV Conc. Tridentini.

II. **Fundamentum Juris.**

Circa fundamentum ex quo descriptum jus oriatur solemnis existit controversia: disputantibus scil. auctoribus undenam derivetur vis irritativa matrimonii ejusque usus prohibitiva, signanter utrum utraque illa vis nitatur in ipsa ordinatione an vero in voto in ordinatione tacitè emisso.

Jamvero, sive impedimentum niti dicatur in voto sive

---

(1) Hujusmodi metus, si non redderet ordinationem invalidam, tamen ex quadam æquitate canonica, probabilius saltem, impediret quominus gravi obligationi ad continentiam obnoxius foret ita ad Ordinem promotus, donec ordinationem factam ratihabuerit; remota autem obligatione cœlibatus, deficit etiam vis irritativa matrimonii, quippe quæ hujus prohibitionem præsupponit.

(2) Inde *infantes et impuberes,* quales olim nonnunquam ad Ordines assumebantur, validè quidem susciperent Ordines, sed non essent, salvà ratihabitione accedente, obligationi ad continentiam obnoxii nec ad nubendum inhabiles. Cf. Gasparri, *Tractatus canonicus de Matrimonio,* Parisiis, 1892, n. 586. Quoad *puberes,* obligationis *plena ignorantia,* quæ in foro externo vix admittetur, ad minus dubiam redderet continentiæ obligationem, adeoque dubium matrimonii impedimentum. Cf. Scharnagl, *Das feierliche Gelübde als Ehehinderuis in seine geschichtliche Entwicklung dargestelt,* Freiburg i. B., 1908, p. 214; Wernz, *Jus Decretalium,* t. IV, n. 394, nota 53; Van de Burgt-Schaepman, *Tractatus de Matrimonio,* Ultrajecti, 1908, n. 130; Laurentius, *Institutiones Juris ecclesiastici,* Friburgi i. B., 1908, n. 630; contrà Gasparri, o. c., c. 588.

Neque valet contra assertum doctrina, passim admissa, quatenus ignorantia legis matrimonium irritantis ab ea non excuset. Hic enim agitur de ignorante non legem irritantem sed ipsam obligationem cœlibatus, in qua nititur ipsum impedimentum dirimens quamque præsupponit.

in ipsa Ordinis susceptione, fatendum est ipsum *ultimatim derivari a jure ecclesiastico. Ordinatio* namque natura sua neque irritat matrimonium, neque ejus usum prohibet, et de facto consistit cum matrimonio ejusque usu legitimo in Ecclesia Orientali, ac etiam olim constitit in Ecclesia Latina (1); *votum*, si detur, ex se non irritat matrimonium (2), et, si inducit prohibitionem matrimonii ejusque usus, juri tamen ecclesiastico tribuendum est quod in ordinatione votum emittatur.

Restringitur ergo controversia circa hoc: utrum Ecclesia impedimentum *directè* statuerit, illud adnectens immediatè ordinationi, an vero *indirectè* dumtaxat, quatenus imposuerit votum castitatis in Ordine emittendum, et mediante hoc voto solemnizato vim prohibitivam et irritativam adnexerit Ordini.

Jamvero prior sententia videtur præferenda ipsique favet absentia legis generalis voti emissionem exigentis, necnon factum quod illi qui validè ordinati votum excludunt, equidem ad continentiam servandam manent adstricti (3).

Contra hanc sententiam quasi ad palmare argumentum provocant adversarii ad Decretalem Bonifacii VIII, in c. unic., III, 15, in VI°: « Nos igitur, attendentes

---

(1) In plerisque Ecclesiis Orientalibus unitis (non in omnibus), clerici, in ordinibus constituti, exceptis Episcopis, possunt, etiamnum uti matrimonio, ante ordinationem cum virgine contracto. Cf. SILBERNAGL, *Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirchen des Orients* (2e Auflage von *Schnitzer*), Regensburg, 1904, p. 326, 331 s., 337, 346, 356 et 375 s. In primitiva autem Ecclesia, etiam Occidentali, saltem usque ad 4m sæculum, cœlibatus non erat in usu.

(2) Et sanè, si votum solemne ex natura rei vel ex jure divino *dirimeret* matrimonium, etiam voto castitatis simplici adscribenda foret illa vis irritativa; attentis enim natura rei et jure divino, æqualia sunt ad invicem vota simplicia et solemnia: omnis namque distinctio inter illa oritur ex jure mere ecclesiastico, quemadmodum in confesso est apud omnes, et expressè docetur a Bonifacio VIII, in textu mox citando.

(3) Tenor canonis Tridentini potius favet etiam propositæ solutioni, apparet tamen ex Concilii actis Patres noluisse litem dirimere. Cf. THEINER, *Acta Genuina Concilii Tridentini*, Zagrabiæ, 1874, II, p. 463 ss.

quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa... præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum (seu contrahendum) matrimonium dirimendum, *quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis,* vel per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis ». Ast frustrà: decretalis enim non decernit votum in ordinatione esse tacitè emittendum, sed, determinando quodnam votum censeatur solemne ac matrimonii irritativum, statuit votum castitatis simplex et privatum, *si fortè Ordini fuerit præmissum vel in ipso Ordine emissum,* solemnizari in Ordinis susceptione ac impedimentum evadere dirimens; nimirum tempore Bonifacii VIII solebant, in pluribus locis, clerici ordinandi, præsertim conjugati, præviè ad ordinationem, emittere votum castitatis, vel etiam ad hoc jure particulari adigebantur: hunc autem morem non urget Pontifex nec in juris communis statutum assumit, sed merè disponit quod hujusmodi votum, *si emitti contingat,* voti solemnis vim acquirat in ordine ad matrimonium futurum dirimendum.

Sola difficultas est in explicando qua ratione clerici, citra votum ordinibus majoribus insigniti, obligenter *ex virtute Religionis* ad castitatem servandam etiam *internam,* ad quam communiter docetur eos adstringi, adeo ut sacrilegii reatum incurrant per peccata luxuriæ etiam *merè interna:* lex namque Ecclesiæ obligat quidem ex motivo Religionis adeoque inducit speciem sacrilegii, sed, juxta multos, non attingit actus mere internos.

Atvero difficultas opposita pariter solvenda est ab alterius sententiæ patronis, cum debeant ad legem Ecclesiæ recurrere quæ votum castitatis per actum internum emittendum injungat. Cæterum, præterquam quod probabiliter sustinetur potestas Ecclesiæ actus mere internos præcipiendi, potest obligatio Religionis perfectam eamque internam servandi castitatem, exinde

deduci quod ministri, per ordinationem ac deputationem Ecclesiæ ad continentiæ vitam, constituantur personæ *sacræ*, et *ex caractere sacro* speciem contrahant sacrilegii in peccatis contra castitatem admittendis etiam internis.

IV

Q. *Accurate determina quænam* affinitas *matrimonium dirimat usque ad quartum inclusive gradum, quænam usque ad secundum gradum dumtaxat.*

R. Huc redit substantia responsi ad quæsitum: Affinitas *ex fornicatione* orta matrimonium dirimit infra 2^{m} gradum; aliunde exorta constituit impedimentum usque ad 4^{m} gradum (1).

Id continetur in statuto Lateranensis Concilii IV (c. 8, X, IV, 14), simul attenta dispositione Synodi Tridentinæ, Sess. XXIV, cap. 4, *De Reformatione Matr.:* in priori scil. loco universim decernitur affinitatem impedimentum inducere usque ad 4^{m} gradum, in altero autem loco huic normæ eatenus derogatur quatenus Conc. Trident. « impedimentum quod propter affinitatem *ex fornicatione* contractam inducitur,... ad eos tantùm qui in primo et secundo gradu conjunguntur, *restringit* ».

Porro non deest difficultas in determinando quid præcise, juxta mentem Patrum Tridentinorum, veniat, in hoc negotio, nomine affinitatis *ex fornicatione,* seu nomine *copulæ fornicariæ*, affinitatem inducentis: a. v. in determinando quousque derogatio illa Tridentina sit extendenda.

Et quidem

1° Potest quis derogationem *latè* interpretari, eam

(1) Præ oculis habemus solam impedimenti extensionem in linea *collaterali:* quod spectat lineam *rectam,* utriusque speciei affinitas dirimit matrimonium in omni gradu. Cf. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, 2ª ed., 1910, n. 304.

extendendo ad affinitatem ex *quacumque* fornicatione orientem, ex copula scil. tum extra matrimonium, tum in matrimonio quomodocumque invalido peracta; vel potest illa derogatio intelligi *sensu restricto*, quatenus comprehendat quidem affinitatem ortam ex copula extra matrimonium instituta, non autem extendatur ad omnem affinitatem quæ procedat ex quacumque copula in matrimonio invalido peracta. Jamvero videtur *stricta interpretatio* adhibenda, idque ex hoc ipso quod statutum Tridentinum sit juri antea vigenti derogatorium; cæterum in hoc consentiunt plerique interpretes.

Ulterius 2°, inquirendo qnandonam præcise copula in matrimonio invalido instituta sit habenda ut fornicaria, in sensú decreti Tridentini, ita ut non inducat affinitatis impedimentum ultra 2^{m} gradum: circa hoc potissimùm in diversas partes abeunt auctores.

Sunt, et talis est præ cæteris VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 187, qui docent copulam in sensu decreti Tridentini non esse fornicariam, ac adeo inducere affinitatis impedimentum ad 4^{m} usque gradum, quando est peracta in matrimonio, irrito quidem coram jure positivo, sed coram jure naturali valido: juxta laudatum nempe Auctorem, copula censetur, ad mentem Synodi Tridentinæ, fornicaria vel non, prouti consensus fuerit naturaliter invalidus vel validus.

Contrà potius opinamur copulam censendam esse fornicariam (in hoc negotio) vel non, prouti peracta fuerit in connubio *externam speciem habente matrimonii* vel non: unde fornicaria esset dicenda, ac inducens affinitatem infra 2^{m} tantùm gradum, omnis et sola copula peracta extra matrimonium vel in matrimonio nulliter contracto et figura matrimonii destituto, quin attendendum sit utrum irritus fuerit consensus ex solo jure positivo, an ex jure naturali.

Ratio nos movens est duplex: a/ meritò censetur aliquo sensu non fornicaria ac legitima, licet a parte rei illegitima existat, copula quæ externa specie matrimonii tegitur.

b/ Favet etiam finis decreti Tridentini, statutum Lateranense restringentis: voluit nempe, ut videtur, S. Synodus vitare gravia incommoda, in praxi facilè oriunda ex occulta copulæ fornicariæ natura, quatenus de ejus existentia adeoque de affinitate ex ea exsurgente difficilius constat; qui finis legis magis innotescit in tenore decreti, qualis fuit coram Patribus Concilii prius propositus: excipiebat nempe a restrictione inducta affinitatem oriundam ex fornicatione *publica,* quæ conservabat, juxta dictum tenorem, vim irritantem usque ad 4^{m} gradum (1). Jamvero statim ac adest *titulus matrimonii,* eo ipso constat de copula, quippe quæ ipso facto præsumitur, ac constat de existentia affinitatis ejusque extensione; adest autem titulus matrimonii simul ac præsto est externa species matrimonii: quotiescumque scil. matrimonium fuit quidem nulliter contractum, sed in eo observata fuit (licet forsan cum vitio essentiali) forma Tridentina aut Piana, ubi urget; vel etiam, ut videtur, quando in eo neglecta quidem fuit dicta forma, sed ita ut ejusdem omissio ignoretur utque pseudo-conjuges publicè reputentur legitimè juncti (2).

Proposita sententia certa est pro casu quo matrimonium invalidum fuerit initum *cum bona utriusque partis fide* (3); ac etiam idem a plerisque conceditur pro casu quo bona fides fuerit penes *alterutram* partem (4); imo probabiliter id sustinetur, attento strictæ interpretationis principio, pro hypothesi qua nuptiæ fuerint cum utriusque nupturientis *mala fide* celebratæ.

(1) Cf. Theiner, o. c., II, n. 337.

(2) Cf. De Smet, o. c., n. 92.

(3) Hoc authentice sancivit S. C. C. *In Briscien.*, 3 Dec. 1667, ubi postulata circa matrimonium ineundum a viro (cujus prius matrimonium fuerat irritum declaratum) cum consanguinea in 3o gradu prioris uxoris, reposuit illud celebrari non posse, *obstante* illis tum impedimento publicæ honestatis tum *affinitatis*. Gasparri, o. c., I, n. 698.

(4) Huc spectat responsum S. C. C., 15 Apr. 1752, apud Gasparri, o. c., I, n. 698.

Conclusio igitur est: affinitatem haberi uti ex fornicatione exortam, seu illicitam aut illegitimam, in sensu decreti Tridentini, eamque proinde non dirimere matrimonium ultra 2^{m} gradum, quando copula fuit instituta inter personas nullo conjugali vinculo junctas vel tali vinculo copulatas quod speciem externam connubii non habeat; aliàs, quando scil. affinitas procedit ex copula peracta inter personas matrimonio junctas valido, aut, si est invalidum, figuram referente matrimonii, affinitas censetur legitima seu licita, in hoc negotio, ipsique applicatur norma Lateranensis, vim irritantem urgens ad 4^{m} gradum usque (1).

A. De Smet.

V

Q. *Quomodo mortificari potest imaginatio?*

R. **Prænotandum** *de necessitate mortificandi* imaginationem (2).

Hæc enim potentia plurimum subiit influxum peccati originalis; ipsa regit appetitum sensitivum, in quo radicantur passiones, et ægre obedit imperio rationis et voluntatis. Unde merito vocatur « la folle du logis ».

Imprimis imaginatio est *causa dissipationis*. Absque recollectione impossibilis est oratio et vita interna. Maximum autem impedimentum recollectionis est phan-

(1) Ex dictis sequitur affinitatem *legitimam* non contrahi ex *matrimonio civili*, quippe cui in ejus odium Ecclesia nullam vult agnoscere speciem matrimonii, saltem si initur inter personas legi clandestinitatis obnoxias: copula in hujusmodi matrimonio peracta habenda est, in ordine ad affinitatem, illegitima seu fornicaria.

(2) « *Phantasia* seu *vis imaginativa* est virtus organica qua sensationes et sensata, ubi eorum actualis experientia transiit, in sentiente habitualiter conservantur, reproducuntur et multimodis combinantur ». De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, De Meester, 1900, n. 379, 2. De triplici hoc munere phantasiæ (imagination *rétentive*, *reproductrice*, *constructive*) utiliter leges Card. Mercier, *La psychologie*, 5e éd., 1899, p. 208 ss.

tasia : hæc enim, nisi dometur, continuo excurrit et secum trahit intellectum et voluntatem. Inde explicatur apud quosdam mira levitas et inconstantia animi, necnon dissipatio quasi habitualis.

Deinde est *causa tentationum et peccatorum*. Non raro tentationes, quæ adscribuntur diabolo, simpliciter oriuntur ab imaginatione indomita, vel saltem ea utitur diabolus ad tentandum (1). Videlicet passiones inordinatæ nutriuntur et augentur per phantasiam : hæc enim pro parte concupiscibili auget delectabilitatem ac proinde tentationem ; pro parte irascibili auget difficultatem et sic adducit tristitiam, diffidentiam, desperationem (2).

Modi mortificandi imaginationem.

1° *Custodia sensuum externorum ac potissimum visus.*

Hæc res est maximi momenti, ut np. phantasiæ, quantum possumus, subtrahamus materiam : per sensus enim exteriores atque maxime per visum (3) intrant imagines vanæ vel turpes, his occupatur phantasia (retinet, reproducit ac multis modis combinat), oblectatur appetitus sensitivus ; inde sollicitantur intellectus ut advertat et voluntas ut consentiat.

Oportet præterea fugere otium atque pigritiam ; commendatur quoque *discretio in lectionibus* instituendis : vitentur lectiones non tantum malæ vel periculosæ, sed et vanæ, frivolæ, quæ phantasiam implent et mentem distrahunt. Huc pertinet aureum monitum : « Si vous sentez en vous le besoin de rêver, mortifiez-le sans pitié » (4). Hujus tendentiæ haud raro causa sunt lectio-

---

(1) Cf. H. Mahieu, *Probatio charitatis*, p. 367.

(2) Triplex est genus cogitationum, secundum Bernardum citatum ab Alvarez de Paz, *De mortificatione interioris hominis*, c. 15, quas oportet abnegare : aliæ sunt *immundæ*, pertinentes ad vitia carnis vel alia vitia, aliæ *otiosæ, curiosæ et inutiles*, aliæ denique *cogitationes rerum necessariarum*, ut cibi et potus etc.

(3) « Phantasmata nobis procudimus non tantum *visorum*, sed et *auditorum* etc., necnon *subjectivarum sensilium impressionum* ». De Jaegher, *o.* et *l. c.*

(4) Cf. utile folium : *De la mortification chrétienne*, Louvain, Ch. Peeters,

nes, factæ sub prætextu addiscendi « pulchras litteras » (1).

2° *Offerre phantasiæ objectum bonum et utile.*

Subtrahendo materiam, refrænari incipit phantasia; hoc tamen non sufficit. Cum facultas sit inquieta nimis, et exstingui non possit, oportet positive refrænemus eam : imprimis dando ei occupationem bonam et utilem. Ita v. g. in orando, qui habet imaginationem vividam sistat Deum sibi præsentem sub imagine sensibili; in meditando sibi vivide repræsentet v. g. mysteria vitæ Christi. Sic quodammodo alligatur imaginatio initio orationis. Utile est sibi construere phantasmata conformia rectis judiciis intellectus ac bonis actibus voluntatis (2): sic phantasia adjuvat intellectum atque voluntatem.

3° *De cetero imaginatio est negligenda.*

Plerumque non proficies, si velis directe reprimere phantasiam ; sed potius agendum est sicut erga amentes et pueros : datur eis occupatio ut quiescant, vel ad eos non attenditur. Pulchre Salesius dixisse refertur : « Ne soyez pas assez fou pour courir après cette folle ». Disce igitur contemnere et in praxi negligere suggestiones phantasiæ, speciatim noctium phantasmata; ac potius exerce judicium intellectus et consequenter voluntatem (3).

H. Mahieu.

---

p. 7. Ibidem p. 6 invenitur etiam hoc monitum : « Mortifiez votre imagination lorsqu'elle vous séduit par l'appât d'un poste brillant, lorsqu'elle vous attriste par la perspective d'un avenir sombre, lorsqu'elle vous irrite par le souvenir d'un mot ou d'un acte qui vous ont offensé ».

(1) Hoc periculum sedulo attendatur in collegiis et convictibus, et sectemus potius severitatem quam nimiam indulgentiam.

(2) Cf. A. Eymieu, *Le gouvernement de soi-même*. Première série : Les grandes lois, 15e édition, Paris, Perrin et Cie, 1910.

(3) Cf. Clément, *École de perfection religieuse*, Roulers, De Meester, 1907, p. 309 ss.; nostra *Probatio charitatis*, p. 388 ss. — In responso non agimus de statu abnormi, in quo nimium prædominatur phantasia, uti in hysteria et apud scrupulosos.

VI

Q. *Quid servandum in construendo* stipite *seu basi altaris fixi?*

R. Omnino præ oculis habendum est essentiam altaris liturgice fixi in eo esse positam ut mensa lapidea, integra et unica, tum materiali *constructione* tum valida *consecratione* indivulse *conjungatur cum stipite pariter lapideo* qui loco suo inamovibiliter adhæreat (1).

Ad hanc essentialem altaris fixi constitutionem logice consequuntur fere omnia quæ in construendo stipite, juxta S. Congregationis decreta et liturgiæ spiritum, de necessitate vel de convenientia servanda sunt.

1/ Structura stipitis inamovibiliter **ecclesiæ pavimento adhærere debet.**

Communem esse sententiam ait Gardellini (2) hanc inamovibilitatem non esse de essentia altaris fixi, ita ut si tota structura stipitis unà cum mensa ab uno loco in alium dimoveretur, non ideo altare fixum amitteret suum esse adeoque nec suam consecrationem. Quam sententiam plures etiam post Gardellini amplectuntur auctores.

Verum in decreto 20 febr. 1874, Marianopolitana, n 3326, quæritur de altari quod fuit « ab antiquo loco amotum sed paucis pedibus » quæ verba videntur indicare amotionem structuræ totius, absque separatione mensæ et stipitis (3).

Jamvero S. Congr. respondet novam hujus altaris consecrationem esse peragendam (4). Nec mirum vi-

---

(1) Cf *Collat. Brug.*, t. XV, p. 656 ss. et t. VIII, p. 549; De Brabandere-Van Coillie, *Compendium jur. canon.* t. II, n. 680 ss.; Van der Stappen, *De celebratione missæ*, n. 20 ss.; De Herdt, *Praxis S. liturg.*, t. I, n. 176.

(2) *Decreta authentica S. C. Rituum*, vol. IV, p. 191, adnot. ad decr. 2599.

(3) Si enim hæc separatio facta fuisset, non appareret ratio aut dubitandi de execratione aut addendi distantiam remotionis.

(4) In casu decreti nº 3504, I, non clare apparet utrum agatur de amotione solius mensæ an vero totius structuræ.

detur hoc responsum. Licet enim fixitas liturgica altaris maxime et essentialiter attendatur in conjunctione mensæ et stipitis per consecrationem in perpetuum servanda, eo sane tendunt illa fixitas et hæc unio ut totum altare consecratum, tanquam petra immobilis, non dimoveatur a loco in quo consecratum fuit positum. Quare si forte non ad essentiam pertineat hæc dispositio, certe tanquam proprietas quædam altaris fixi habenda est.

2/ Stipes debet esse **lapideus.**

Christus Dominus cœnam eucharisticam instituit in *mensa lignea communi*; item primis Ecclesiæ temporibus liturgia celebrari solebat in ædibus privatis, adeoque consecratio fiebat, ut videtur, super mensa domestica, lignea et non fixa; plures in catacumbis picturæ exhibent actum consecrandi Eucharistiam in parva mensa triplici pede munita (trépied; table-guéridon).

Mox autem, a sæculo jam secundo et maxime tertio, cœperunt celebrare Liturgiam, v. g. in anniversariis martyrum, prope horum sepulchrum; ibi altare vel ponebatur prope sepulchrum, vel, quod brevi factum est, ipsum sepulchrum erat altare *fixum,* constans *mensa lapidea* et stipite undequaque *clauso* generatim *ex lapide;* postea vero exstruebantur ecclesiæ et erigebantur altaria in solo supra memorias seu sepulchra martyrum, vel etiam deferebantur corpora martyrum et sanctorum et ponebantur sub altari, quod eis erat pro sepulchro (1).

Pedetentim prævaluit usus altarium *fixorum* et *ex lapide,* ob minus periculum destructionis, et ob reverentiam in dies majorem, ex quo inducta est consecratio altarium et sparsa significatio qua altare repræsentat Christum (2), « lapidem vivum... summum, angularem, electum, pretiosum (1ª Petr. II, 4, 6) (3). Et licet narratio Breviarii (4) quasi S. Sylvester

---

(1) Qua de re conf. H. Leclercq, v° *Autel* in *Dictionnaire d'archéologie et de liturgie;* F. Wieland, *Mensa und Confessio,* Munich, 1906; Id. *Der vorirenäische Opferbegriff,* Munich, 1909.

(2) Ita jam apud Pseudo-Ambrosium, *De Sacramentis.*

(3) Cf. etiam I Cor. X, 4: « Petra autem erat Christus ».

(4) In festo dedicationis Basilicæ SS. Salvatoris.

prohibuisset altaria lignea, solido careat fundamento historico, tamen sæc. jam sexto, concilia (v. g. Epaonense, 517) cæperunt præscribere ut altaria non essent nisi ex lapide.

Et ita ex Missali (Rubr. Gener. XX), non tantum « Ara portatilis » sed et fixum « altare debet esse lapideum ». Hoc autem valet tam de stipite quam de mensa: utraque enim hac parte constat altare fixum. Debet ergo esse stipes ex lapide naturali, compacto, non vero ex lateribus coctis (baksteenen) aut ex gypso vel cœmento, aliave simili materia (1).

Inde ne statim concludas structuram omnino *integram* ita debere esse ex lapide ut alia materia adhiberi nequaquam possit. Inspiciendum quid nos doceant ritus consecrationis et decreta S. Rit. Congregationis.

a/ Imprimis ex consecrationis cœremoniis et ex tota liturgia apparet pro altari proprie dicto haberi tantum eam structuram quæ eminet supra gradus et suppedaneum, non vero ipsos gradus nec eam constructionem quæ latet sub et post gradus et cui innititur apparens altaris stipes. Hæc structura inferior, seu altaris sustentaculum ergo non debet esse ex lapide.

b/ Præterea ad validitatem consecrationis altaris fixi requiritur præprimis ut episcopus « inungat in modum crucis *conjunctiones mensæ* seu tabulæ altaris *et* tituli sive *stipitis*, *in quatuor angulis*, *quasi illa conjungens* ». Hac præcise unctione mensa et stipes consecrantur in unum altare fixum, quod « debet esse lapideum ». Hæc autem unctio facienda est in quatuor angulis. Unde patet *stipitem in quatuor angulis necessario debere esse ex lapide*. Et hoc tanquam minimum videtur sufficere ad validitatem.

Quo sensu declaravit S. R. C. (2). « Ut altare consecrandum sit lapideum, oportet, ut etiam in ejus stipite

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 656, et decr. nn. 3674, 2, 3; 3698, 192; 4032, 1, 2.

(2) Die 7 aug. 1875, *Cuneen.*, n. 3364, 2.

saltem latera seu [ad minus] columellæ quibus mensa sustentatur, sint ex lapide ». Hæc latera, aut columellæ, aut sustentacula quibus stipes cum mensa per sacram unctionem conjungatur in quatuor angulis, possunt esse ex lapidibus pluribus superpositis; ni fallamur tamen, debent esse non partim sed integre (h. e. a summo usque deorsum seu a mensa ad suppedaneum) ex lapide.

c/ Ut patet, debent hæ columellæ ita esse *apparentes* (1) ut possit episcopus inungens eas attingere, adeo ut « non liceat consecrare altare cujus nucleus, quamvis lapideus [idem dicendum de columellis], undique tamen tectus sit lateribus [briques], quibus superinducta est crusta marmorizata » (2).

3/ Ex eo quod mensa debet constare *unico* lapide, eoque integro, qui debet in angulis conjungi cum stipite, apparet *stipitem altaris proprie dicti* non posse excedere limites mensæ.

Non raro tamen retro post altare erigi debet retabulum (quod ne nimis altum sit curare velint DD. parochi!) quod inniti debet basi exstruendæ retro sed juxta stipitem altaris. Hæc basis non pertinet ad « altare consecratum », et potest exstrui lateribus coctis: imo potest apponi stipitis posteriori parti, ita tamen ut saltem a latere episcopus unctione attingere possit columellas aut sustentacula lapidea quibus inhærent anguli posteriores mensæ. Sed omnino prohibetur hujusmodi structura circumcingere partes posteriores simul et laterales stipitis altaris: hoc sequitur ex impossibilitate consecrandi hujusmodi altare et ex decreto citato n. 3698.

Modo hæc serventur, vix aliquid positive præscribitur de forma et ornatu stipitis altaris. Auctores quidem plures exigunt ut stipes sit « plenus »; sed hæc præ-

---

(1) Decr. S. R. C., n. 3698, 1.
(2) Decr. S. R. C., 14 dec. 1888, *Senien.*, n. 3698, ad 2.

scriptio non est nimis presse intelligenda, ut ex sequentibus elucet.

Duplex, ut vidimus, erat forma antiqua : mensæ communis et sepulchri clausi. Utraque forma, aut pura, aut aliquatenus mixta, decursu sæculorum permansit (1) et hodie legitima est.

a/ Pontificale supponit *stipitem undequaque clausum* et (in quatuor angulis saltem) lapideum. Intus potest esse spatium vacuum (n. 3282). Stipes etiam potest aliquatenus imitari formam sarcophagii cui immediate imponitur tabula lapidea.

b/ *Formam mensæ communem*, seu mensæ quatuor columellis lapideis sustentatæ, decretum recens legitimam declaravit « juxta plura decreta » (2).

Sed, ex reverentia erga altare, non permittit S. Congr. ut consecretur altare in quo infra mensam servetur spatium vacuum « ad recipiendam arcam ligneam quæ inserviat paramentis asservandis » (3). Altare non est armarium !

Si vero spatium illud servetur ut in eo « recondantur capsæ sacrarum Reliquiarum ita commode dispositæ, ut oculis fidelium diebus saltem solemnioribus appareant » licita est (4), imo et commendanda videtur hujusmodi dispositio.

c/ Non raro utraque forma primitiva *commiscetur*. Ita v. g. posterior pars altaris innititur stipiti pleno vel parieti (ex lapide ad angulos posteriores saltem) dum anterior pars sustentatur columellis (5). Vel mensa in dorso et ad latera sustentatur stipite lapideo, sed sub mensa reconditur sarcophagium independens a mensa.

4/ Qualiscumque sit forma altaris, ita construi debet ut stipes et mensa constructione et materiali cohæsione uniantur in unum altare. Quæ unio per sacram unctionem ita fit perpetua ut non tantum localis amotio

(1) Cf. Reusens, *Éléments d'archéologie chrétien*, 2 vol. Louvain, 1885 ; F.-X. Kraus, *Geschichte der Christlichen Kunst*, Freiburg i. Br., 1896-1908, (2 vol.).

(2) *Andrien.*, 6 nov. 1908, ap. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 94.

(3) Decr. 20 dec. 1890, *Tridentina*, n. 3741.

(4) Decr. 20 dec. 1864, *Trecen.*, n. 3126.

(5) Ibid.

(nn. 2599, 3198) sed et simplex separatio per mensæ sublevationem, (n. 3685, 7), destruat consecrationem. Mensa altaris ita execrati jam nequidem ut altare portatile adhiberi potest (n. 3198).

5/ Stipes exstrui non potest super cadavere sepulto ad distantiam trium cubitorum, (nn. 508; 1333, 5; 2470) seu unius metri (1); quæ distantia dimetienda est non a gradibus altaris sed ab ipso altari seu stipite (2). Secus in eo altari celebrari non potest, donec corpora alio transferantur (n. 1333, 5; 2479). Licitum tamen est celebrare in altari sub quo in linea recta recondita sunt cadavera, modo sub altari sit crypta camera lapidea, sub cujus pavimento condita sunt, ita ut altare a sepulchro separetur tota crypta lapidea (3).

Ratio hujus prohibitionis, quæ mira apparere potest primo intuitu, desumenda est ex antiquo usu tum celebrandi super sepulchra martyrum, tum postea erigendi altaria super solum infra quod corpora martyrum vel sanctorum sepulta erant, tum inserendi in altaribus reliquias corporales martyrum. Ex his enim apparet erectionem altaris vel celebrationem super corpus alicujus esse honorem omnino reservatum martyribus vel sanctis et quasi signum canonizationis. Hunc honorem deferre cuicumque, proprio marte, ut patet, prohiberi debet.

6/ Altare fixum, maxime altare majus, decet ita extruatur ut non adhæreat parieti sed per se stet. Debet enim in ritu consecrationis posse circumiri ut undequaque aspergatur et incensetur.

Hæc altaris majoris independentia et separatio omnino conformis est traditioni antiquæ, quæ derelicta tantum fuit ex eo quod quo cœperunt tam magna et excelsa exstruere

---

(1) Decr. S. R. C. 12 jan. 1879, *Romana*, n. 3944, ad II, et *Monitum* S. R. C. 5 aug. 1898, apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 118.

(2) Citatum *Monitum* S. R. C.

(3) Cf. decr. n. 3460, 2 et decr. *De Queretaro*, 18 jul. 1902, ad VI, ap. *Ephem. liturg.*, t. XVI. p. 498. Pighi-Ferrais, *Liturgia sacerdotalis*, n. 243, nota 1.

retabula ut erigi non potuissent quin solidæ parieti adhærerent. Eadem dispositione in nonnullis altaribus facilius et convenientius a parte posteriori possunt accendi candelæ vel apponi aut auferri crux altaris aut thronus expositionis (1).

Tandem non parum hoc confert ad dignitatem altaris maxime majoris et ad reverentiam ei debitam. Est enim hoc altare præcipuum totius ecclesiæ ornamentum, seu potius est illud propter quod exstructa est ecclesia, quam nuper quis vocabat « le reliquaire d'autel ». Decet igitur omnino ut illud per se stet et non exhibeatur tanquam merus ornatus alicujus parietis cui adhæret.

7/ In ornando altari, præ oculis habeatur illud a/ directe et unice ordinari ad sacrificium missæ, et b/ repræsentare vel aram crucis, aut calvarium, vel præsertim ipsum Christum. Ergo *in altari proprie dicto, h. e. in mensa et stipite*, alia non admittantur symbola aut figuræ quam quæ referuntur ad sacrificium aut sacramentum Eucharistiæ vel ad personam Christi Domini. Unde si altare sit dedicandum v. g. patrono loci vel SS. Barbaræ et Catharinæ, convenientius censemus omnia symbola hos sanctos spectantia reservare pro retabulo ac parietibus.

C. Callewaert.

(1) Cf. *Eucharistisch Congres te Rousselare*. Verslagen, bl. 104.

Miscellanea

CASUS MATRIMONIALIS.

Confessarius Brugensis rogavit et obtinuit a S. Pœnitentiaria dispensationis rescriptum in forma commissoria super affinitate illicita, quam Bertha contraxit respectu sponsi Titii, a cujus fratre carnaliter fuerat cognita. Bertham in confessione monuit confessarius de dispensatione obtenta, ulterius autem nullam aliam formalitatem adhibuit; et brevi post, matrimonium fuit celebratum. Postea, rem melius edoctus, censuit dispensationem nulliter fuisse collatam, adeoque matrimonium invalidè esse contractum, ac convalidandum : ideo cum Bertha in confessionem revocata formiter dispensavit vi præfati rescripti Romani, ac consensum jussit renovandum.

An recte egit confessarius, et, si negative, quomodo in hujusmodi adjunctis fuisset procedendum?

Respondetur.

A. Confessarius consulens præposterè egit, uti ipse exinceps agnovit, dispensationem Romanam merè communicando parti dispensandæ: erat enim rescriptum *in forma commissoria*, adeoque executioni mandandum. Nimirum hujusmodi dispensatio non conceditur nisi in actu primo, est mandatum dispensandi potius quam ipsa dispensatio: hæc est in actu secundo danda ab executore, qui proinde per actum expressum et formalem debet, vi facultatis S. Sedis, dispensationis gratiam elargiri (1). Debuisset nempe confessarius, verificatione facta de expositis in rescripto, ac præmissa

(1) Aliter contingit cum dispensatione *in forma gratiosa* concessa, quemadmodum solet procedere Ordinarius Brugensis: tunc ipsa dispensatio conceditur ab Ordinario in actu secundo, et gratia est facta, ita ut sufficiat eam a parocho vel confessario partibus merè communicari.

absolutione ad effectum, necnon absolutione juridica, formiter et expressis verbis declarare sese super impedimento (ipsum indicando ac determinando) dispensare nomine et auctoritate Pontificia; addendo, in quantum nihil obstat, absolutionem sacramentalem et pœnitentiam (1).

Quibus attentis liquet dispensationem mansisse mancam et invalidam, utpote executioni non mandatam; consequenter nulliter contractum fuit matrimonium exinceps celebratum.

B. Idem confessarius recte quidem judicavit irritum esse matrimonium; minus autem laudandus est in electione remedii defectui adhibendi. Nimirum frustrà recursum habuit ad rescriptum S. Sedis: equidem, si defectum executionis advertisset *ante matrimonii celebrationem*, omninò potuisset exequi rescriptum, validam executionem nondum nactum; sed id jam non valebat *post contractum matrimonium*. Ratio est quia, in tenore rescripti, restringitur dispensationis mandatum ad relaxandum impedimentum in ordine ad matrimonium *contrahendum*, nec adeo potest adhiberi in ordine ad matrimonium *contractum convalidandum* (2).

Alia igitur via fuisset sequenda. Quænam in casu esset proponenda?

Distinctione est opus:

1° Si *ita urgeat* necessitas convalidandi matrimonium ut non sit tempus recurrendi *ad Episcopum*, puta quia Bertha pseudo-uxor est nullitatis conscia, forsitan ex imprudenti confessarii monitione certiorata, dum altera pars ignorat nullitatem nec commodè moneri potest: confessario Brugensi præsto est facultas dispensandi,

(1) Formulam vide apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 544, cum nota, vel apud De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 397.

(2) Etiam indultum generale dispensandi, si in tenore memoratur matrimonium contrahendum, non potest adhiberi ad dispensandum in contractis: et tamen indulta generalia sunt latè interpretanda, dum rescripta pro casu particulari strictam postulant interpretationem.

quam, anno 1897, concessit Episcopus omnibus confessariis in diœcesi Brugensi admissis, quæque facultas expressis verbis extenditur ad matrimonia contracta (1).

Confessarius igitur cum dicta Bertha, nullitatis matrimonii conscia, dispensabit, servatis formalitatibus sub A descriptis; eadem etiam utetur formula, salvis mutationibus quas suggerit dispensationis indoles, invocata scil. delegatione non Apostolica sed episcopali, ac mentione facta non matrimonii contrahendi sed matrimonii contracti convalidandi. Ita v. gr.:.... Insuper auctoritate mihi ab Episcopo delegata, dispenso tecum super impedimento affinitatis illicitæ in 1° gradu æquali lineæ collateralis, ex eo proveniente quod cum fratre sponsi copulam habueris, quo ligata matrimonium contraxisti, ut memorato impedimento non obstante, denuò matrimonium cum tuo putato conjuge, renovato consensu, contrahere, consummare et in eo remanere licitè possis....

Quod spectat *ipsam convalidationem matrimonii*, potest, pro occulta natura nullitatis matrimonii, fieri *privatim* et secretò inter pseudo-conjuges, ad invicem. Ad hoc quidem, ex natura rei, non opus esset renovatione consensus, cum consensus ante præstitus et virtualiter perseverans possit sponte sua convalescere, statim ac per dispensationem liber existit ab impedimento; ast regulariter, et speciatim hic in casu, requiritur illa renovatio *ex positiva voluntate Ecclesiæ*, quatenus non velit Ecclesia rationem veri matrimonii agnoscere consensui, post impedimenti remotionem virtualiter remanenti, sed regulariter exigat *ut consensus ab utraque parte iteretur*, et quidem renovetur *independenter a priori consensu, nullitate prævie cognita*.

Procuranda est igitur sponsi certioratio de nullitate contracti matrimonii: cui certiorationi, licet nullitatis

(1) Tenorem exhibent *Collat. Brug.*, t. XII, p. 387, commentarium autem habetis *ibidem*, p. 407 ss.

causa non sit indicanda, patet adnexum esse gravissimum incommodum, ob graves suspiciones quæ natæ sunt oriri ex hujusmodi revelatione.

Porro in hujusmodi angustiis applicari potest norma quam proponit ipsa S. Pœnitentiaria, super impedimento infamante dispensans: postquam scil. præscripserit certiorationem (*dicta muliere* (vel *viro*) *de nullitate prioris consensus certiorata*), solet nunc addere: « *et quatenus hæc certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis Auctoribus traditas* » (1): Ecclesia nempe in casu temperat rigorem suum in exigenda notitia nullitatis, quam vidimus solo jure ecclesiastico necessariam.

Varii autem modi proponuntur pro opportunitate adhibendi: a/ suscitando *dubium* vel *suspicionem* de valore matrimonii, ut si dicat pars conscia alteri se angi circa valorem connubii et velle pro pace sua et tranquillitate conscientiæ de novo consentire, dicendo: « en iterum te accipio in conjugem meum... numquid et tu idem facere velis? ». Quod si prudenter fieri nequeat,

b/ « Compars cautè et prudenter inducatur ad novum consensum *conditionatum*, quin... dubium (directe) ingeratur de nullitate prioris consensus: v. gr. pars nullitatis conscia dicat: « Ita tibi addictus sum, ut si non essemus matrimonio jùncti, vel illud ex aliqua causa foret nullum, nihilominus te acciperem in conjugem, imo de facto ita te accipio; numquid et tu similiter facis? » (2).

Si nec hoc medium judicatur adhibendum, ob gravisimmas movendas suspiciones, aut ob timorem denegandi consensus, non manet nisi ut

c/ *pars conscia sola consensum renovet* internè et externè, puta copulam exercendo animo conjugali: qui novus consensus conjunctus cum consensu alterius

(1) Ita etiam in indulto S. Pœnitentiariæ Ordinariis concedi solito.

(2) Theol. Mechl., *Tractatus de Sponsalibus et Matrimonio*, 1902, p. 353.

partis virtualiter perseverante, censeri potest sufficiens ad convalidandum matrimonium, quatenus scil. Ecclesia eousque relaxet suam legem, novum consensum ab utraque parte nullitatis conscia exigentem.

2° Si recurri quidem possit ad *Episcopum*, prævideatur tamen grave incommodum in dilatione necessaria pro recursu *ad S. Sedem:* dispensatio esset impetranda ab Ordinario, cui opportuna noscitur præsto esse facultas, vi Quinquennalium S. Pœnitentiariæ (1).

Obtenta dispensatio in forma gratiosa communicetur sponsæ Berthæ, quæ et moneatur de renovatione consensus ac de certioratione compartis, juxta dicta sun 1°.

3° Si supponatur nullum omninò periculum esse in mora, et facilè recurri posse ad S. Sedem, quia in omnimoda bona fide versantur pseudo-conjuges, nec ullatenus prævidentur ex ea disturbandi: præstat adire S. Sedem ab eaque impetrare gratiam *sanationis in radice*.

Equidem valet Episcopus, in ordine ad matrimonium *contractum* convalidandum, dispensare *etiam extra casum urgentem;* sed non potest relaxare a necessitate renovandi consensum ac certiorandi partem ignaram, cui certiorationi vidimus gravissima obstare incommoda; contrà per sanationem in radice a S. Sede ita dispensatur super impedimento ut ipse consensus virtualiter perseverans sponte sua convalescat nec ulla requiratur consensus renovatio nec adeo nullitatis certioratio.

A. De Smet.

---

(1) Si confessarius est *parochus*, habet quidem, in diœcesi Brugensi, facultatem cum suis parochianis dispensandi super affinitate illicita, ubi recursus non patet ad S. Sedem, licet adiri possit Ordinarius: sed non posset in casu usurpari dicta facultas, cum restringatur ad matrimonia *contrahenda*.

De libertate actus fidei

Status Quæstionis.

1. *Actus fidei theologicæ supernaturalis* est assensus intellectus, a voluntate libere imperatus, firmus super omnia, in veritatem a Deo revelatam, formaliter propter auctoritatem Dei revelantis, elicitus viribus supernaturalibus, seu ab intellectu supernaturaliter elevato (1).

Hunc assensum *physice* esse *liberum*, pertinet ad fidem catholicam (2); nec sane, posito rei momento, minima res est intelligere *ubinam* præcise reponenda sit hæc hominis in credendo libertas. — Supervacaneum autem sit notare libertatem hic *non* intelligi *moralem:* etenim in hoc ordine fides cuivis homini certe necessaria est in ordine ad salutem consequendam, tum necessitate medii tum necessitate præcepti, adeoque nequit homo ab obligatione credendi immunem se habere; — intelligitur autem libertas *physica* seu naturalis, ea np. qua homo, in potestate liberæ suæ voluntatis habeat quod valeat credere aut non credere.

2. Ut rite pateat ubinam reponenda sit fidei libertas, breviter recolimus *varios actus quibus homo a statu quo non credit ad actum credendi devenit:*

Orta mihi cogitatione utrum crediturus sim necne ea quæ sunt a Deo revelata, statim occurrit *duplex quæstio prævie* solvenda: a) Utrum Deus sit testis fide dignus, pollens np. scientia et veracitate in loquendo, seu utrum dignus sit cui ego ob Auctoritatem (3) Ipsius intellec-

(1) Hanc definitionem vide explicatam, et a variis notionibus fidei plus minusve connexis distinctam, apud *Collat. Brug.*, XIII, 201 ss.

(2) « Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci, aut ad solam fidem vivam quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse, anathema sit ». Conc. Vat., cap. 3 *de fide*, can. 5. Cfr. cap. 3.

(3) *Auctoritatem* in hac re ubique intellige non auctoritatem præcipientis seu imperantis, sed auctoritatem attestantis, ita ut hac voce complectaris tum scientiam tum veracitatem.

tum meum submittam ; et — b/ utrum Deus ille veritatem de qua credenda cogito revelaverit.

Priorem quæstionem solvo, ex rebus creatis concludendo ad existentiam Entis Increati seu a se, et ex hac comparata notione educendo Ens illud esse necessario in omni ratione perfectionis infinitum, adeoque omniscium et summe verax, quodque ideo nec falli nec fallere potest.

Alteram quæstionem resolvo ostendendo ipsum Deum, signis vere divinis et sibi propriis, qua veram confirmasse et qua suam exhibuisse talem vel talem veritatem assertam; ita ostendere possum Christum miracula patrasse in confirmationem Divinitatis quam sibi vindicabat.

Ex his duobus, quæ vocantur *fidei præambula,* sic arguo :

Quidquid est revelatum a Deo, summe sciente et summe veraci, est credibile, i. e. dignum cui ego ob auctoritatem Dei assensum præbeam ;

Atqui talis veritas, puta Incarnatio, est a Deo revelata ;

Ergo Incarnatio est *credibilis.*

En quod vocant *judicium credibilitatis* ; quod nondum est *credere*, sed judicium prævium.

Ulterius simul intellectui meo constat *bonum*, *utile*, *obligatorium* esse homini quod talem veritatem admittat propter Auctoritatem Dei. Et inde concludo: Hæc veritas, Incarnatio Verbi, est mihi *credenda*, seu bonum est mihi et officium mihi incumbit hanc veritatem credendi propter Auctoritatem Dei. — En quod vocant *judicium credenditatis;* quod iterum nondum est credere, sed judicium prævium.

Hoc judicium credenditatis prælucet voluntati ostenditque ipsi bonum esse ut intellectui imperet assensum propter auctoritatem Dei ; et inde voluntas hunc assensum imperat. — Quod imperium voluntatis sicut et bonam dispositionem animi a qua procedit, vocare possumus *pium credulitatis affectum.*

Unde tandem intellectus, sub imperio et motione voluntatis, Incarnationem Verbi admittit formaliter propter auctoritatem Dei. — Quod est *actus fidei.*

Quæstio igitur oritur ubinam in toto hoc processu ad fidem divinam statuenda sit physica hominis libertas.

Nota. In toto hoc discursu et in sequentibus abstrahimus a partibus *gratiæ* supernaturalis; cum enim gratia non tollat libertatem hominis, non est cur in explicanda libertate fidei de ea dicatur speciatim: sola enim manet quæstio generalis, in toto ordine supernaturali solvenda, de modo quo gratia Dei cum libera voluntate hominis concurrat.

*
* *

Triplicem in hoc processu ad fidem divinam statuere possumus **libertatem.** — Nimirum

I. Fides est libera **libertate exercitii,** quatenus voluntas libere valet **avertere cogitationem mentis** a veritate revelata, et **sic** efficere ut non credam ei.

Hac libertate exercitii complectimur omnem modum quo voluntas *indirecte* juvare potest hominem ut ad fidem perveniat, aut ex opposito impedire ne ad eam deveniat. Valet enim voluntas:

1. *removere,* — vel contra non removere, imo fovere et augere, — *varia quæ impediunt* hominem ab instituenda inquisitione circa præambula fidei et motiva credibilitatis;

2. positive *applicare* et sustinere, vel contra avertere et debilitare, intellectum in eadem illa inquisitione instituenda (1).

Nec est hæc libertas aliquid proprium *fidei divinæ,* imo nec fidei *cuivis;* eadem enim libertate gaudeo in ordine ad acquirendum qualecumque genus cognitionis, quatenus v. g. semper valeo aut intellectum meum serio occupare in inquisitione requisita, vel contra ab hac avertere.

II. Fides divina **semper** est libera quatenus valeo

---

(1) Quem interventum indirectum voluntatis, in ordine ad fidem theologicam, vide latius expositum apud *Collat. Brug.*, t. XIII, pp. 262 ss.; — et in ordine ad veritatem in genere, *ibid.*, p. 258.

semper credere aut non credere fide stricte dicta, i. e. dare vel recusare assensum dandum formaliter propter auctoritatem Dei attestantis.

Etenim *ex una parte,* possum intellectu meo apprehendere *mihi bonum* esse, quod meipsum submittam Auctoritati divinæ, intellectum meum creatum ipsi Veritati increatæ, et propter hanc ipsam Auctoritatem admittam veritatem a Deo revelatam. — Ast *ex parte opposita*, possum, suadentibus malis meis dispositionibus, hanc submissionem mei Deo (puta, quem odio habeo) habere ut *malum mihi.* — Unde tum *credere* tum *non credere* ab intellectu meo proponi potest voluntati qua bonum; et ideo voluntas mea libere *eligere* valet unum bonum præ alio, puta bonum quod est in admittenda veritate revelata propter Auctoritatem Dei, potius quam bonum quod est in eo quod hunc assensum fidei stricte dictæ recusem; unde libere eligens unum præ alio, libere valet vel imperare assensum propter auctoritatem Dei vel illum assensum propter auctoritatem Dei non imperare. Unde, si assensus fidei præstatur, libere præstatur.

Est hæc libertas *essentialis* fidei divinæ, ut dicemus, post explicatum III; et deficiente quacumque alia libertate, hæc *semper* adest; revera:

Hæc libertas *non tollitur*:

1°/ ex eo quod veritas credenda forte esset *intrinsece evidens.*

Ita, si Deus mihi revelaret veritatem intrinsece et perfecte et immediate evidentem, puta $2 + 2 = 4$, vel conclusionem scientiæ, quam perfecta evidentia ex intrinsecis rationibus mihi demonstrare possem, — sane cogerer ad admittendam hanc veritatem assensu *intelligentiæ* vel *scientiæ*, scilicet propter evidentiam immediatam, vel propter evidentem demonstrationem, — sed non cogerer ad admittendam eam assensu *fidei,* scil. propter auctoritatem Dei (1).

---

(1) Disputant utique AA. utrum possibile sit rem intrinsece visam

2°/ ex eo quod veritas revelata appareat *evidenter credibilis.*

Ita si mihi certum est Deum in revelando nec falli nec fallere posse, ipsumque ea Auctoritate gaudere qua summe dignus sit cui, assentiendo revelationi, intellectum meum submittam; si insuper mihi certum est Deum illum talem veritatem revelasse; — non potero non concludere talem veritatem esse *credibilem*, scil. dignam cui ego propter auctoritatem Dei assentiar. — Ast non ideo cogor ad præstandum hunc ipsum assensum *fidei*, seu nondum necessario *credo:* Manet enim, ut supra diximus, quod possum intellectu meo apprehendere ut bonum, saltem apparens, tum ipsum *credere,* tum ipsum *non credere;* et ideo manet quod voluntas mea libere unum præ alio imperare potest.

3°/ ex eo quod veritas revelata appareat forte *evidens in attestante.*

Ita si perfecte mihi evidens esset tum Deum in loquendo errare non posse, tum illum esse locutum, ipsam veritatem sic mihi manifestatam necessario admittere deberem ob hanc evidentiam in attestante, adeoque fide aliqua late dicta quam scientificam seu historicam dicunt, ast non ideo cogerer præstare assensum fidei *stricte dictæ* formaliter np. *propter Auctoritatem Dei;* ut plenius explicatur ad III.

III. Fides nostra divina ordinarie est libera quatenus valeo etiam negare vel in dubium revocare veritatem revelatam.

Duo hic sunt explicanda:

1. Interdum homo veritatem a Deo revelatam negare non valet. Quod contingit *dupliciter:*

a/ ubi veritas illa revelata est ipsi simul aliunde *intrinsece* et *perfecte evidens;*

b/ ubi veritas illa est plane *evidens in attestante.*

---

simul credere (cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 478 s.); quidquid autem circa hanc quæstionem teneas, manet semper te non ideo *cogi* ad *credendum.*

2. Tamen **ordinarie**, veritates revelatas a Deo et fidei nostræ propositas negare valeo; etenim ordinarie

a/ deerit *perfecta evidentia intrinseca*, et simul

b/ deerit *perfecta illa evidentia in attestante* quæ possibilitatem negandi veritatem tolleret.

Juvat paulisper hoc III latius evolvere:

1°/ Ut diximus sub II, homini *semper* liberum est veritati a Deo revelatæ adhærere vel non adhærere *formaliter propter Auctoritatem Dei*. Ast non ideo potest hanc veritatem ipsam simpliciter *negare*. Ita

a/ si veritas a Deo revelata esset *intrinsece* et *perfecte evidens* mihi, scil. si ipse proprio lumine mentis ita veritatem propositionis perspicerem, ut mihi sit impossibile *omne* dubium, etiam *imprudens* et irrationabile, — puta si Deus revelaret $2 + 2 = 4$, — non valerem sane hanc veritatem *negare*, seu cogerer ad admittendam veritatem illam, — non tamen cogerer ad admittendam illam formaliter propter Auctoritatem Dei (supra);

b/ Item si *perfecte* mihi evidens esset Deum in loquendo esse infallibilem, et simul Deum illum talem veritatem, puta Incarnationem Verbi, revelasse, — eo ipso, posita quæstione: Utrum Verbum sit incarnatum, jam non valerem *negative* respondere, sed physice cogerer affirmare Verbum esse incarnatum (1). Et *ratio* philosophica rei videtur in promptu esse: Ubi agitur de admittenda vel neganda propositione cujus veritatem vel falsitatem intellectus ipse nec proprio lumine nec juvantibus sensibus perspicit, — necessario requiritur interventus voluntatis quæ intellectui assensum imperet (2). Voluntas utique nostra gaudet *libertate;* ast conditio et radix hujus libertatis in eo est quod intel-

---

(1) Sane possem quæstioni *non respondere*, illam relinquere insolutam, mentem ab illa avertere; sed si sincero animo quæstioni responsum dare volo, nonnisi affirmativnm dare valerem.

(2) Quam immerito diceres voluntatis interventui tunc tantum locum esse ubi agitur de admittendis veritatibus *ordinis practici*, non autem ubi de veritatibus *ordinis mere speculativi*.

lectus duos actus inter quos eligendum esset, puta *amare* et *non amare*, *amare* et *odisse, credere* et *non credere, admittere* et *negare* aliquam propositionem, etc., — sub vario respectu consideratos, valeat voluntati exhibere qua *bonos*. Quod si intellectus actum aliquem *unice qua bonum* apprehendere et proponere valeat, ita ut nulla ratione etiam actum oppositum qua bonum exhibere valeat, eo ipso voluntas inter duo bona opposita eligere non valebit, sed necessario illud unicum bonum prosequetur. Jamvero quanam ratione possem intellectu meo excogitare bonum esse quod *negarem* propositionem quæ mihi *perfecte* appareret connexa cum evidenti indicio extrinseco veritatis? Cogita B. Mariam Virginem relate ad mysterium Incarnationis, de quo evidenti miraculo in seipsa operato ipsi constabat a Deo dictata fuisse verba Angeli: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. — Cogita Apostolos qui miracula plane indubia patrari oculis suis videbant in confirmationem Divinitatis quam Christus sibi tribuebat. Potuissent utique attentionem ab illis *avertere;* vel *dicere verbis* se non admittere sic testificata; ast proprie *negare* non videntur potuisse. Similiter si quovis modo alius homo deveniret ad eam evidentiam infallibilitatis divinæ et facti locutionis divinæ, non posset jam, ut videtur, *negare* veritatem sic ipsi manifestatam.

Ast nota, ut jam diximus supra, non inde tolli *libertatem* fidei *stricte dictæ*: etenim admittere veritatem ideo quia tibi constat testimonium de facto verum continere, seu « propter deductionis legitimitatem et vim » (1), non est fides stricte dicta, sed late dicta, quam fidem historicam aut scientificam vocant; ab hac, fides stricte dicta distinguitur eo quod præstatur formaliter propter auctoritatem testis, in casu: Dei (2).

(1) Ill. Waffelaert, apud *Collat. Brug.*, t. III, p. 6.
(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 259 ss.

2°/ Diximus, sub III, 2°, ordinarie manere hominibus libertatem physicam negandi veritates a Deo revelatas. Etenim de facto

a/ admodum raræ sunt veritates revelatæ quarum veritas ea *intrinseca evidentia perfecta* menti affulget ut tollatur omnis possibilitas dubitandi etiam irrationabiliter; unde ex hac saltem parte intellectus non solet vi ineluctabili determinari ad assensum (1). Ulterius

b/ admodum rari sunt homines quibus veritates revelatæ apparent *perfecte evidentes in attestante:* etenim, exceptis nonnullis supra citatis, puta B. M. V., Apostolis, aliisve forte, communi hominum generi relinquitur possibilitas dubitandi, dubio imprudenti et irrationabili, de præambulis fidei, nim. aliquousque de existentia et Auctoritate Dei, sed potissimum de facto revelationis. Unde valent homines communiter, non obstante certitudine stricte dicta qua hæc duo constare possunt, libere et culpabiliter inhærere variis dubiis etsi imprudentibus, et hac ratione devenire ad negandam vel in dubium revocandam veritatem ipsam revelatam (2).

*
* *

Ex his tribus libertatis rationibus, secunda, eaque sola, est essentialis fidei stricte dictæ. Etenim, notione sua essentiali, *fides stricte dicta* est assensus alicui veritati præstitus formaliter propter Auctoritatem testantis. Jamvero secunda libertatis ratio præcise in eo est quod voluntas libere valet determinare intellectum ad præstandum assensum veritati formaliter propter auctoritatem divinam. A libera voluntate imperante pendet quod intellectus veritati adhæreat propter hanc auctoritatem vel ei non adhæreat propter hanc auctoritatem (3).

A. Vander Heeren.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 478 s., ubi de *obscuritate* fidei, ratione objecti sui materialis.

(2) *Ibid.*

(3) De interventu voluntatis in varios assensus intellectus, lege egregium articulum in *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques,* 1910, pp. 438: *Volonté et Foi,* auct. A. De Poulpiquet, O. P.

Aliénations d'objets d'art.

I.

Documents de Jurisprudence.

1.

Tribunal civil de Termonde (1).
29 avril 1910.

ÉGLISES. — OBJETS D'ART. — VENTE SANS AUTORISATION DU ROI. — MANDAT. — NULLITÉ.

Il est interdit à une fabrique d'église de vendre sans autorisation du Roi des stalles placées dans l'église depuis un siècle, lorsque le pouvoir central n'a pas apprécié le mérite de ces objets ou lorsqu'il conste de leur valeur artistique (arr. roy. du 16 août 1824). *Pareille vente est annulable et la fabrique, personne protégée par la loi, peut en invoquer la nullité.*

L'acheteur peut être condamné à restituer, contre remboursement du prix payé par lui, les choses vendues et déjà livrées.

(WACKENS, — C. FABRIQUE D'ÉGLISE SAINT-MARTIN, A ALOST).

JUGEMENT.

LE TRIBUNAL ; — Attendu que, par convention verbale du 7 juin 1907, le demandeur a acheté de M. Van Laere, trésorier de la fabrique de l'église Saint-Martin, à Alost, moyennant le prix de 1,200 francs, vingt-quatre stalles et frontons en chêne sculpté ;

Que, le 15 juin 1907, il a payé un acompte de 600 francs et emporté une partie des stalles vendues ;

Attendu que le demandeur ne prenant pas livraison des autres stalles, celles-ci ont été cédées en 1909 à un antiquaire de Bruxelles ;

(1) Pasicr. III, 291 ss.

Attendu que le demandeur, après avoir sommé la défenderesse de le mettre en possession du restant des stalles dont il s'agit, poursuit actuellement la résolution de la vente et réclame la somme de 7,000 francs à titre de dommages-intérêts ;

Attendu que la défenderesse oppose à l'action qui lui est dictée deux moyens principaux :

Elle dénie d'abord avoir vendu au demandeur les stalles dont il s'agit ou avoir autorisé qui que ce soit à les vendre en son nom ;

Elle objecte ensuite qu'il s'agit dans l'espèce d'objets d'art qui, aux termes de l'article 5 de l'arrêté royal du 16 août 1824, ne peuvent être vendus par le bureau des marguilliers que moyennant une délibération régulière de la fabrique d'église, approuvée par arrêté royal ; que ces formalités n'ayant pas été observées, la vente est nulle à son égard ;

Quant au premier moyen :

Attendu que si on ne produit aucune délibération par laquelle la fabrique d'église décide de vendre les stalles litigieuses, il n'en est pas moins certain que cette vente a eu lieu en vertu d'un mandat tacite au trésorier M. Van Laere ;

Attendu, en effet, qu'il n'est pas contesté que l'acompte de 600 francs, payé par le demandeur, a été réellement versé dans la caisse de la défenderesse ; qu'il est permis d'affirmer que les fabriciens n'ont pas ignoré que ces stalles étaient déposées dans une dépendance de l'église, qu'elles étaient à vendre et qu'elles ont été réellement vendues et partiellement livrées ;

Qu'il est établi que les stalles ont été enlevées du chœur de l'église à la demande de la défenderesse, et que celle-ci, connaissant les engagements pris en son nom, les a approuvés ;

Qu'il en résulte que le premier moyen opposé à la demande n'est pas fondé ;

Quant au second moyen :

Attendu qu'aux termes de l'article 5 de l'arrêté royal du 16 août 1824 on ne peut, sans autorisation royale, détacher, emporter ou aliéner des objets d'art ou monuments historiques placés dans les églises, de quelque nature qu'ils soient, ou en disposer en aucune manière ;

Attendu qu'il est constant au procès que l'aliénation dont il s'agit a été effectuée sans que l'on eût obtenu ou même sollicité le consentement de l'autorité visée à l'article 5 précité ;

Que, dès lors, la vente est annulable et que la défenderesse, en sa qualité de personne protégée par la loi, est en droit d'invoquer cette nullité ;

Attendu que la partie demanderesse soutient vainement qu'il s'agit, dans l'espèce, d'objets pour l'aliénation desquels aucune formalité administrative n'est exigée ;

Qu'il importe, en effet, de remarquer que ces stalles avaient servi à l'ornementation du chœur de l'église Saint-Martin depuis le commencement du siècle dernier jusqu'à ce jour, et que, par conséquent, le pouvoir central avait le droit d'apprécier leur mérite et de statuer sur leur sort ;

Attendu, d'ailleurs, que les termes de l'article 5 sont généraux, et que rien ne permet d'en restreindre l'application aux seuls objets d'art dont le mérite artistique s'impose à tous les connaisseurs (Gand, 23 décembre 1898, *Fl. jud.*, 1899, p. 212 et 215 ; *Belg. jud.*, 1899, col. 199 et la note ; Pasic., 1899, II, 297) ;

Attendu qu'il n'est pas sans intérêt de faire remarquer que l'arrêté de 1824 a été pris, ainsi qu'il résulte des travaux préparatoires, précisément pour empêcher que les objets qui servent à l'ornementation des églises ne soient enlevés sous prétexte qu'ils ne présentent aucune valeur artistique, et ne prennent, sans contrôle, le chemin de la brocante ;

Que, d'ailleurs, le demandeur, en soutenant qu'il s'agit dans l'espèce d'objets insignifiants, semble perdre de vue que le prix de vente s'élève à 1,200 francs, et qu'il réclame la somme de 7,000 francs à titre de dommages-intérêts ;

Attendu qu'il résulte des considérations qui précèdent qu'il s'agit, dans l'espèce, d'objets d'art au sens de l'arrêté de 1824 ; que, partant, la vente invoquée ne lie pas la défenderesse et qu'il y a lieu d'en prononcer la nullité ;

Quant aux dommages-intérêts réclamés par la défenderesse :

Attendu qu'elle ne justifie d'aucun préjudice subi ;

Attendu que les parties ne sont pas d'accord sur la valeur des objets enlevés par le demandeur ;

Par ces motifs, ouï M. Wouters, substitut du procureur

du Roi, en son avis conforme, donne acte au demandeur de ses réserves, et écartant toutes conclusions plus amples ou contraires comme non fondées, annule la convention verbale de vente du 7 juin 1907, invoquée par le demandeur à l'appui de son action; en conséquence, ordonne au demandeur de restituer à la défenderesse, dans les huit jours de la signification du présent jugement, contre remboursement de la somme de 600 francs, les stalles et accessoires dont il a pris livraison; dit qu'à défaut de ce faire il sera tenu d'en payer la valeur telle qu'elle sera déterminée par le tribunal; renvoie, à cette fin, la cause à l'audience du 29 avril 1910; réserve les dépens.

Du 29 avril 1910. — Tribunal civil de Termonde. — *Prés.* M. Vanderlinden, président. — *Pl.* MM. Jules Eyerman et Émile Limpens.

2.

Tribunal correctionnel de Hasselt (1).
20 mars 1910.

CURÉ. — VENTE SANS AUTORISATION. — ÉGLISE. — OBJETS D'ART.

Attendu qu'il est établi par l'instruction faite à l'audience que l'inculpé a, à...., dans le courant du mois de Septembre 1908, sans avoir le consentement de l'autorité compétente, vendu quatre piliers étant des œuvres d'art ou des monuments historiques appartenant à la fabrique d'église démolie de cette paroisse;

Attendu que pareil fait est défendu par l'art. 5 de l'arrêté du 16 Août 1824;

Qu'à vrai dire ces piliers n'avaient pas été replacés dans la nouvelle église de...., et que, depuis la démolition de l'ancienne église, ils avaient été déposés dans le cimetière et en partie dans la cave d'un habitant de....;

Mais que cette circonstance ne peut avoir pour effet de rendre inapplicable l'art. 5 précité;

Que le but et le sens de cet article sont parfaitement

(1) *Mémorial administratif, partie générale*, 1910, n° 18, p. 180 ss.

déterminés par le préambule de l'arrêté du 16 Août 1824, puisque ce préambule rappelle *in terminis* aux administrations d'église « qu'elles n'ont que la direction des biens de l'église et que leurs actes ne peuvent s'étendre au delà de ceux de pure administration. » Que la disposition des œuvres d'art ou des monuments historiques étant en tout cas interdite aux administrations d'église sans le consentement de l'autorité compétente, la question de savoir où se trouvent ces objets est irrelevante, pour ce qui concerne l'application de l'art. 5 précité;

Attendu que le fait prévu par la prévention doit être puni suivant l'art. 1 de la loi du 6 Mars 1818;

accurate notat, imo pro opportunitate emendat, et in notis subjectis, ubi aliam doctrinam docerent quam ipsis S. Alphonsus aliive tribuerunt, veram eorum doctrinam indicat. Quod quam utile esse debeat circa doctrinam antiquorum investiganti, nemo non videt. — Revera, teste Edit., hac in re *errores* sat frequentes in Alphonsi Theologiam irrepserunt, quas tamen Editor variis rationibus aut ipsi S. Alphonso abjudicare aut saltem excusare et explicare conatur. Quem in finem Editor, variis exemplis ex operibus tum sæcularium tum regularium theologorum, satis fuse ostendit etiam cæteros AA. in his errare posse; præsertim vero errores Ballerinii carpit, lectoresque monet ne facile huic auctori fidem præbeant. — Notis tandem marginalibus lectionem S. Alphonsi faciliorem reddit.

Non possumus quin hanc editionem, — cujus hucusque tria volumina in lucem prodierunt, et quartum ultimumque paratur, — lectoribus enixe commendemus.

A. VANDER HEEREN.

R. P. Malou, S. J. *Exercices du Chemin de la Croix* pour les huit jours d'une retraite et pour les différents temps de l'année ecclésiastique. Bruges, Beyaert, 1910. In-24, IV-324 p. Fr. 1. Par 12 ex.: 0,80.

Chaque exercice comprend, outre les prières usuelles, une ou plusieurs pensées tirées des Exercices spirituels de St Ignace, ad verbum aut ad mentem, et mises en relation avec les Stations du Chemin de la Croix. Comme son titre l'indique, l'opuscule a été composé *pour les huit jours d'une retraite et pour les différents temps de l'année ecclésiastique;* l'auteur a ajouté trois chemins de Croix pour les trois jours d'une retraite de vocation.

L'auteur a voulu simplement suggérer quelques idées et quelques sentiments, il laisse à ses lecteurs le soin de *faire l'exercice* du Chemin de la Croix. Nous pensons que pour le grand nombre ce recueil d'exercices sera d'un précieux secours.

P. Hattler, S. J. *De Eerekrans van 't H. Hert van Jesus. Verklaring der Litanie van 't H. Hert van Jesus.* In 't Vlaamsch vertaald door **C. De Jonghe.** Brugge, Boekhandel L. Lescrauwaet, 1910. Twee boekdeelen kl.-8° van omtrent 760 bladz. Fr. 4.

De duitsche Jesuiet Pater HATTLER, onlangs gestorven, staat bekend als een der beste godvruchtige schrijvers voor het volk, en wel bijzonder als de schrijver van de godsvrucht tot het H. Hert van Jesus. Zelfs in zijne boekjes, waar hij niet rechtstreeks handelde over het goddelijk Hert, onder meer *Die H. Communion* en *Das hochheilige Meszopfer*, wist hij alles te richten tot de liefde van het H. Hert. Vele volkswerkjes schreef hij over deze godsvrucht zelf, zoo eenvoudig, zoo gemoedelijk, 'k zou zeggen: zoo smakelijk.

De Eerekrans van 't H. Hert van Jesus is eene verklaring van de Litanie van 't H. Hert: hier vinden we gezonde lezing voor het christenvolk en degelijke stoffe voor prediking. Derhalve heeft E. H. De Jonghe door deze vertaling een grooten dienst bewezen vooral aan de Priesters: moge zij bij velen toegang vinden!

P. Remaclus Moonen, O. F. M. *Leven en deugden van den Dienaar Gods, den Z. E. P. Valentinus Paquay, Minderbroeder.* Mechelen, S. Franciscus' drukkerij, 1910. In-8, 398 bl.

« In dezen tijd van weelde en genotzucht, van weekelijkheid en zedelijke inzinking der karakters, waar het drieste naturalismus zelfs de bedienaars en de vertegenwoordigers van het bovennatuurlijke aan te tasten dreigt, schijnt God sommige mannen uitverkozen te hebben, om in hen de godsvrucht, de genadekracht, en den waren christengeest op buitengewone en wondere wijze te doen herleven » (bl. 10), en hen aldus tot voorbeeld te zetten aan de zwakke wereld. Zulk een voorbeeld vinden we voorzeker in het leven van *het heilig Paterke van Hasselt* (1828-1905). Zooals de heilige Joannes Berchmans, dien hij zich tot bijzonderen patroon verkozen had, — « Berchmanske » zegde hij gewoonlijk, — heeft hij zich geheiligd door een volmaakte getrouwheid aan het gewone leven: *Communia non communiter.*

We hebben dit boek met veel smaak gelezen: het zal, we twijfelen er niet aan, veel goed stichten bij het christenvolk, en ook bij de priesters, want gedurende vijftig jaren was P. Valentinus een voorbeeld van priesterlijk leven en priesterlijken arbeid.

Eucharistisch Congres te Rousselare. *Verslagen. Verslag der Besprekingen, Besluiten.* Rousselare, J. De Meester. Twee boekdeelen in-8, 192 en 138 bl. Fr. 3.

Nu het tweede deel uit de pers gekomen is, mogen we de twee boekdeelen aan onze lezers warm aanbevelen. Voor allen die ons overheerlijk Congres mochten bijwonen, zullen deze bladzijden een blijvende gedachtenis en herinnering wezen; voor de anderen zullen ze ook belangstelling verwekken. Mochten we soms die verslagen en besprekingen lezen en herlezen, om nieuwe gedachten op te doen of om slapende gedachten en voornemens wakker te schudden, en, waar het past, een of ander besluit van 't Congres in werking te brengen.

R. P. Alphonse de la Mère des Douleurs, C. D. *Pratique de l'Oraison mentale et de la Perfection d'après Sainte Thérèse et Saint Jean de la Croix.* T. III. Première partie. Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie, [1910]. In-12, 400 p. Fr. 3.

Nous avons signalé et recommandé les deux premiers volumes de cet ouvrage (t. XV, p. 201 et 255). Le tome troisième traite de l'*Oraison d'af-*

fection, appropriée à *la voie illuminative*. Dans *la voie purgative* la méditation ou Oraison de discours prédomine, parce que l'âme, absorbée par les occupations extérieures, par les distractions des sens et des passions, éprouve de la difficulté à se recueillir pour se rapprocher de Dieu. Dans *la voie illuminative* au contraire les pieuses affections prévalent, parce que l'âme déjà plus détachée se recueille plus facilement pour s'entretenir avec Dieu, lui exprimer son amour et son désir de lui plaire par la pratique de toutes les vertus, dont elle produit les actes intérieurs dans l'oraison affective.

Ce tome troisième ne contient que la première partie de la voie illuminative. Voici la matière traitée: Les degrés de l'oraison d'affection; les personnes d'oraison dans la voie illuminative: la purification des passions. Nous avons trouvé dans ce volume des aperçus très lumineux sur les oraisons surnaturelles, et en même temps des avis très précieux sur le recueillement et l'oraison ordinaires, c'est-à-dire auxquels nous pouvons parvenir par nos propres efforts, aidés de la grâce divine.

H. M.

J. Mahieu. *De Eerste H. Communie der Kinderen. Pauselijk Decreet en Bisschoppelijke Onderrichtingen.* Brugge, Beyaert, 1911, vol. in-12, 108 bladz. — Prijs: 0,50 c. per 25 ex. 0,40.

Het nieuw Decreet van 8 Augusti 1910 brengt een geheelen omkeer in onze gedachten en gebruiken. Het is dan niet te verwonderen dat het bij ons christenvolk eene niet geringe opschudding verwekt heeft. Doch, het moet gezegd, velen hebben het Decreet maar oppervlakkig gelezen of van verre iets daar over gehoord. Voor hen en voor alle christenen die willen juist weten wat de Paus en de H. Kerk leeren en vragen, worden in dit boekje *Het Decreet en de Onderrichtingen onzer Bisschoppen* duidelijk en grondig toegelicht en verklaard.

Deze uitlegging is gemaakt eerst en vooral *voor de priesters,* wien het meest toekomt het nieuw Decreet toe te passen en uit te voeren. Hier vinden ze leiding voor persoonlijke werking en tevens stoffe voor onderwijzing van 't christen volk en van de kinderen.

Het boekje steunt met nadruk op het recht en de plichten *van ouders en meesters,* hun door het Decreet toegekend en opgelegd. Zij zullen willen dat recht en die plichten kennen, om te kunnen doen wat de Paus en de Bisschoppen vragen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii.

—

I

Quid importat corporum resurgentium *incorruptibilitas?*

II

An, quousque et quare, mortuo S. Pontifice, ipso facto cessarent a facultates dispensandi matrimoniales, quas a S. Sede obtinuit Episcopus; b/ rescripta dispensationis a S. Sede in forma commissoria ac nondum executioni mandata?

III

An, quousque et quare, defuncto Episcopo, desinerent ipso facto a facultates, sive ordinariæ sive delegatæ, Ipsi competentes; b/ rescripta Romana nondum executionem nacta; c/ facultates parochis aut Confessariis delegatæ; d/ dispensationes ab Episcopo concessæ in forma commissoria et nondum executioni data?

IV

Expone quid sit spiritus fidei et quantum conferat ad perfectionem vitæ spiritualis.

V

Quels sont les principes qui doivent être appliqués lorsqu'il s'agit d'accorder ou de refuser la sépulture ecclésiastique et les funérailles religieuses?

VI

Au Dimanche de la Passion la rubrique du Missel dit « ante Vesperas cooperiuntur cruces et imagines ». De quelles croix et images s'agit-il? Comment faut-il les voiler? Quelle semble être la raison de cette prescription?

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Camerlynck. *Compendium Introductionis Specialis in S. Sam.* Pars prior, XII-128 p. Fr. 1,75.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

*
* *

Kerkzangboekje *ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk* bevattende de Misgebeden en Misgezangen, de Mis voor de Overledenen, de meest gebruikelijke Lofzangen en Psalmen, met een vlaamsche vertaling; 58 bl. druk, muziek en tekst.

Prijsvoorwaarden.

van 1 tot 10 ex.	0,15 fr.
van 10 » 25 »	0,12 »
25 ex. en meer	0,10 »

Enkel verkrijgbaar bij M. L. LESCRAUWAET, Boekhandelaar, Oudenburgstraat, 29, Brugge.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

EPISTOLÆ PII PP. X

circa quæstionem de ecclesiis orientalibus ad catholicam unitatem revocandis.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X EPISTOLÆ AD ARCHIEPISCOPOS DELEGATOS APOSTOLICOS BYZANTII, IN GRÆCIA, IN ÆGYPTO, IN MESOPOTAMIA, IN PERSIA, IN SYRIA ET IN INDIIS ORIENTALIBUS CONSIDENTES QUA VULGATUM SCRIPTUM QUODDAM REPROBATUR CIRCA QUÆSTIONEM DE ECCLESIIS AD CATHOLICAM UNITATEM REVOCANDIS.

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem! Ex quo, nono labente sæculo, Orientis gentes ab unitate Ecclesiæ catholicæ cœperunt avelli, vix dici potest quantum a viris sanctis adlaboratum sit, ut dissidentes fratres ad ejus gremium revocarentur. Præ ceteris vero Summi Pontifices, Decessores Nostri, pro eo quo fungebantur munere, fidem et unitatem ecclesiasticam tuendi, nil intentatum reliquerunt, ut qua paternis adhortationibus, qua publicis legationibus, qua solemnibus conciliis, funestissimum dissidium tolleretur, quod Occidenti quidem in mœrorem cessit, Orienti vero grave intulit damnum. Hujus sollicitudinis testes sunt, ut paucos tantum recenseamus, Gregorius IX, Innocentius IV, Clemens IV, Gregorius X, Eugenius IV, Gregorius XIII, et Benedictus XIV (1). Sed neminem latet, quanto animi sui studio nuperrimo tempore Decessor Noster felicis recordationis Leo XIII, Orientis gentes invitaverit ut Ecclesiæ Romanæ iterum consociarentur. « Nos quidem

Orientalibus ecclesiis ad unitatem revocandis allaborarunt multi, præsertim Romani Pontifices,

signanter Leo XIII,

(1) Const. « Nuper ad nos », 16 Mart. 1743, aliam fidei professionem Orientalibus præscripit.

certe (inquit) (1), pervetusta Orientis gloria, et in omne genus hominum fama meritorum ipsa recordatione delectat. Ibi enim salutis humani generis incunabula, et christianæ sapientiæ primordia; illinc omnium beneficiorum, quæ una cum sacro Evangelio accepimus, velut abundantissimus amnis in Occidentem influxit... Atque hæc Nobiscum in animo considerantes, nihil tam cupimus atque optamus, quam dare operam, ut Oriente toto majorum virtus et magnitudo reviviscat. Eoque magis, quod illic humanorum eventuum is volvitur cursus, ut indicia identidem appareant, quæ spem portendant, Orientis populos, ab Ecclesiæ Romanæ sinu tam diuturno tempore dissociatos, cum eadem aliquando in gratiam, aspirante Deo, redituros. »

Nos ipsi.

Nec minori sane desiderio Nos ipsi, Ven. Fratres, quod probe nostis, tenemur, ut cito dies illucescat, tot anxiis sanctorum virorum votis exoptatus, quo penitus a fundamentis subvertatur murus ille, qui duos jamdiu dividit populos, atque his uno fidei et caritatis amplexu permixtis, pax invocata tandem aliquando refloreat, fiatque unum ovile et unus pastor (2).

Mœroris causam præbuerunt in recenti diario vulgati *errores theologici et historici:*

Nobis tamen hæc animo revolventibus, gravis mœroris occasionem nuperrime præbuit scriptum aliquod, in recens condito diario « Roma e l'Oriente » evulgatum, cui titulus « Pensées sur la question de l'union des Églises ». Enimvero tot iisque tam gravibus erroribus, non modo theologicis, verum etiam historicis, scriptum illud scatet, ut vix possit major cumulus paucioribus paginis contineri.

de processione S. Spiritus,

de purgatorio et Immaculata conceptione B. M. V.,

de Ecclesiæ constitutione

Nimirum, ibi non minus temere quam falso huic opinioni fit aditus, dogma de processione Spiritus Sancti a Filio haudquaquam ex ipsis Evangelii verbis profluere, aut antiquorum Patrum fide comprobari; — pariter imprudentissime in dubium revocatur, utrum sacra de Purgatorio ac de Immaculata Beatæ Mariæ Virginis Conceptione dogmata a sanctis viris priorum sæculorum agnita fuerint; cum vero de Ecclesiæ constitutione incidit sermo, primo renovatur error

(1) Allocutio « Si fuit in re », 13 Dec. 1880, ad S. R. E. Card., in Æd. Vat.; Act., vol. II, p. 179; Cf. etiam Ep. Ap. « Præclara Gratulationis », 20 Jun. 1894; Act. vol. XIV, p. 195.

(2) Joan. X, 16.

a Decessore Nostro Innocentio X (1) jamdiu damnatus, quo suadetur S. Paulum haberi tamquam fratrem omnino parem S. Petro; — deinde non minori falsitate injicitur persuasio, Ecclesiam catholicam non fuisse primis sæculis principatum unius, hoc est monarchiam; aut primatum Ecclesiæ Romanæ nullis validis argumentis inniti. — Sed nec ibidem intacta relinquitur catholica doctrina de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, cum præfracte docetur, sententiam suscipi posse, quæ tenet, apud Græcos verba consecratoria effectum non sortiri, nisi jam prolata oratione illa quam epiclesim vocant, cum tamen compertum sit Ecclesiæ minime competere jus circa ipsam sacramentorum substantiam quidpiam innovandi; — cui haud minus absonum est, validam habendum esse Confirmationem a quovis presbytero collatam (2).

et regimine monarchico,

de SS. Eucharistia,

et confirmatione;

Vel ex hoc errorum summario, quibus refertum est illud scriptum, facile intelligitis, Venerabiles Fratres, gravissimum offendiculum omnibus ipsum perlegentibus allatum fuisse, et Nos ipsos magnopere obstupuisse, catholicam doctrinam, non obtectis verbis adeo procaciter perverti, pluraque ad historiam spectantia, de causis orientalis schismatis, a vero audacter nimis detorqueri. Ac primum quidem falso in crimen vocantur sanctissimi Pontifices Nicolaus I et Leo IX, quasi magna dissensionis pars illius debeatur superbiæ et ambitioni, hujus vero acribus objurgationibus; perinde ac si prioris vigor apostolicus in sacrosanctis juribus tuendis superbiæ sit tribuendus; alterius autem sedulitas in coërcendis improbis vocari velit crudelitas. Historiæ quoque jura conculcantur cum sacræ illæ expeditiones, quas cruciatas vocant, tamquam latrocinia traducuntur; aut cum, quod etiam gravius est, Romani Pontifices incusantur, quasi studium, quo conati sunt Orientis gentes ad conjunctionem cum Ecclesia Romana vocare, dominandi cupiditati sit adscribendum, non apostolicæ sollicitudini pascendi Christi gregis.

necnon de schismatis causis,

de Nicolao I et Leone IX,

de expeditionibus cruciatis,

de Romanorum Pontificum dominandi cupidine;

Nec stuporem addidit levem quod in eodem scripto adse-

(1) Decr. Congr. gen. S. R. et U. Inquis., 24 Jan. 1647.

(2) Cf. Bened. XIV, Constitut. « Etsi pastoralis », pro Italo-græcis, 26 Maii 1742, ubi dicit irritam nunc fore confirmationem a simplici presbytero latino ex sola episcopi delegatione collatam.

præterea de causis unionis in concilio Florentino,

et de æcumenicitate conciliorum post octavum.

ritur, Græcos Florentiæ a Latinis coactos fuisse ut unitati subscriberent, aut eosdem argumentis falsis inductos, ut dogma de processione Spiritus Sancti etiam a Filio susciperent. Quin etiam eo usque proceditur, ut historiæ juribus conculcatis, in dubium revocetur, utrum Generalia Concilia, quæ post Græcorum discessionem celebrata sunt, hoc est ab octavo ad Vaticanum, tamquam œcumenica vere sit habenda; unde hibridæ cujusdam unitatis ratio proponitur, id solum ab utraque ecclesia deinceps agnoscendum tamquam legitimum, quod commune patrimonium fuerit ante discessionem, ceteris, tamquam supervacaneis et forte spuriis additamentis, alto silentio pressis.

Hæc vobis significamus a Nobis reprobari, ut populis vestris consulatis.

Hæc vobis, Venerabiles Fratres, significanda duximus, non solum ut sciatis memoratas propositiones atque sententias falsas, temerarias, a fide catholica alienas a Nobis reprobari, sed etiam ut quantum in vobis est, a populis vigilantiæ vestræ commissis tam diram luem propulsare conemini, omnes adhortando, ut in accepta doctrina permaneant, neve alteri unquam consentiant, licet... angelus de cælo evangelicet (1). Simul tamen enixe oramus, ut eos persuasos faciatis, nihil Nobis antiquius esse, quam ut omnes bonæ voluntatis homines vires indefesse exerant, quo concupita unitas citius obtineatur, ut in una fidei catholicæ professione, sub uno pastore summo adunentur, quas discordia dispersas retinet oves. Quod facilius quidem continget, si ad Spiritum Sanctum Paraclitum, qui « non est dissensionis Deus, sed pacis » (2), fervidæ ingeminentur preces: inde enim fiet ut Christi votum impleatur, quod ante subeundos extremos cruciatus cum gemitibus expressit (3): « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint. »

Vehementer cupimus unitatem ovilis.

Ad hoc oportet ut oremus.

retineatur fides recta,

Denique hoc omnes in animum inducant suum, incassum omnino in hoc opere adlaborari, nisi imprimis recta et integra fides catholica retineatur, qualis in Sacra Scriptura, Patrum traditione, Ecclesiæ consensu, Conciliis Generalibus, ac Summorum Pontificum decretis est tradita et consecrata.

---

(1) Gal.. I, 8.
(2) I Cor. XIV, 33.
(3) Joan. XVII, 21.

Pergant igitur quotquot contendunt causam tueri unitatis: pergant fidei galea induti, anchoram spei tenentes, caritatis igne succensi, sedulam in hoc divinissimo negotio navare operam; et pacis auctor atque amator Deus, cujus in potestate posita sunt tempora et momenta (1), diem accelerabit quo Orientis gentes ad catholicam unitatem exsultantes sint redituræ, atque huic Apostolicæ Sedi conjunctæ, depulsis erroribus, salutis æternæ portum ingressuræ.

strenue laborent omnes.

Has Nostras litteras, Venerabiles Fratres, in linguam vernaculam regionis unicuique vestrum concreditæ diligenter translatas evulgare curabitis. Dum porro vos certiores facere gaudemus, dilectum Auctorem scripti inconsiderate, sed bona fide ab ipso elucubrati, sincere et ex corde coram Nobis adhæsisse doctrinis in hac epistola expositis, et cuncta quæ Sancta Sedes Apostolica docet, rejicit et condemnat, et ipsum, Deo adjuvante, usque ad ultimum vitæ finem docere, rejicere et condemnare esse paratum, divinorum auspicem munerum, Nostræque benevolentiæ testem Apostolicam Benedictionem Vobis peramanter in Domino impertimus.

Harum litterarum versio vulgetur.

Auctor scripti sincere se submisit.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXVI mensis Decembris, anno MCMX, Pontificatus Nostri octavo.

PIUS PP. X.

(1) Act., I, 7.

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVI, pag. 17).

PARS ALTERA.

De unione beatorum cum Deo in patria cœlesti.

QUÆSTIO VIII.

QUID DE VISIONE BEATIFICA DEFINIVERIT ECCLESIA. QUID DE BEATITUDINE ET VISIONE DEI GENERATIM DOCEANT THEOLOGI.

61. In his quæstionibus majori adhuc quam in præcedentibus modestia atque prudentia opus est, necnon lumine Spiritus sancti, quod toto cordis affectu ac humillima prece imploramus, cum ad ipsam medullam theologiæ stricte dictæ, nempe ad profunda Dei unius et trini, qualis in se est, utque finis est ac beatitudo nostra suprema, penetrare oportet, necnon ad Verbum incarnatum, utpote exemplar perfectum atque fastigium ordinis supernaturalis ac divini.

Deinde pauca habemus hac in re sive ab Ecclesia definita, sive in fontibus fidei declarata, scilicet in sacris Litteris consignata aut a sanctis Patribus explicata, saltem quæ modum rationemque illustrent quibus concipienda a nobis sit beatificans Dei visio.

Itaque, ut tuto procedamus, præprimis certa ab incertis secernamus, et ante oculos ponamus primo quidem quæ ab Ecclesia definita sunt, deinde vero

quæ satis communiter a Doctoribus et theologis saltem insignioribus tenentur.

62. Igitur de statu finalis beatitudinis hæc præcipua definivit Ecclesia:

1° Clemens V damnavit inter alios errores Beguardorum et Beguinarum (a. 1311, 1312): « 4. Quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata. » Et: « 5. Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante, ad Deum videndum et eo beate fruendum. »

2° Benedictus XII (Constit. *Benedictus Deus*, 4 Cal. Feb. 1336) definit inter alia, quod animæ sanctorum in cœlo « vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente, quodque sic videntes eadem divina essentia perfruuntur, necnon quod ex tali visione et fruitione eorum animæ, qui jam decesserunt, sunt vere beatæ et habent vitam et requiem æternam, et etiam illorum, qui postea decedent, cum eamdem divinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur ante judicium generale; ac quod visio hujusmodi divinæ essentiæ ejusque fruitio actus fidei et spei in eis evacuant, prout fides et spes propriæ theologicæ sunt virtutes; quodque postquam inchoata fuerit vel erit talis intuitiva ac facialis visio et fruitio in eisdem, eadem visio et fruitio sine aliqua intercisione seu evacuatione prædictæ visionis et fruitionis continuata extitit et continuabitur usque ad finale judicium et ex tunc usque in sempiternum. »

3° In Decreto unionis Græcorum concilii Florentini (Bulla Eugenii IV *Lætentur cœli*) hæc habentur: « Illorumque animas, qui post baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corpori-

bus, vel eisdem exutæ corporibus... sunt purgatæ, in cœlum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius (1). »

63. His præhabitis, jam brevi compendio ex S. Thoma, quem satis communiter sequuntur theologi, exhibemus doctrinam de beatitudine creaturæ et de visione Dei, tamquam fundamentum ulterioris disputationis de ratione ac modo unionis creaturæ intellectualis cum Deo in termino beato.

Primo quidem beatitudo objectiva, seu quantum ad causam et objectum, in nulla alia re consistit quam in summo increatoque bono, Deo (2). Beatitudo vero formalis, seu quantum ad essentiam suam, est aliquid creatum et in ipsa creatura existens, quod nihil aliud est quam adeptio vel fruitio ultimi finis seu ipsius objectivæ beatitudinis (3).

Hæc formalis beatitudo creaturæ intellectualis in operatione consistit, siquidem est ultima ejusdem creaturæ perfectio, quæ nequit esse potentia sed actus, potentia enim sine actu imperfecta est (4).

Porro eadem operatio seu conjunctio hominis cum bono increato ac possessio summi boni non potest esse nisi operatio partis intellectivæ (5). Imo actus intellectus sit oportet, per quem apprehenditur et possidetur summum bonum, siquidem eadem operatio est consecutio ultimi finis seu beatitudinis ; non vero actus voluntatis esse potest eadem consecutio finis, cum voluntas feratur in finem, tum absentem, per desiderium, tum præsentem, per delectationem. Uterque autem actus

---

(1) Eadem verbotenus inserta sunt Professioni fidei Græcis præscriptæ a Gregorio XIII, necnon Professioni fidei Orientalibus præscriptæ ab Urbano VIII et a Benedicto XIV.

(2) 1, 2, q. II.

(3) Ibid., q. III, a. 1.

(4) Art. 2.

(5) Art. 3.

non est consecutio finis : prior enim est motus in finem, alter est quies in fine, quæ ponit jam præsentiam finis, non vero eumdem facit præsentem (1).

Consistit ergo beatitudo essentialiter in contemplatione Dei, summæ Veritatis per essentiam seu substantialis (2); adeoque, in ordine præsenti, consistit in visione divinæ essentiæ (3), ut ex revelatione novimus, per ineffabilem unionem ad Deum, sicut ad objectum in quo solo beatitudo perfecta continetur.

Porro ex ipsa visione causatur in voluntate amor, et delectatio quæ concomitatur visionem (4), ita tamen ut principalior seu potior sit visio in beatitudine quam delectatio (5).

Concurrunt ergo tria ad beatitudinem seu consecutionem ultimi finis : essentialiter visio in intellectu, quæ in via ad finem respondet fidei ; concomitanter in voluntate, comprehensio (6) seu tentio finis, quæ respondet spei, et delectatio seu fruitio, quæ est quietatio amantis in amato (7).

Tandem de adeptione beatitudinis tractat S. Thomas in seq. q. V, ubi præcipue attendendi art. 5 et 6, in quibus exponit S. Doctor beatitudinem perfectam quæ in visione divinæ essentiæ consistit, nullam creaturam per sua naturalia adipisci posse, sed solo Deo agente.

64. De ipsa vero visione Dei, 1, q. XII, quam simul cum modo cit. q. V e 1, 2 utiliter conferes ac leges, statuit S. Thomas, primo, intellectum creatum posse videre Deum per essentiam (8), positis utique ponendis

(1) Art. 4.
(2) Art. 5-7.
(3) Art 8.
(4) Q. IV, a. 1
(5) Ibid., a. 2.
(6) Ne intelligas de visione comprehensiva, de qua infra, sed de prehensione seu tentione ac possessione finis, prout opponitur tendentiæ in finem per spem.
(7) Ead. q. IV, a. 3.
(8) 1, q. XII, a. 1.

de quibus infra. Secundo, non videri essentiam Dei per aliquam similitudinem seu speciem creatam (1). Quod quidem probat hoc modo: « Ad visionem tam sensibilem quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, et unio rei visæ cum visu. Non enim est visio in actu nisi per hoc quod res visa quodammodo est in vidente. Et in rebus quidem corporalibus apparet quod res visa non potest esse in vidente per suam essentiam, sed solum per suam similitudinem. Sicut similitudo lapidis est in oculo, per quam fit visio in actu, non autem ipsa substantia lapidis. Si autem esset una et eadem res, quæ esset principium visivæ virtutis et quæ esset res visa, oporteret videntem ab illa re et virtutem visivam habere et formam per quam videret. Manifestum est autem quod Deus et est auctor intellectivæ virtutis et ab intellectu videri potest. Et cum ipsa intellectiva virtus creaturæ non sit Dei essentia, relinquitur quod sit aliqua participativa similitudo ipsius qui est primus intellectus. Unde et virtus intellectualis creaturæ lumen quoddam intelligibile dicitur quasi a prima luce derivatum, sive hoc intelligatur de virtute naturali, sive de aliqua perfectione superaddita gratiæ vel gloriæ. Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visivæ potentiæ, qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum. Sed ex parte visæ rei, quam necesse est aliquo modo uniri videnti,

---

(1) Non excludit S. Thomas, ut e textu patebit, similitudinem ex parte subjecti videntis, per formalem quamdam convenientiam cum Deo et fundatam in aliqua unitate, ut loquitur Suarez (Tr. I *de div. subst.*, l. II, c. XV, n. 17), sed ex parte objecti similitudinem *repræsentativam* excludit seu speciem intelligibilem creatam. Quod ut intelligas, in memoriam revoca quomodo fit cognitio in creatura intellectuali. Angelus seipsum cognoscit sine specie, cum sit natura pure spiritualis et sibi præsens, alia cognoscit speciebus intelligibilibus a Deo impressis seu infusis. Homo pro natura sua, quamdiu anima est in corpore, nihil potest intelligere nisi per hoc quod intellectus qua agens seu vis abstractiva e speciebus sensu perceptis speciem intelligibilem efformet, quæ *impressa* dicitur, quoniam imprimitur in intellectu qua possibili, ita ut hic intellectus fiat in actu seu per speciem impressam actu attingat objectum et intelligat, seu exprimat in se conceptum objecti verbo mentis, quod et *species expressa* dicitur. Hoc loco S. Thomas de specie impressa loquitur; an vero et expressam seu verbum mentis creatum in visione beatorum excludat, difficilis quæstio est, de qua infra.

per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest. Primo quidem, quia. sicut dicit Dionysius, 1 de div. nom., per similitudines inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ. Multo igitur minus per speciem creatam quamcunque potest essentia Dei videri. Secundo, quia essentia Dei est ipsum esse ejus..., quod nulli formæ creatæ competere potest. Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo repræsentans videnti Dei essentiam. Tertio, quia divina essentia est aliquod incircumscriptum continens in se supereminenter quidquid potest significari vel intelligi ab aliquo intellectu creato. Et hoc nullo modo per aliquam speciem creatam repræsentari potest: quia omnis forma creata est determinata secundum aliquam rationem vel sapientiæ, vel virtutis, vel ipsius esse, vel alicujus hujusmodi. Unde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri. Quod est erroneum. Dicendum ergo quod ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visivæ potentiæ, scilicet lumen divinæ gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum... Non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quæ ipsam divinam essentiam repræsentet ut in se est (1) ».

---

(1) Ibid., art. 2. — Wiggers in h. l., cum Suarezio et aliis tenent speciem impressam Dei in visione beata non quidem adesse nec asserendam esse, quia non est necessaria; atvero non esse negandum posse divina potentia infundi. Et Suarez, Tr. I *de div. subst.*, l. II, c. XIII, n. 7, ait S. Thomam non excludere omnem speciem repræsentativam Dei ut in se est, sed solum *impressam*. Et *expressam* quidem seu verbum mentis in visione beatorum excludi non posse tenet idem Suarez, cum ista visio sit proxime ab intellectu creato (ibid., c. X), intelligi autem nequeat esse actum intellectus sine specie expressa seu verbo mentis, tamquam termino actionis (c. XI). Ideo licet creata species impressa essentiæ divinæ admitti non debeat, expressa tamen ejusdem seu verbum creatum non adesse in visione beatorum non potest. Contradicit Sylvius, in S. Thomam, cit. q. XII, a. 2, ubi excludit omnem speciem seu similitudinem *repræsentativam* Dei ut in se est, præter consubstantialem Dei imaginem seu Verbum divinum; et S. Thomam ait requirere speciem expressam seu verbum mentis in omni cognitione ordinaria etiam supernaturali, non vero in hac extraordinaria plane et super omnes sublimi, qualis est visio Dei in se. De his infra latius.

65. Pergit S. Doctor ostendendo : « quod impossibile est quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum suæ naturæ. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suæ naturæ. Si ergo modus essendi alicujus rei cognitæ excedit modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis..... Solius autem Dei proprius modus essendi est ut sit suum esse subsistens..... Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati : quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit ut intelligibile ab ipso (1). »

Indiget ergo intellectus creatus ad videndum Deum aliquo lumine creato supernaturali. Nam : « omne quod elevatur ad aliquid quod excedit suam naturam, oportet quod disponatur aliqua dispositione quæ sit supra suam naturam... Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Unde oportet quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc quod elevetur in tantam sublimitatem. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, ut ostensum est, oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectus vocamus, sicut et ipsum intelligibile vocatur lumen vel lux... Et secundum hoc lumen efficiuntur (beati) deiformes, id est Deo similes, secundum illud I Joan., III : Cum apparuerit, similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est (2). »

66. Ex quibus deducit S. Doctor unum alio perfectius Deum videre, non quod per similitudinem magis per-

(1) Ead. q. XII, art. 4.
(2) Ead. q. XII, art 5.

fectam Deum videat, cum Deus non videatur per aliquam similitudinem repræsentativam, sed quod videns plus participet de lumine gloriæ quo intellectus ejus efficacior fiat ad videndum Deum, et hoc sensu magis similis Deo seu deiformis fiat (1).

Et rursum, nullum posse Deum comprehendere, seu cognoscere quantum cognoscibilis est. Est autem Deus infinite cognoscibilis, utpote cujus esse est infinitum. Jamvero lumen gloriæ creatum, in intellectu creato receptum ad videndum Deum, non potest esse infinitum (2). Videtur quidem Deus per essentiam ita ut non sit aliquid ejus quod non videatur, sed non ita perfecte videtur sicut visibilis est (3). Videtur ergo Deus totus, sed non totaliter: « totaliter enim dicit modum objecti, non quidem ita quod totus modus objecti non cadat sub visione, sed quia modus objecti non est modus videntis. Qui igitur videt Deum per essentiam, videt hoc in eo quod infinite existit et infinite cognoscibilis est. Sed hic infinitus modus non competit ei, ut scilicet ipse infinite cognoscat (4). »

Neque beatos videntes Deum omnia in ipso videre quæ Deus facit vel facere potest, ex eo sequitur quod Deum non comprehendant. Re quidem vera, effectus illi in Deo cognoscuntur sicut in sua causa, qui ergo non comprehendit causam, seu virtutem Dei ac omnipotentiam non totaliter comprehendit, neque omnes ejus effectus possibiles videre potest (5).

---

(1) Art. 6.

(2) Art. 7.

(3) Eod. art. 7, ad 2^{m}.

(4) Ibid., ad 3^{m}.

(5) Ead. q. XII, art. 8. — Ex hoc art. et præcedente patet S. Thomam incomprehensibilitatem Dei respectu cujusvis creaturæ non in hoc reponere quod creatura Deum videre nequeat tam perfecte quam ipse se Deus videt, ut quidam scholastici posuerunt. Hoc quidem verum est, sed ulterius se extendit Dei incomprehensibilitas: cum enim Dei visio sit ipsa divina substantia, nullius vero creaturæ cognitio substantia sit sed accidens, sequeretur, ita restringendo notionem incomprehensionis Dei, non solum Deum sed nullam rem a creaturis comprehendi posse.

Porro secundum illam cognitionem qua res cognoscuntur a videntibus Deum per essentiam, in ipso Deo non videntur per aliquas similitudines alias, sed per solam essentiam divinam intellectui præsentem, per quam et Deus videtur (1).

Tandem ea quæ videntur in Verbo non successive sed omnia simul videntur, quia nempe non videntur per diversas species, quibus quidem simul unus intellectus non potest informari, sicut nec corpus unum diversis figuris, sed videntur omnia per unam essentiam Dei (2).

(Continuabitur).

(1) Ejusd. q. XII, art. 9.
(2) Art. 10.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. *Ostende quomodo etiam contra incredulos* (1) *demonstrare possimus textum S. Scripturæ Novi Testamenti esse substantialiter genuinum seu incorruptum, quamvis antiquissima manuscripta sæculo IV et V anteriora non sint.*

Respondetur. Prænota. Cum demonstratio ipsa substantialis integritatis librorum N. T. in volumen facile extenderetur, solus demonstrationis modus seu methodus adhibenda inquiritur. Sufficiat igitur paucissimis verbis 1/ statum adumbrare in quo textus N. T. ad nos usque pervenit, et 2/ argumenta indicare quibus ejus substantialis integritas demonstratur, quæque simul subsidia præstant ad dictum textum critice restituendum.

I. Status seu conditio in qua textus N. T. ad nos usque pervenit.

Autographa N. T. satis cito perierunt, quod e variis indiciis patet (2). Ita S. Irenæus (125-202/208 ?) ut lectionem aliquam genuinam esse demonstret, non autographi sed accuratiorum antigraphorum seu exemplariorum (copies) invocat; Tertullianus († c. a. 240) Marcionem librorum sacrorum corruptorem, nunquam ad autographa remittit. Neque mirandum est tanta cum cura primos christianos autographa illa non custodiisse, cùm proprie dicta autographa non fuerint, utpote, juxta

(1) Cf. e. g. impium libellum ubique sparsum « La Bible devant l'Eglise », p. 121.

(2) Cf. Cornely, *Introductio Generalis in S. Scripturam*, T. I, (Parisiis, 1886), p. 290 ss.

communem temporis morem, propria auctoris manu non scripta, sed amanuensibus dictata (*Rom.* 16, 22). Præterea, cum charta ex papyro (1) confecta sit tenuis et detritu facilis, prima illa scripta, quæ tam frequenter lectitabantur, diu servari nequiverunt.

Statim autem (2) primis jam temporibus ex autographis quam plurima sive ad publicum ecclesiarum, sive ad privatum fidelium usum descripta sunt exemplaria. Quo sæpius autem libri sunt descripti, eo majori expositi erant periculo, ut librariorum irreperent errores. Idcirco jam primis temporibus magna lectionum varietas exorta est, ita ut jam a S. III Patres et scriptores ecclesiastici de sacri textus corruptione conquesti sint (3).

Quotiescumque antiqua deteguntur manuscripta, novæ reperiuntur lectiones variantes, ita ut earum numerus vere ingens (4) dici debeat.

---

(1) Confecta ex arbore Ægyptiaca cyperus seu papyrus vocata (II Jo. 12). Membrana (parchemin) erat relative rara et nonnisi S. III° ubique in usu esse cœpit.

(2) Ita fere CORNELY, *l. c.*

(3) Distinguuntur lectiones variantes *accidentales* et *intentionales*.

Accidentales ortæ sunt ex librariorum negligentia, qui, aut fallente *oculo* litteras forma similes permutarunt, syllabas, vocabula, phrasesque integras aut iterarunt aut omiserunt, aut fallente *aure* litteras vocesque sono similes confuderunt, aut fallente *memoria* vocabulorum ordinem inverterunt, synonyma permutarunt, in longioribus enumerationibus membra omiserunt, etc. (Illi errores vocantur a criticis: dittographia, homoioteleuton, haplographia, itacismus, etc.).

Intentionales: amanuenses, correctores et lectores quandoque textum immutarunt, bona fide aliquid mutantes, omittentes vel addentes

a/ ut barbarismos auferrent, solecismos corrigerent, difficultates removerent præcaverentque errores;

b/ ut textus locis parallelis arbitrario modo conformarent, etiam glossis ex margine in textum receptis. Cf. CORNELY, *l. c.*, K. LAKE, *The text of the New Testament*, Oxford, 1902, p. 3 ss.; E. NESTLE apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, art. Text of the New Testament.

(4) Jam H. MILL (*Novum Testamentum græcum, cum lectionibus variantibus*, Oxford, 1707) 30.000 lectiones variantes numeravit. Numerus verosimiliter — in quantum æstimari potest — jam 120.000 excedit. Cf. BRASSAC, *Manuel biblique* (N. T.), t. III, (1910), p. 18.

Attamen, quantumvis numerosæ sint hujusmodi corruptelæ, nonnisi circa accidentalia (1) textus sacri versantur, minime vero rei substantiam attingunt, ita ut essentialis sensus immutatus fuerit: nullum extraneum invehitur dogma, nulla nova morum regula. Consequenter *ex solo facto* quod in N. T. codicibus innumeras est observare lectiones variantes, nullo modo substantia textus adulterata seu corrupta est dicenda.

II. **Demonstratur textum N. T. hodiernum esse substantialiter identicum textui primigenio seu autographorum.**

1/ *Catholicis* quidem de hac integritate substantiali omnis dubitatio quodammodo sublata est definitione Concilii Tridentini, quod 1/ jubet « libros integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione latina habentur, pro sacris et canonicis » suscipere (2); 2/ « statuit et declarat, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur » (3). Prius decretum certocertius dogmaticum est (4), statuitque libros habendos esse *pro sacris et canonicis* i. e. *pro inspiratis*. Quum autem nemo contendat, ipsam Vulgatam inspiratione esse confectam, manifestum est libros (eorumque partes) prout in Vulgata habentur non alio titulo inspiratos haberi posse, nisi *quia et in quantum textui primigenio conformes*

---

(1) Authentia partium deuterocanonicarum *Mc* **16**, 9-20; *Lc* **22**, 43-44; *Jo.* **8**, 2 12 necnon *I Jo.* **5**, 7 ex professo examini subjicitur in Introductione ad hos N. T. libros. Quoad *I Jo.* **5**, 7, cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Epistolas catholicas*, Brugis, 1909, p. 192-198.

(2) Cf. A. Camerlynck, *Compendium Introductionis generalis in S. Scripturam*, Pars prior, Documenta, Brugis, 1911, p. 87*.

(3) Cf. A. Camerlynck, *o. c.*, p. 92*.

(4) Uti observat Van Noort, *Tractatus de Fontibus Revelationis necnon de Fide divina*, Amstelodami, 1906, p. 96.

sunt (1). Alterum decretum per se est disciplinare (quo ex latinis versionibus sola Vulgata eligitur tanquam textus publicus seu officialis Ecclesiæ occidentalis); verùm importat seu supponit factum dogmaticum : *Vulgatam in nullo loco ita a textu primitivo discrepare, ut errorem in materia fidei vel morum doceat.*

Ecclesia igitur infallibili suo magisterio de substantiali integritate librorum certos nos reddit.

2/ Attamen etiam *modo mere scientifico* contra incredulos dictam integritatem substantialem seu incorruptionem librorum N. T. probare possumus. At verò, cùm hujusmodi demonstratio sit adeo longa, sufficiat *indicare* varia argumenta quibus conficitur. Hæc autem argumenta simul sunt subsidia, ut monuimus, quibus textus a corruptionibus accidentalibus emendatur et critice restituitur.

a/ *Antiqui codices manuscripti*, tum unciales (seu litteris majusculis descripti), tum minusculi (2). Utrorumque numerus est vere ingens : ita ultra 100 exstant codices unciales, S. X anteriores, quorum præcipui sunt codex Vaticanus (B) S. IV, codex Sinaiticus *(Aleph)* S. IV, codex Alexandrinus (A) S. V (ineuntis vel medii), codex Ephræmi rescriptus seu palimpsestus (C) S. V, codex Bezæ (D) S. V (3). Minusculi codices ultra 3550 numerantur, e quibus plures examini nondum subjecti fuerunt; minime sunt negligendi, quippe qui sæpe ex antiquioribus deperditis deriventur et lectiones antiquas haud raro exhibere videntur.

Quamvis codices hucusque detecti S. IV antiquiores non sint, eorum tamen probandi vis, quoad textus integritatem, altius sese extendit. Præterquam enim quod exemplaria inde a S. IV exarata, apographa

---

(1) De gradu hujus conformitatis seu fidelitatis Vulgatæ cf. Van Noort, *l. c.*

(2) Codicibus addi possunt antiqua *Lectionaria* in usu liturgico adhibita.

(3) Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910, p. 62 s.

quoad substantiam fidelia exemplarium sæculis anterioribus scriptorum quoad substantiam putanda sunt, varii illi codices e variis locis oriundi sunt, et juxta textus peritos ad plures familias pertinent, quæ singulæ jam suam historiam textualem habent et unum eumdemque textum in variis Ecclesiis jam diu ante S. IV usurpatum fuisse arguunt (1).

b/ *Versiones* N. T. antiquæ in ejus integritatem substantialem ostendendam pariter conspirant. Earum auctoritas in hoc negotio maxime pendet a tempore quo in lucem editæ fuerunt. Plures versiones *sunt antiquiores codicibus* Aleph, A, B, C, D: versio enim Syriaca necnon antiqua Itala usque ad S. II pertingunt; hoc eodem tempore (vel initio S. III) ortæ sunt versiones Ægyptiacæ (2). Porro versiones illæ, quæ in variis codicibus et recensionibus reperiuntur, quoad substantiam non solum inter se, verum etiam cum textu originali mire consentiunt: nemo autem, in historia Ecclesiæ antiqua parumper versatus non sentit quanti sit momenti ad integritatem substantialem N. T. defendendam ac stabiliendam iste antiquiorum versionum consensus (3).

c/ Tertium quod nobis suppeditatur argumentum *in SS. Patrum et antiquorum scriptorum testimoniis de textu sacro* positum est.

Sane, apud veteres Patres apostolicos, haud frequentes occurrunt citationes proprie dictæ e scriptis N. T. desumptæ; verùm, ex una parte collectiones canonicæ N. T. pedetentim ortæ sunt et ex alia parte, usus ad

---

(1) Plura vide apud LAKE, *o. c.;* GIGOT, *General Introduction to the study of the Scriptures,* New York, 1905, p. 236 ss.; E. NESTLE, apud HASTINGS *Dictionary of the Bible,* art. Text of the New Testament; A. V. VALENTINE RICHARDS. *The history and present state of New Testament Textual Criticism,* apud SWETE, *Essays of some biblical questions of the day,* London, 1909, p. 507 ss.

(2) Cf. BEBB apud HASTINGS, *o. c.,* art. Versions, ubi plura reperire est.

(3) Quod agnovit jam WALTON, celeber bibliorum polyglottorum editor in *Biblia polyglotta,* Londini, 1657, Proleg. Cf. DEMARET, *De origine Evangeliorum deque eorum auctoritate historica,* Lovanii, 1865, p. 216.

litteram adducendi seu citandi nonnisi S. II mediante invaluit, sc. in controversiis cum hæreticis Gnosticis, qui Scripturas mutilabant (uti Marcion) vel ad propria commenta detorquebant. Nihilominus allusiones et citationes e N. T., apud Patres qui ante a. 150 floruerunt, sunt relativè frequentes (1). Verum inde a medio S. II citationes verbales jam frequentiores et longiores deprehenduntur, ita ut e. g. in solo opere S. Irenæi *Adversus Hæreses* 1075 textus e N. T. sumpti reperiantur (2). — Sane curiosus ista omnia videndi scripta S. Justini, S. Irenæi, Tertulliani, Clementis Alexandrini aliorumque percurrere debet. Quodsi fecerit, intelliget qua ratione auctor aliquis (3) dicere potuerit: N. T., si extemplo periret, ope scriptorum ecclesiasticorum facile esse restituendum.

Ex his argumentis simul sumptis (4) pro viris criticis nullo præjudicio imbutis, exoritur vera et stricte dicta certitudo moralis textum N. T. substantialiter incorruptum ad nos usque pervenisse. Hoc ita verum est ut auctor acatholicus in critica textuali peritissimus Eb. Nestle (5) libenter fateatur se subscribere verbis quæ Bengel jam a. 1734 proclamavit, quæque facimus nostra: « Ipsa summa in libris omnibus salva est, ex Dei providentia ».

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. A. Camerlynck, *S. Irénée et le Canon du Nouveau Testament*, Louvain, 1896, p. 100 n. 1.

(2) Cf. *ibid.*, p. 26.

(3) Duvoisin, *Démonstration évangélique*, c. II. n. 6 apud Migne, *Démonstr. évang.*, t. XIII, c. 786. — Ex professo de solis Evangeliis loquitur.

(4) Nullo modo excludimus argumentum quod ex ipsa corruptionis impossibilitate deducitur, e. g. a Demaret, *o. c.*, p. 220 ss.

(5) Apud Hastings, *art. cit.*, p. 733.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas: idem non erit homo (in resurrectione) nisi sit idem animal; sed in resurrectione homo non erit idem animal quia per mortem sensus penitus exstinguuntur et consequenter nequeunt iidem numero restaurari; ergo non erit idem homo qui resurget.*

R. *Conc. Maj.*

Nego min. Nam neganda est consequentia quæ asseritur in ratione addita, nempe: per mortem, sensus penitus exstinguuntur et *consequenter* nequeunt iidem numero restaurari.

Explicandum porro est cur sensus, licet per mortem penitus exstinguantur, possint tamen iidem numero restaurari.

1. Sensus, seu facultates sensitivæ omnes (tum cognoscitivæ, tum appetitivæ) sunt facultates operativæ *compositi* humani, compositi nempe ex materia et forma substantiali, quæ est anima rationalis (1). Proinde, dissoluto composito per mortem, penitus pereunt facultates sensitivæ et anima separata est incapax cujuslibet actus sentiendi (2).

2. Sed quando eadem numero anima rationalis, per resurrectionem, iterum unitur materiæ primæ, quum materiæ primæ tribuatur *omnis determinatio* ab unica forma substantiali (3), iidem numero sensus iterum constituuntur: forma enim *hæc* ita informat materiam (sub convenientibus dimensionibus existentem) ut fiat *hoc* compositum, proinde *hoc* corpus et *hæ* partes sin-

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 23.

(2) Quapropter non admittendam censemus opinionem Lessii (*De perfectionibus moribusque divinis*, L. XIII, c. 30, n. 218 ss.), de modo quo animæ torquentur igne inferni. Eamdem opinionem propugnavit Illmus Lambrecht, *De Novissimis*, Gandavi, 1888, p. 42. De prædicta sententia nobis erit sermo in alia responsione.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 691 ss.

gulæ: oculus, v. gr. *meus* est quia a *mea* anima informatur materia prima.

Adnotatio. 1. Hæc nostra responsio, sicut aliæ quas in hac materia dedimus, nititur doctrina de *unicitate formæ substantialis* in composito substantiali omni, et nominatim in composito humano (1). Hanc doctrinam primus, contra cæteros philosophos sæculi XIII, explicite propugnavit et, ut videtur, invicte demonstravit S. Thomas (2). Quæ doctrina nisi admittatur, impossibile est ut logice demonstretur veritas de *identitate numerica* hominis resurgentis. Etenim si præter animam humanam, quæ est unicum principium vitæ (tum intellectivæ, tum sensitivæ, tum vegetativæ) daretur in homine alia forma substantialis, puta forma *corporeitatis* (3), hæc forma, quum non sit per se subsistens, simpliciter periret per mortem hominis: jamvero si hæc forma simpliciter destruitur seu desinit esse, impossibile fit ut hæc numero eadem iterum existat: quia idem *individuum,* eadem realis et physica participatio ipsius Esse, nequit bis existere. Si igitur homo constitueretur in esse corporis humani per formam corporeitatis realiter distinctam ab anima humana, idem numero homo non posset resurgere (4).

2. Falsa est opinio asserens animam humanam, post mortem quamdiu non facta est hominis resurrectio, circumdari aliquo involucro corporeo ac materiali quod

---

(1) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 322, 394, 397.

(2) Cf. S. Thomas, 1, q. 76, a. 3 et ss.; *De potentia*, q. 3, a. 9 ad 9; *De anima*, a. 9 et a. 11; *De spiritualibus creaturis*, a. 3. — S. Thomæ doctrinam propugnait, anno 1278, Ægidius Lessinensis in opere *De unitate formæ*. Cf. De Wulf, *Histoire de la philosophie médiévale*, Louvain, 1900, p. 269 ss.; *Histoire de la philosophie en Belgique*, Bruxelles, 1910, p. 75 ss.

(3) Formam corporeitatis, realiter distinctam ab anima humana, dari in homine docuerunt Henricus Gandavensis, *Quodlibetum* IV, 13; Scotus *Reportata Parisiensia*, L. IV, dist. 11, q. 3, n. 22. Hunc refutat Capreolus, in II, dist. 15, q. 1 (Edit. Turonibus, t. IV, p. 66 s., p. 99 ss.).

(4) Cf. Pègues, *Commentaire français littéral de la Somme théologique*, vol. IV, Toulouse, 1909, p. 317 ss.

aliquo modo vices corporis humani gereret respectu animæ (1).

Falsa, inquam, opinio illa: nam non solum nullo principio philosophico aut theologico logice nititur (2), sed etiam rationi formæ substantialis, rite perspectæ, repugnat. Etenim anima humana, quum sit essentialiter forma substantialis, et quidem unica (3), compositi humani, morte intercedente, caret omni materia et connaturaliter remanet in tali statu (4). Si anima unitur, ut *forma substantialis*, materiæ, necessario cum hac constituit compositum *humanum*, nec alterius generis aut speciei corpus constituere potest. Si anima humana uniretur, non quidem ut forma substantialis, sed v. gr. ut motor mobili, alicui substantiæ corporali, jam in propria specie constituta et in proprio esse, hæc unio *non* esset *naturalis* animæ (5), nec in bonum ejusdem cederet, nec utilis esset ad operationes quæ sunt propriæ animæ: *in* hac enim substantia nullam operationem *vitalem* exercere posset anima, quum operatio vitalis sit *immanens* subjecto a quo elicitur, et, in hypothesi, substantia *completa*, cui uniretur anima, esset et remaneret subjectum et individuum realiter et adæquate

---

(1) « Ook is het niet verboden te denken dat, aangezien de ziel uit hare natuur zoozeer op het lichaam aangelegd is, eenig stoffelijk omhulsel haar ook in afwachting der verrijzenis bijblijft en eenigzins in de rol van het lichaam voorziet. — Hoe meer ik op de zaak nadenk, hoe meer die onderstelling mij waarschijnlijk voorkomt. Want indien 's menschen ziel tot aan de verrijzenis als een zuivere geest zonder iets stoffelijks moet leven, dan is zij zoolang in een *tegennatuurlijken* toestand ». DRYVERS, *De Kerk en de Vrijheid*, Antwerpen, 1910, bl. 167.

(2) Prædicta opinio ne sustineri quidem potest secundum sententiam Henrici Gandavensis et Scoti.

(3) Præter auctores suprà citatos, cf. CARD. MERCIER, *Psychologie*, Louvain, 1899, n. 234 ss.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 533, et suprà, p. 22.

(5) Angeli, qui sunt puri spiritus et substantiæ completæ, *per se* et *naturaliter* nulli corpori junguntur, sed *per accidens* et, ut videtur, *miraculo* divino possunt sibi assumere corpora, sed in his corporibus nullam operationem proprie vitalem ipsi valent exercere. Cf. S. THOMAS, I, q. 51, a. 1-3.

distinctum ab anima. Igitur tali substantiæ anima *contra naturam suam* alligaretur permanenter et hoc in dedecus ejusdem vergeret.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Determina ex quonam matrimonio oriatur, et quousque extendatur impedimentum* publicæ honestatis.

R. Ad 1m.

Oritur impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio, etiam non consummato, idque non tantùm ex matrimonio valido, sed etiam ex matrimonio *invalido,* modò non fuerit irritum *ex defectu consensus.*

Hæc est disciplina statuta a Bonifacio VIII, cap. unic., in VIo, IV, 1, disponente ut sponsalia et matrimonia non inducerent publicam honestatem, nisi fuerint absoluta, determinata et ex defectu consensus non invalida: derogatio autem inducta a Conc. Tridentino, Sess. XXIV, *De Reform. matr.*, c. 3, spectat, id authenticè declarante Pio V, in Constit. *Ad Romanum*, sola sponsalia de futuro, ex quibus decernit jam non oriturum publicæ honestatis impedimentum, nisi fuerint undequaque valida.

Porro *gravis controversia* agitatur circa ambitum illius restrictionis: « modò non fuerit *irritum ex defectu consensus* »: utrum nempe matrimonium tunc tantum censeatur ex hoc capite invalidum, quando deficit consensus naturaliter validus, qualis scil. *jure naturæ ad substantiam contractus requiritur*, utrum vero etiam tunc quando vitiatur consensus ex defectu conditionis quæ, *ex parte consensus, ab Ecclesia jure positivo sit statuta.*

Juxta priorem interpretationem, invalidum est matrimonium ex defectu consensus unice quando defuit deliberatio aut substantialis libertas, uti in amente, perfectè ebrio aut metum patiente quo tollatur usus

rationis, vel quando adnexa fuit conditio suspensiva, sive substantiæ matrimonii repugnans, sive alia nondum verificata, vel quando alterutra pars erravit errore substantiali aut errore accidentali qui redundet in substantiam. *Juxta alteram interpretationem,* ulterius irritum esset matrimonium ex defectu consensus, si contrahentes obnoxii fuerint impedimento *canonico* consensum afficienti, seu nuptias irritanti, non ob inhabilitatem personæ, sed ob præsumptam consensus insufficientiam, qualia sunt impedimenta conditionis servilis, necnon vis et metus, rationis usum non tollentium; disputatur autem, inter alterius interpretationis patronos, utrum impedimentum clandestinitatis sit impedimentum consensum afficiens, adeoque utrum, coram hac altera interpretatione, clandestinum matrimonium censeatur invalidum ex defectu consensus.

Jamvero a probabilis est ac imo probabilior sententia quæ tenet solum defectum consensus hîc attendi, qui consensum vitiet *coram jure naturæ*, ac proinde, in ordine ad P. H., validum censeri matrimonium ex parte consensus, eo ipso quod elementa adsint ad consensum naturaliter validum requisita, etiam ubi obest impedimentum ecclesiasticum, consensum afficiens. Quo pacto P. H. inducit matrimonium irritum ex solo impedimento canonico conditionis servilis, vis et metus vel raptus, necnon clandestinitatis, etiam in hypothesi quod hoc impedimentum afficiat ipsum consensum (1).

Ratio est quia neque textus neque contextus Decretalis Bonifacii VIII exigit ut restrictionem « dummodo non sint nulla ex defectu consensus » ulterius extendamus: verè enim dici potest non deesse consensum matrimonialem, quando reipsa præsto sunt elementa quibus consensus naturaliter convalescat; obstante scil. impedimento canonico consensum irritante, potius

(1) Hanc sententiam egregiè vindicat Van de Burgt-Schaepman, *Tractatus de Matrimonio,* Ultrajecti, 1908, n. 179.

deest consensus *legitimus* quam ipse consensus. Præterea sufficit præsentia consensus naturaliter validi, ut adsit fundamentum in quo nititur ipsum P. H. vinculum, unio nempe voluntatum: hoc autem intendisse videtur Decretalis, salvare scil. ipsum impedimenti fundamentum.

Quæ rationis momenta gravia quidem sunt, sed non adeo urgere videntur ut alterius sententiæ probabilitatem penitus auferant. Nimirum non improbabiliter diceretur Ecclesiam, ubi postulat, ad aliquem canonicum effectum, matrimonium ex parte consensus validum, alio excluso, hujusmodi intendere consensum qualem ipsa eum emittendum requirit.

b/ Etiamsi admittenda esset altera sententia, juxta quam impedimenta *canonica,* consensum afficientia, matrimonium redderent ex defectu consensus irritum, in ordine ad P. H., adhuc seponendum est impedimentum *clandestinitatis,* quia non videtur hoc impedimentum irritare ipsum consensum. Est enim clandestinitas a Conc. Tridentino inducta qua impedimentum inhabilitans personas; in nova autem disciplina Decreti *Ne Temere* afficit potius *formam* consensus quam ipsum consensum, ac forma quæ statuitur non postulatur quia ex ipsius inobservantia præsumitur consensus deliberati et liberi insufficientia, sed ut de consensus præstatione rite constet. Favent cæteroquin documenta allata a Feye, *De Imp.*, n. 400-407, totam controversiam exponente et præprimis provocante ad decretum S. C. C., a Fagnano citatum, et diei 8 Nov. 1584 adscriptum, necnon ad responsum S. Pœnitentiariæ 13 Martii 1820.

Conclusio igitur est *primò,* matrimonium ex sola clandestinitate invalidum, *certò* inducere impedimentum P. H. non secus ac si irritum existit ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis et ita porro; *secundò,* matrimonium irritum ex capite impedimenti *ecclesiastici,* ipsum consensum afficientis, *probabilius* impedimentum P. H. inducere, modò præsto sit consensus *naturaliter*

validus; attamen cum impedimentum, quantumvis probabile, maneat *dubium*, cumque agatur de dubio juris ecclesiastici, posset ad nuptiarum celebrationem procedi absque dispensatione, sed consultius adeatur Episcopus, si tempus adsit.

Hucusque *norma:* cui notanda accedit *duplex derogatio:*

a/ Matrimonium civile, quomodocumque ineatur, etiam cum consensu naturaliter vel et canonicè valido, numquam inducit P. H. (1), saltem si fuerit initum inter personas legi clandestinitatis obnoxias (2).

b/ Matrimonium *impuberum,* non clandestinum, *sub jure Tridentino,* æquivalebat sponsalibus de futuro, et ex hoc capite non inducebat P. H. nisi in primo tantùm gradu: licet logicè deberet ex tali matrimonio induci P. H. usque ad 4^{m} gradum, quasi ex matrimonio, cum impedimentum ætatis afficiat habilitatem personæ nec adeo reddat matrimonium irritum ex defectu consensus. Sub disciplina autem Decreti *Ne Temere*, abrogatis sponsalibus præsumptis ratione matrimonii impuberum,

---

(1) Huc spectat dispositio Leonis XIII, diei 17 Martii 1879, confirmantis decretum S. C. C., de die 13 Martii præcedente. Declarat scil. et statuit: « præmemoratum actum, qui vulgo dicitur *matrimonium civile,* in locis ubi promulgatum est Decretum Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 1, *De Ref. Matr.*, sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi), meram cæremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant matrimonium de præsenti contrahere, *impedimentum justitiæ publicæ non producere* ».

Nimirum in 1^{a} et 2ª hypothesi, decretum est mere declaratorium juris existentis, cum matrimonium civile in dicta duplici hypothesi certò nullum sit ex defectu consensus; est autem statutum juri vigenti derogatorium in quantum spectat 3^{m} hypothesim, in qua supponitur matrimonium validum ex parte consensus.

(2) Decretum modò citatum restringitur ad matrimonium civile contractum in locis legi Tridentinæ obnoxiis; cum autem, vi decreti *Ne Temere,* ubique vigeat lex clandestinitatis, potius limitanda videtur vis decreti Pontificii ad matrimonium civile contractum inter personas Decreto *Ne Temere* obnoxias.

Decreto subjectorum, nullo jam titulo videtur P. H. consequi ex dicto matrimonio inter impuberes contracto.

Nota. 1° Non urgetur impedimentum P. H. in *præjudicium priorum sponsalium*, nondum solutorum, uti habemus ex ipso tenore Libri VI Decr.: unde, si sponsus matrimonium inierit non consummatum cum consanguinea prioris sponsæ, non contraxit ex hoc matrimonio impedimentum P. H. cum illa priori sponsa, etiamsi soror esset personæ in conjugem ductæ, sed cum cæteris tantùm consanguineis infra 4^{m} gradum (1): obligationi proinde priorem sponsam ducendi, stantibus sponsalibus, maneret obnoxius.

2° Sicut P. H. ex sponsalibus manet post horum dissolutionem, pariter manet impedimentum P. H. ex matrimonio, *post hujus dissolutionem,* quacumque ex causa fuerit dissolutum, ac attingit etiam proles post matrimonii dissolutionem natas.

Manet etiam impedimentum P. H. post matrimonii *consummationem* (2). Ubi igitur dicitur P. H. oriri ex matrimonio rato non consummato, hoc sensu est intelligenda formula, quatenus consummatio ad publicam honestatem non requiratur, non quatenus consummatio eam auferat. Ex alia tamen parte satis exponitur utrumque impedimentum P. H. et affinitatis legitimæ, exprimendo in supplica pro dispensatione impedimentum affinitatis ex copula licita (3).

---

(1) Idem principium valet pro P. H. *ex sponsalibus*, siquidem decretum Bonifacii spectat utriusque speciei publicam honestatem. Atvero pro illa specie, inde a Conc. Trid., non est locus dicti principii applicationi: sponsalia namque invalida non producunt P. H., ex prioribus autem sponsalibus irrita fierent nova sponsalia, infra limites infra quos extenditur P. H. ex sponsalibus, infra primum scil. gradum.

(2) Id. pro casu matrimonii invalidi urget S. C. C., in decreto diei 3 Dec. 1667, et a fortiori valet pro casu matrimonii validi.

(3) Ubi agitur de matrimonio *valido* consummato, semper conveniunt affinitas et publica honestas. Ubi oriuntur ex matrimonio *invalido* consummato, potest, ultra 2^{m} gradum, sola consistere publica honestas: nimirum quando matrimonium, aliunde quam ex defectu consensus

Ad 2^{m}.

Impedimentum Publicæ honestatis ex matrimonio extenditur usque ad 4^{m} gradum lineæ collateralis, irritans scil. matrimonium ineundum inter unum conjugem et compartis consanguineos infra 4^{m} gradum. Nimirum publica honestas ex matrimonio sequitur disciplinam decreti Lateranensis (c. 8, V, IV, 14), restringentis ambitum impedimentorum ad 4^{m} inclusive gradum (1); hanc disciplinam in hac re intactam servavit Bonifacius VIII, ulterior autem restrictio, quam induxit Conc. Trid., l. c., statuens ut publica honestas jam non excedat primum gradum, solam spectat publicam honestatem *ex sponsalibus de futuro.*

IV

Q. *Titius, divortio civili instituto, civile matrimonium init cum Bertha, vivente Anna uxore legitima. Hac defuncta, cum dicta Bertha coram Ecclesia nubere intendit.*

Indica 1/ utrum et cuinam impedimento dirimenti matrimonii, et 2/ cuinam casui reservato obnoxius existat Titius, legis nuptias irritantis ac reservationis prorsus ignarus.

R. **Ad 1^{m}.**

Titius est obnoxius *impedimento criminis*, matrimonium irritanti cum Bertha contrahendum, modò, ut supponitur, carnaliter cognoverit Bertham civiliter junctam, vivente Anna, modò etiam Bertha noverit Titii matrimonium per Annæ mortem nondum solutum.

---

irritum, non habet speciem matrimonii, siquidem hic defectus non impedit P. H. usque ad 4^{m} gradum, efficit autem ut sola producatur affinitas illegitima, usque ad 2^{m} gradum. Cf. suprà, p. 29 s.

(1) Cum restrictio a citato decreto Lateranensi inducta spectet unicè lineam *collateralem*, potest dici quod in linea *recta* maneat extensio impedimenti in indefinitum, sicut communius docetur pro ipso impedimento consanguinitatis et affinitatis. Cf. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 298 et 304.

Hisce namque positis obtinent conditiones ad dictum impedimentum constituendum: adulterium scil. conjunctum cum matrimonii attentatione (1), stante eodem matrimonio, et existente penes utramque partem ejusdem matrimonii notitia, ita ut adulterii perpetratio simul ac matrimonii attentatio sit ex utriusque complicis parte materialiter et formaliter injuriosa uni eidemque conjugio.

Nec obstare videtur legis irritantis ignorantia penes Titium, vel et etiam penes Bertham: lex enim irritans censetur lata *principaliter*, non in pœnam delicti vindicativam (quæ, utpote exorbitans et extraordinaria, ab illam nescientibus non incurreretur), sed ob rationem boni publici, ad salvandam nempe honestatem publicam et consulendum incolumitati conjugum. Meritò namque offenderetur populus christianus si hujusmodi scandalosæ uniones tolerarentur; timendum est etiam ne spes matrimonii sit criminis incentiva (2).

Quæ sententia, urgens criminis impedimentum etiam respectu illud ignorantium, videtur moraliter certa, ita ut contraria sententia non valeat impedimentum, in casu ignorantiæ, reddere objective dubium, dubio juris: adeoque non posset invocari suppletio Ecclesiæ, nec, hujus favore, ad celebrationem matrimonii procedi absque prævia dispensatione.

---

(1) Matrimonium civile constituit, in ordine ad impedimentum criminis, attentationem matrimonii. Quod confirmat responsum S. Pœnitentiariæ, quod refert De Angelis, *Prælectiones Juris Canonici*, L. IV, tit. 4, n. 11, quatenus S. Pœnitentiaria, pro casu quo Titius, vera uxore adhuc vivente, civiliter contrahit cum alia, et cum ea maritaliter vivit, primâ deinceps demortuâ, responderit: « obstare impedimentum criminis ex adulterio cum attentatione matrimonii ».

(2) « Verum quidem est complices, hanc inhabilitatem ignorantes, averti non potuisse a crimine perpetrando ob hanc considerationem: at fides conjugalis et incolumitas conjugis innocentis quoad alia matrimonia sunt in tuto ponendæ, et populus christianus edocendus est exemplo aliorum, talia crimina beneficia non afferre suis auctoribus ». De Becker, *De Sponsalibus et Matrimonio*, 2ª ed., 1903, p. 176.

Ad 2m.

Titius incurrit *casum reservatum* Episcopo Brugensi, in supposito quod duplex conditio, de qua modò suprà, verificetur ; imo reservationem incurrit *duplici titulo.*

Revera, juxta tenorem *Libelli,* reservatur a/ adulterium, quoties est impedimentum criminis dirimens matrimonium, et b/ adulterium concubinarium. Vidimus autem adulterium, ratione conjunctionis cum connubii attentatione, inducere impedimentum matrimonii ; meritò etiam supponitur Titium, attenta matrimonii civilis celebratione, concubinariam cum Bertha instaurasse vitam, ita ut adulterium planè concubinarium reputetur.

Rursus frustrà opponeres *legis irritantis ignorantiam.* Equidem mens est Illustrissimi Episcopi reservantis, « adulterium, quando est impedimentum criminis dirimens matrimonium, tunc tantùm constituere casum reservatum, dum est iis circumstantiis vestitum, ut *citra probabilem utrimque controversiam* impedimentum dirimens sit » (1) : sed, uti sub 1° notavimus, non habemus ut intrinsecè probabilem sententiam quæ ab hac lege irritante excuset eam ignorantes. Cæterùm, etiamsi Titius reservationem effugeret, ratione adulterii matrimonium dirimentis, eam adhuc contraheret ex alio titulo, ratione adulterii concubinarii.

Tandem notum est *ignorantiam reservationis* ab ipsa non eximere, quemadmodum id expressè declarat Episcopus Brugensis, in *Libello*, p. 2.

A. De Smet.

V

Q. *Qu'est-ce que le moyen âge ? Indiquez les caractères distinctifs de cette époque de l'histoire de l'Église.*

R. I. **Définition.**

On est convenu d'appeler *moyen âge* la grande époque

---

(1) *Libellus,* p. 44.

de dix siècles environ, qui s'étend entre *l'âge ancien* et *l'âge moderne*. L'époque médiévale est donc l'époque intermédiaire dans la division chronologique adoptée en histoire universelle et reçue également, bien que avec certaines divergences au sujet des limites, en histoire ecclésiastique (1). Les ouvrages généraux d'histoire ecclésiastique font d'ordinaire commencer le moyen âge en 692, date du *concile in Trullo* qui met fin aux controverses christologiques; ils le finissent en 1517, date de la révolte ouverte de Luther.

Remarquons toutefois que ces limites ne sont que des points de repère approximatifs (2). Dans l'étude

---

(1) Nous avons surtout consulté les introductions des ouvrages généraux: HERGENRÖTHER-KIRSCH, éd. 1904, t. II; ALBERS-HEDDE; MARX; FUNK-HEMMER; MOURRET, *L'Église dans le Monde barbare*, Paris, 1909; F. BRABANT, S. J., *Histoire du moyen âge*, Namur, 1895.

(2) On comprend facilement qu'en histoire un changement complet ne se produit jamais tout d'un coup, mais qu'il exige toujours des transitions plus ou moins longues; de là chez les historiens certains désaccords partiels pour limiter les époques. C'est ainsi que certains auteurs arrêtent l'antiquité chrétienne à Saint Grégoire le Grand (590), ou à Mahomet (600), ou à Saint Boniface (719), ou à l'iconoclasme (722), ou encore à Charlemagne (800), etc. A toutes ces dates on a voulu trouver le commencement de la décadence de l'Église en Orient et de son heureuse extension en Occident. Mais c'est en réalité l'invasion des Barbares qui ouvre le moyen âge. C'est en effet l'arrivée de ces nouveaux peuples qui renverse l'ancien Empire romain, bouleverse l'Europe de fond en comble et ouvre à l'Église un champ d'action tout nouveau. On pourrait donc commencer le moyen âge en histoire ecclésiastique, comme on le fait en histoire profane, c'est-à-dire à la chute de l'empire d'Occident, en 476. Cependant ce point de départ ne peut convenir que si l'on tient seulement compte de l'Occident, car en Orient la même situation générale se maintient pour l'Église jusque vers la fin du VIIe siècle: les controverses christologiques y préoccupent toujours les esprits; elles ne cessent qu'au Concile de Constantinople en 680, ayant comme complément le Concile *in Trullo* de 692. Puisque d'autre part l'Orient prédominait encore dans l'Église, il n'est que juste de fixer en histoire ecclésiastique générale le *terminus ad quem* de l'antiquité chrétienne en 692.

Il y a également des divergences au sujet du point d'aboutissement du moyen âge: quelques uns finissent cette époque en 1450, d'autres à l'avènement de la Renaissance; quelques uns même l'étendent jusqu'au Concile de Trente. Nous préférons nous en tenir à l'usage adopté communément, et finir le moyen âge en 1517; la révolte ouverte de Luther, fut en effet la première tentative importante de désunion à effet durable.

d'une même époque, les dates initiales et finales varient généralement d'après la diversité des questions spéciales et d'après la diversité des groupements géographiques et sociaux. Mais quelle que soit la latitude que l'on donne au point d'aboutissement de l'antiquité chrétienne et au point de départ des temps modernes, la distinction traditionnelle se justifie ; elle est en effet basée sur la réalité des faits, sans compter qu'elle est indispensable pour la clarté et la facilité des études.

II. **Caractères distinctifs du moyen âge.**

Le moyen âge se distingue de l'antiquité chrétienne à divers points de vue (1) :

1. *Le théâtre de l'activité de l'Église se déplace.*

Durant la première époque le centre de l'activité de l'Église se trouvait à l'Est et au Sud du monde connu alors, parmi les peuples orientaux et méditerranéens ; au moyen âge au contraire, surtout après les conquêtes de l'Islam en Asie et en Afrique et la consommation du Schisme d'Orient, il se trouve parmi les peuples du centre et du Nord-Ouest de l'Europe. Le moyen âge s'appelle parfois pour ce motif *l'époque germanique et néolatine.*

2. *La position de l'Église et la nature de son activité diffèrent.*

A son origine l'Église trouva chez les peuples de culture grecque et latine une civilisation avancée, sa mission consistait à ennoblir cette civilisation en la dégageant des corruptions du paganisme. Elle se trouva également en présence d'un ordre politique

(1) Nous ne nous plaçons ici évidemment qu'au point de vue de l'histoire ecclésiastique. Au point de vue de l'histoire profane, il y aurait surtout à indiquer comme caractéristique : *la féodalité,* la lutte entre les principes d'unité, héritage de l'empire, et les tendances particularistes des peuples nouveaux. Aussi l'histoire profane finit d'ordinaire le moyen âge plus tôt (1453, prise de Constantinople), parce que déjà dès le milieu du XVe siècle la réaction contre la Féodalité semble triomphante, réaction d'en haut de la part de l'autorité royale, réaction d'en bas de la part des communes et de la bourgeoisie.

régulier, qui ne considérait la religion que comme une branche spéciale de l'administration ; l'Église dut s'y créer une place de force ; elle y réussit mais se trouva toujours à l'étroit dans les cadres de l'empire, souffrant, même après le triomphe, d'une bienveillante oppression. A l'aube du moyen âge le champ d'activité est tout autre : l'Église va au-devant des barbares, elle les civilise en même temps qu'elle les convertit et leur enseigne les vérités chrétiennes en même temps que les sciences profanes, les arts et l'agriculture. Aussi bien elle occupe dès le début une place plus grande parmi ces nouveaux peuples et apparaît toujours en dehors et au-dessus des diverses nationalités.

3. *Les résultat de l'activité de l'Église diffèrent.*

a/ Au point de vue social et moral.

Les conceptions chrétiennes pénètrent dans toutes les couches de la société humaine et se manifestent dans toutes les formes de son activité. Durant l'antiquité le but de l'activité humaine est le bien de l'État ; les hommes sont avant tout citoyens ayant presque uniquement en vue la volupté et la gloire. Sans doute la Religion chrétienne avait réussi durant la première époque de son histoire à faire admettre et à faire prévaloir ses principes ; mais jamais, pour l'ensemble, son idéal ne fut atteint comme il le fut au moyen âge. Au moyen âge en effet les hommes sont avant tout chrétiens : les individus comme les sociétés se proposent avant tout la fin supérieure et surnaturelle. « La religion et l'Église dominent tout, jusqu'à la science, inspirent tout, jusqu'à l'art. La science et l'instruction dans les couvents d'abord, puis dans les Universités sont aux mains des moines et des prêtres. L'art est tout entier résumé dans les cathédrales, où tous les artistes, architectes, sculpteurs, peintres, ciseleurs, orfèvres, donnent le meilleur de leur génie » (1).

---

(1) A. Malet, *Les temps modernes*, Paris, 1909, p. 2. Voir aussi le rôle

b/ Au point de vue politico-religieux les changements sont non moins profonds.

Si le droit privé s'adapte aux lois et canons de l'Église, c'est que le droit public lui-même était foncièrement chrétien. De fait au moyen âge la distinction entre les deux pouvoirs est nettement établie, avec des tendances de plus en plus prononcées de concorde et d'union. L'Église devient même l'arbître des nations et des peuples: les chefs ont parfois besoin de son influence contre les instincts barbares et insubordonnés de leurs sujets; ceux-ci la réclament contre la tyrannie de bien des chefs. Mais ce qui caractérise peut-être davantage le moyen âge, c'est que l'Église a réussi à enseigner aux nations, travaillées à cette époque par les tendances particularistes, le secret d'une unité supérieure qui les a peu à peu ennoblies et assises sur de plus solides fondements. Au milieu de la division toujours croissante de l'Europe en nationalités et états distincts il restait un principe d'unité: la *religion*. Tous les peuples de l'Europe occidentale, partagés entre des centaines de rois et de seigneurs, formaient néanmoins un seul peuple, le *peuple chrétien*. Ce peuple chrétien avait son chef, le pape, dont l'autorité spirituelle était assez forte pour que les souverains les plus puissants, rois de France comme Philippe Auguste, empereurs d'Allemagne comme Frédéric Barberousse, dussent compter avec lui. Ce peuple chrétien eut ses grandes guerres au XIe et au XIIe siècle, les *Croisades*, où sous le commun étendard de la croix, l'on vit marcher ensemble les chevaliers de tous les États, de toutes les seigneuries d'Occident (1).

En somme l'époque médiévale fut une *époque de*

---

de l'Église éducatrice du monde barbare dans TAINE, *Les Origines de la France contemporaine, l'ancien régime*, p. 4-9; MONTALEMBERT, *Les Moines d'Occident*, p. CCXXXII; KURTH, *Les Origines de la Civilisation moderne*, passim.

(1) MALET, *l. c.*

grandeur et de triomphe pour l'Église et la papauté. Malgré de violentes secousses, les rapports entre l'Église et l'État furent tels que le pouvoir religieux fût parfaitement à même de remplir au point de vue externe et interne sa divine mission. Le moyen âge comprend ces siècles de foi, où toute l'Europe occidentale était unie dans l'obéissance à l'Église catholique romaine. Cette unité religieuse a disparu au XVIe siècle pour faire place à une multiplicité de confessions chrétiennes opposées. Aussi bien l'avènement du Luthéranisme, qui inaugure la série des révoltes, ouvre pour l'histoire de l'Église une nouvelle époque, dite les *Temps Modernes,* époque de souffrance et de déchirements.

III. **Appréciations diverses au sujet du moyen âge.**

Si le moyen âge peut à juste titre être appelé une époque de grandeur, on ne peut cependant nier qu'il y a des ombres au tableau. L'Église ne réussit pas toujours du premier coup a pénétrer le monde barbare de son esprit. Il y eut dans son œuvre de christianisation des heurts pénibles, des mouvements de recul et de lamentables défaillances. Les hommes de ce temps péchèrent gravement, tantôt par une exubérance de fougue passionée, tantôt par un idéalisme naïf et par un imprudent oubli des droits de la critique. Autour de saint François d'Assise et de saint Louis, il semble bien qu'on cherche encore trop à trancher les questions intellectuelles par l'autorité d'Aristote et les questions politiques et religieuses par la peur du bûcher (1). Seulement on aurait tort de voir dans ces vices inhérents à une époque de jeunesse et de formation la seule caractéristique du moyen âge.

Trop longtemps on n'a voulu voir dans le moyen âge que ces côtés d'ombre. Les humanistes d'abord, qui introduisirent le nom de « moyen âge », non sans y

(1) MOURRET, *o. c.*, p. 4; KURTH, *Qu'est-ce que le moyen âge,* Paris, Bloud, 1909, p 53.

attacher une idée d'infériorité, ne virent dans cette phase de dix siècles qu'une époque d'ignorance et de grossièreté, une longue nuit de mille ans entre deux époques de lumière (1).

Le XVIIIe siècle passa du dédain à la haine. Pour les philosophes de l'Encyclopédie, le moyen âge commence à l'incendie d'Alexandrie, qui détruit le patrimoine intellectuel de l'humanité et se clôt aux bûchers de l'Inquisition, qui brûlent ceux qui travaillent a restituer ce patrimoine. Le moyen âge est l'époque maudite de la tyrannie ecclésiastique, de l'ignorance et de la pure barbarie.

Mais de nos jours on est revenu de ces anciens errements; sans aller jusqu'au culte du moyen âge instauré à la fin du XVIIIe siècle par les romantiques (2), les sévères méthodes historiques ont rendu

(1) D'après M. Kurth, *o. c.*, la notion du moyen âge a été empruntée à la philologie, qui marque une décadence de la langue latine entre Constantin et ce qu'on est convenu d'appeler la Renaissance. On a dit *media ætas*, comme on disait *media latinitas* (par exemple dans le titre du lexicon de Ducange: Glossarium *mediæ* et infimæ latinitatis); la décadence de langue semblait en effet à quelques humanistes avoir marché de pair avec une décadence de mœurs et de civilisation. M. Kurth s'insurge et à raison contre cette manière de voir et réfute chemin faisant quelques légendes ridicules sur la grossièreté du moyen âge. « Tout, dit-il, notre foi religieuse et nos idées politiques, notre nationalité et notre langue, notre esthétique et notre économie sociale, tout nous est commun avec le moyen âge et nous sépare de l'antiquité ». A ce compte le « moyen âge » n'est pas le *moyen* âge, n'est pas une époque intermédiaire. M. Kurth a mille fois raison: mais nous n'avons pas seulement à tenir compte de ce qui rapproche les temps modernes des temps passés! Et il n'est pas à nier que le XVIe siècle avec sa « Renaissance » et sa « Réforme » constitue un tournant tant pour l'histoire ecclésiastique que pour l'histoire profane. Rien, d'après nous, ne s'oppose à la distinction traditionelle pourvuque l'on rende justice à chaque époque. Quant au mot même, il ne comporte plus, croyons nous, l'idée d'infériorité qu'y attachaient ceux qui s'en servirent d'abord.

(2) « Né de l'autre côté du Rhin de l'œuvre de Walkenröder, le Romantisme se propagea en Angleterre avec Walter Scott et en France avec Chateaubriand. Dès lors on ne rêva plus que de cathédrales gothiques, de guerriers à cottes de mailles et de dames à grand hennin ». MOURRET, *o. c.*, p. 2.

au moyen âge l'honneur qui lui revient. Une science mieux informée conçoit maintenant l'époque médiévale comme une époque d'activité intellectuelle et politique des plus intenses, qui, sous la direction de l'Église romaine a eu pour résultat la formation de l'Europe moderne et sa pénétration profonde par l'esprit chrétien.

Concluons donc: si l'expression « moyen âge » est peu heureuse et s'il convient d'en défaire l'idée de mépris, qui s'y rattacha assez longtemps, il y a cependant lieu d'accepter en histoire ecclésiastique la division chronologique qu'elle sert à désigner.

R. De Schepper.

VI

Q. *Répondez à l'objection suivante :*

Le service public des inhumations est un service laïque qui rentre dans les attributions de la commune.

Or, en vertu du principe de la spécialisation des services, les biens affectés à ce service, spécialement les cimetières, sont la propriété de l'établissement qui en est chargé.

Donc les cimetières sont la propriété des communes.

R. 1. La majeure est fausse. On doit dire que le service public des inhumations est un service de caractère mixte, civil et religieux, qui rentre tout à la fois dans les attributions des communes et du culte représenté par les autorités ecclésiastiques et par les fabriques en ce qui concerne le temporel.

Le système admis par les lois sur la sépulture fut inspiré par le souci de faire régner la décence et la salubrité dans les lieux d'inhumation et de faire concorder les droits des différents cultes, entre eux et avec les droits des citoyens. C'est pourquoi on reconnut au service des inhumations un caractère mixte (1).

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, nº 817 ss.; 840 ss.

C'est *un service civil* (1) parce que les citoyens ont le droit d'être enterrés dans un cimetière public, quelles que soient leurs croyances; et que l'autorité communale a la surveillance et la police du transport des corps et de tous les lieux d'inhumation (2).

C'est *un service religieux* parce que chaque culte doit avoir son cimetière, que le cimetière catholique est encore aujourd'hui, en vertu des lois civiles, un lieu sacré, où l'autorité ecclésiastique peut célébrer toutes les cérémonies religieuses de l'enterrement et faire toutes les divisions prescrites par le droit canonique.

Conséquemment le service public des inhumations rentre dans les attributions des deux pouvoirs et est soumis à leur autorité et surveillance commune.

2. La mineure constitue une des applications les plus radicales du soi-disant principe de la spécialité des services, erigé en dogme par nombre de juristes de l'école libérale. D'après eux la spécialisation des services tient en ces deux règles fondamentales: compétence strictement limitée des établissements et substitution de l'établissement légalement capable à l'établissement incompétent.

---

(1) Décret du 12 frimaire an XII. On a prétendu que l'incident provoqué par les funérailles de Melle Chameroy (12 oct. 1802) avait été l'occasion du décret de prairial an XII. C'est une erreur. Le souvenir de l'enterrement Chameroy inspira peut-être la disposition comminatoire de l'art. 19 du décret. V. DE LANZAC DE LABORIE, *Les débuts du régime concordataire à Paris*, dans le *Correspondant*, 1907, t. CCXXIX, p. 36-40. Quant aux déclarations du ministre Chaptal du 15 brumaire an XI (identiques à un soi-disant décret de la même date, cité par GIRON, *Dictionnaire de droit administratif*, v° cimetière, n° 2) et aux lettres de Portalis du 15 brumaire an XI au préfet Leman, et du 18 pluviôse de la même année au préfet de Vienne, documents antérieurs au décret de prairial et relatifs à des refus de sépulture au cimetière commun, il n'est pas vrai de dire que les principes qui les ont inspirés ont été développés dans les articles 15, 16, 17, 19 du décret de prairial. Ce décret a modifié les déclarations susdites, en tant qu'il a reconnu la confessionnalité des cimetières et les conséquences de leur caractère religieux.

(2) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 545 ss.; 709 ss.

Mr l'abbé Kisselstein, dans un récent article sur *les fabriques d'églises et le principe de la spécialité* (1) a solidement établi que celui-ci n'est nullement un principe de droit civil qui restreint la capacité juridique des personnes civiles, mais une simple règle de police administrative dont l'État doit se servir avec réserve et prudence. Cette mesure s'applique, sans inconvénient, aux *établissements publics* (2), qui en remplissant une fonction de l'État, ne sont qu'un démembrement et un rouage de l'administration du pays, et doivent, pour ne point troubler l'harmonie des affaires publiques, être contenues dans un cercle d'activité particulière; mais elle ne peut, sans arbitraire, s'étendre *aux établissements d'utilité publique*, capables en principe d'accomplir tous les actes compatibles avec leur nature. Les établissements d'utilité publique sont des œuvres privées, animées de l'esprit de leur fondateur ou créées pour les besoins de la société religieuse, poursuivant parallèlement à l'action des administrations publiques un but social analogue à celui de l'État, dont ils sont, non les antagonistes, mais les collaborateurs. Celui-ci a le devoir de favoriser leur activité et de leur donner tous les moyens de remplir leur mission sociale.

Cela est manifeste pour les fabriques d'églises, dont l'action ne peut nullement se confondre avec celle des administrations publiques. Elles représentent le temporel du culte catholique dans tout ce qui concerne la vie religieuse et morale de la paroisse. Le gouvernement doit leur reconnaître, dans les limites de leur nature, la faculté d'acquérir et de posséder tous les biens nécessaires ou utiles à la subsistance du clergé,

---

(1) *Revue catholique de droit*, 1910, nouv. sér., t. II, p. 213-235. Voir aussi Crouzil, *Les personnes morales* dans la *Revue catholique des institutions et du droit*, 1906, t. XXXVI, p. 216 ss.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 965 et s. nomme établissements publics, les établissements d'utilité publique et administrations publiques, les établissements publics. V. Kisselstein, *o. c.*, p. 214-220.

à l'entretien des pauvres, à l'éducation religieuse, au service du culte, notamment, la capacité de posséder des églises et des cimetières. Quel inconvénient y aurait-il à ce que les fabriques aient la propriété de cimetières paroissiaux, où s'exerceraient tous les droits de police et de surveillance que la loi reconnaît aux communes.

Il suit de là que la substitution de l'établissement légalement capable, la commune, à l'établissement incompétent, la fabrique, — seconde conséquence de la spécialisation — ne peut trouver ici son application, vu qu'on est en droit d'admettre la double capacité des fabriques et des communes à acquérir et à posséder des cimetières et qu'aucune loi n'a attribué aux administrations communales le monopole des inhumations.

Même à concéder que les inhumations constituent un service exclusivement communal, on ne pourrait en déduire que tous les cimetières sont la propriété des communes. Le droit de propriété, en effet, est indépendant du service public, qui n'affecte que l'usage de la chose dans les limites de sa destination publique, et il reprend ses effets quand l'affectation des biens vient à cesser. Si une commune peut posséder une église affectée au culte, pourquoi une fabrique ne pourrait-elle pas être propriétaire d'un cimetière affecté au service des inhumations.

Nous sommes donc en droit de conclure que l'argumentation qu'on oppose au droit des administrations fabriciennes porte à faux.

A. De Meester.

LE DÉCRET SUR LA PREMIÈRE COMMUNION.

Le décret *Quam singulari Christus amore* du 8 Août 1910 (1) fixe les règles à suivre dans l'admission des enfants à la première communion. Il comprend deux parties : une sorte d'*exposé des motifs* et un *dispositif*, qui détermine la ligne de conduite désormais universellement obligatoire.

Le but qui nous nous proposons ici est simplement d'écrire *quelques notes sur le dispositif du décret:* nous en commentons le texte, nous appuyant sur les Instructions données par les Évêques de Belgique (2). Ce à quoi nous visons surtout, c'est à orienter l'application pratique du décret (3).

---

(1) Voir le texte latin dans *Collat. Brug.*, t. XV, p. 574.

(2) Nos lecteurs voudront bien lire, pour compléter ces notes, notre commentaire: *De eerste H. Communie der kinderen. Pauselijk Decreet en Bisschoppelijke Onderrichtingen*. Brugge, Beyaert, 1911. Vol. in-18, 108 p. 0,50 c. — L'édition française paraîtra dans le courant de Février.

(3) **Note bibliographique.**

A. Vermeersch. *De prima puerorum communione.* Decreta 1910 cum interpretatione. Brugis, Beyaert, 1910. In-8, 16 p. Ce commentaire a paru presqu'au lendemain du décret dans les *Periodica* du même auteur (Sept. 1910; t. V, p. 165). Comme le disait excellemment le P. Besson, à la fin du commentaire que nous signalerons tantôt, ce sont des « notes brèves et pleines », qui ont dirigé sur plusieurs points les autres commentateurs. Ce petit volume a été traduit en français par l'abbé Mazoyer (Paris, Lethielleux; Bruges, Beyaert). — J. Besson. *L'âge de la Première Communion.* Extrait de la *Nouvelle Revue Théologique* (Déc. 1910-Janv. 1911), Tournai, Casterman, 1910. In-8, 58 p. Texte du décret, traduction française et commentaire. C'est un commentaire substantiel et clair, un des meilleurs. On verra dans les pages qui suivent qu'il nous a été d'un précieux secours. — Cardinal Gennari, dans sa revue *Il Monitore ecclesiastico* (Aug. et Sept. 1910). Traduction française dans la Revue: *Le très Saint Sacrement*, (Nov. et Déc. 1910). — S. Coubé, *L'âge de la Première Communion et le Décret* Quam singulari. Paris, Lethielleux, [1910] In 8, 48 p. Cette étude est tirée de l'*Idéal*, revue dirigée par M. l'abbé Coubé. Elle n'est pas un commentaire suivi, elle explique cependant fort bien la portée et les dispositions principales du décret et dissipera, nous n'en doutons pas, bien des malentendus. — D'autres revues encore ont

Les mesures ou règles contenues dans le dispositif peuvent être groupées de la manière suivante (1) : I. *Conditions requises pour l'admission à la première Communion* (art. I-III). — II. *Devoirs respectifs de ceux à qui incombe la charge des enfants* (art. IV-VI). — III. *Abus condamnés* (art. VII-VIII).

I. CONDITIONS D'ADMISSION A LA PREMIÈRE COMMUNION.

Les trois premiers articles du dispositif fixent les deux points suivants : 1° *Ce qu'il faut entendre par l'âge de discrétion ; 2° Quelle somme d'instruction religieuse est jugée nécessaire et suffisante.*

1° Age de discrétion.

Art. I. *L'âge de discrétion, tant pour la confession que pour la sainte communion, est celui où l'enfant commence à raisonner, c'est-à-dire l'âge de 7 ans environ, tantôt plus, tantôt moins. C'est à cet âge que commence l'obligation de*

---

publié des commentaires ou des notes sur le nouveau décret ; mais il nous semble peu utile de les signaler ici à nos lecteurs.

Un livre fort curieux, et qui à ce titre mérité d'être signalé, vient d'être publié en deuxième édition à Paris, chez P. Téqui : F. Sibeud, *La loi d'âge pour la première Communion.* In-12, XXXII-176 p. « Ce livre est un cas unique. Ecrit vingt ans avant la promulgation du décret *Quam singulari Christus amore,* il se trouve aujourd'hui en être une sorte de commentaire exact, lumineux et complet » (*Préface,* p. V). Il y a là en effet une coïncidence qui vaut qu'on la remarque. La doctrine est bien celle du décret, mais le texte du livre aurait dû être remanié quelque peu, si on voulait le présenter comme un commentaire du décret. Par exemple, le style de polémique convient peu au décret si calme et si pacifique ; par exemple encore, on ne dira pas que Pie V enseigne dans le Catéchisme du Concile de Trente « *ex cathedra,* d'une manière infaillible, ce qu'il faut savoir, croire et pratiquer » (p. 21), ni que c'est une hérésie frappée d'excommunication « que d'ajourner opiniâtrement au delà de l'âge de raison » l'obligation des enfants de communier à Pâques (p. 30), ni que la publication et l'observation des règles d'âge fixe étaient le fruit d'un parjure et d'un crime (p. 36), etc. A notre avis, ce livre présente surtout un intérêt historique.

(1) Nous adoptons à peu de chose près l'ordre suivi par le P. Besson dans le commentaire cité.

satisfaire au double précepte de la confession et de la communion (1).

L'importance de cet article est primordiale ; pour le bien comprendre, il sera utile de l'analyser et d'en peser tous les termes.

1. Remarquons tout d'abord que le décret fixe *le même âge pour la confession et pour la communion* des enfants.

Tel était bien le sentiment du Concile de Latran : « Tout fidèle des deux sexes, *lorsqu'il est parvenu à l'âge de discrétion,* doit fidèlement confesser tous ses péchés, au moins une fois l'an...; il recevra avec dévotion, au moins à Pâques, le sacrement de l'Eucharistie... » Il est d'ailleurs très rationnel de ne pas exiger un âge plus avancé pour recevoir l'Eucharistie que pour être admis au sacrement de Pénitence : en effet, du côté du pénitent deux actes, à savoir la confession et la contrition, appartiennent à l'essence même du sacrement ; ces deux actes sont donc nécessaires, non seulement pour que le sacrement porte ses fruits, mais même pour qu'il existe validement, tandis que pour communier avec fruit, il suffit que le communiant ne mette pas d'obstacle à la grâce. Ceci explique la pratique de l'Église primitive, qui admettait à la communion même les tout petits enfants, bien longtemps avant l'âge de raison (2).

2. *A quel signe pourra-t-on reconnaître qu'un enfant est parvenu à l'âge de discrétion ?*

Lorsque *l'enfant commence à raisonner,* ou, comme le décret le dit plus haut, lorsque *l'enfant distingue le bien du mal,* « dès que l'enfant est capable de faute, c'est-à-dire qu'il peut pécher mortellement » (S. Antonin) ; ou encore : lorsque *l'enfant peut distinguer le Pain eucharis-*

---

(1) Nous reproduisons, en citant le texte du décret, la traduction authentique publiée par Nosseigneurs les Évêques de Belgique.

(2) A signaler L. Andrieux. *La Communion des petits enfants avant l'âge de raison,* dans la *Revue pratique d'Apologétique,* 15 Déc. 1910.

tique du pain ordinaire. Tous ces signes sont mis sur le même pied par le décret, et servent à reconnaître chez l'enfant l'usage de la raison, en d'autres termes : l'âge de discrétion.

Remarquez qu'il est dit : lorsque l'enfant *commence* à raisonner. Dans la première partie du décret, la Sacrée Congrégation insiste sur ce point : elle allègue le témoignage marquant de S. Thomas d'Aquin, qui enseigne que les enfants peuvent communier quand ils *commencent* à avoir un *certain* usage de leur raison ; elle cite la parole du théologien Ledesma, qui commente en ces termes le passage de S. Thomas : « Quand bien même l'enfant ne comprendrait que confusément ce qu'il fait » ; elle conclut elle-même son exposé par cette déclaration très nette : « Donc, ce n'est pas la parfaite connaissance des vérités de la foi qui est requise, puisqu'il suffit que l'enfant possède quelques éléments de la foi, une certaine connaissance, *aliqua cognitio ;* non plus, on ne peut exiger qu'il ait atteint le plein usage de sa raison, puisqu'il *suffit qu'il ait commencé à en avoir l'exercice*, qu'il en ait *quelque* usage, *aliqualis usus rationis* ».

3. *A quel âge se rencontrent ordinairement chez l'enfant ces signes de discrétion ?*

A l'âge de sept ans environ, tantôt plus, tantôt moins.

La Sacrée Congrégation indique clairement qu'elle n'entend pas donner l'âge de sept ans comme un terme fixe et unique, passé lequel tous les enfants sans exception seraient tenus de communier. Les enfants, en règle générale, commencent à raisonner vers l'âge de sept ans : ils commencent alors à distinguer entre le bien et le mal, entre le Pain eucharistique et le pain ordinaire ; mais cette règle présente des exceptions : ce sera *vers sept ans,* dit le décret, *soit au-dessus, soit même au-dessous.*

« Il faut *non juger de ces conditions par l'âge*, mais *juger de l'âge suffisant par la réalisation des conditions.*

Aussi le législateur marque expressément que le nombre d'années par lui exprimé, n'est qu'une indication large; il y aura lieu d'admettre au sacrement ou plus tôt ou plus tard, suivant que l'enfant sera ou plus précoce ou plus lent. Évidemment, cela variera avec les tempéraments, les milieux, les pays, l'éducation, etc. Mais il serait formellement contraire au décret de se diriger uniquement d'après les circonstances habituelles et générales du pays, du milieu, etc., sans tenir compte des dispositions de chaque enfant, et de statuer, d'après ces présomptions communes, des lois locales fixes et universelles. Quels que soient le pays et le milieu, les parents et les confesseurs ont à porter une appréciation *individuelle,* pour chaque cas » (1).

« Nous accordons aux militaires de tout grade, à leurs femmes, enfants et domestiques, ainsi qu'aux autres personnes attachées de fait au service militaire la permission de faire gras tous les jours de l'année, excepté le Vendredi-Saint.....

Aux militaires nous assimilons les gendarmes, les douaniers et les agents de la police urbaine de service actif, les gardes forestiers, les employés en service sur les trains des chemins de fer et sur les trams, les employés techniques de l'administration des télégraphes et téléphones en service actif le long des lignes, les facteurs de la poste, les employés des accises en activité et les bateliers. »

Quem articulum, — occasione alicujus consultationis acceptæ, — sic interpretari posse putamus :

« *Les gendarmes* » intelliguntur illi qui de facto huic servitio addicti sunt, ad exclusionem np. illorum qui a munere suo se abdicarunt *(gendarmes retraités ou pensionnés)*. Tales enim communi sensu et vocabulo, sicut modo suo vivendi, relationibus, etc., jam non habentur ut « gendarmes », et in hoc multum differunt a ducibus militum quos apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 447, dum munere suo jam se abdicarunt, putabamus nihilominus adhuc hac dispensatione uti posse modo utique rationem vivendi talem servaverint qua communiter pergant haberi qua, aliqua saltem ratione, ut *milites;* unde nec illi officiales qui omnino ad vitam civilem redierunt hac dispensatione uti possunt.

« *Les douaniers* » intelliguntur illi qui muneri suo non valedixerunt, ut apparet eadem ratione ac supra, et ut vel ipse textus videtur indicare, hic exceptionaliter

ponendo conjunctivam particulam *et:* les douaniers *et* les agents de la police urbaine de service actif.

« *Les gardes forestiers* » illi certe intelliguntur qui juramento legaliter addicti sunt curæ silvarum sive status sive communitatum (des communes), sive administrationum publicarum (établissements publics), sive etiam privatorum, et de quibus agit Codex noster Instructionis criminalis, art. 9, 16-21, et lex 19 Decembris 1854 (1). Hi enim omnes pleno sensu sunt « gardes forestiers », nomine quo decorantur et munere ipsis attributo a lege. — Utrum ulterius etiam illi qui vocantur « *gardes-chasse* » hac dispositione dispensati existant, videtur negandum; etsi enim tales et ipsi juramento muneri suo addicti sunt, eoque jam pertinent ad publicæ securitatis custodes (officiers de police judiciaire) (2), nihilominus genuino sensu nequeunt vocari « gardes forestiers » (3). — Eodem modo non videntur hac dispensatione uti posse, quotquot quavis ratione curam habent silvarum, non autem huic muneri juramento legali sunt addicti: apparet enim perlegenti varias classes personarum quibuscum art. VI dispensatur, intelligi eos qui muneri cuidam publico addicti sunt (solis exceptis nautis de quibus in textu ultimo loco dicitur); ceterum tales custodes privati nec jurati, ordinarie has functiones nonnisi accessorias habent, nec est cur et ipsi speciali titulo « gardes forestiers » vocentur.

« *Les employés en service sur les trains des chemins de fer et sur les trams* », intelliguntur soli illi qui quovis titulo officiali habitualiter itinera instituenda habent via ferrea, (machinistes, chefs-gardes, contrôleurs, gardes, etc.); non ergo illi qui in stationibus variis functionibus occupantur, nec illi qui machinis vel viis muniendis et

(1) Apud Servais-Mechelynck, *Les Codes....*, Suppl., v° *Forêts.*

(2) Cfr. Pasicrisie, 1897, I, 109.

(3) Nec potest argui, ut notum est, in determinando subjecto dispensationis, ex paritate rationis quæ dispensationi locum dedit.

reficiendis vacant. Revera inter hos omnes, non tanti momenti adest discrimen laboris præstandi, ast priorum vitæ ratio sæpius irregularis, horæ refectionis sumendæ sæpe extra horas consuetas, vel in locis continuo variis, ubi cibos sæpe vetitos tantum commode accipere possent, etc.

« *Les employés techniques de l'administration des télégraphes et téléphones en service actif le long des lignes* » iterum intelliguntur illi qui palis et filis muniendis et reficiendis allaborant; non vero qui in stationibus recipiendis vel mittendis vel juvandis communicationibus vacant, vel nuntiis domum ferendis. Iterum enim horum vita est ordinata, labor certis horis determinatis præstandus, horæ et loca refectionum consuetæ.

« *Les facteurs de la poste* » ii sunt qui qua munus principale habent litteras ad domus ferendas; non ergo illi qui paucis tantum diebus, puta diebus dominicis et feriatis, in supplementum principalis tabellarii, his occupantur : his enim deficit tum nomen « facteur de la poste » pleno jure ferendum, tum labor specialis et vita irregularis quæ aliis causa dispensationis existit; nec etiam illi qui in stationibus postalibus variis negotiis occupantur.

Unde hi omnes qui art. VI, § 2 assimilandi dicuntur militibus, intelliguntur dispensatione uti posse, quousque addicti sunt variis muneribus suis, non autem ubi jam *a munere suo se abdicarunt.* — Utrum vero hac dispensatione uti possint eo tempore quo *accidentaliter,* puta ob ferias occasionales, a munere suo exercendo, cessant, videtur solvi posse in sensum affirmativum, nisi tempus cessationis adeo sit diuturnum, ut intentio dispensantis eousque se extendi rationabiliter præsumi non possit; eousque enim perdurat dispensatio in materia quæ tractum successivum habet, quousque non *totaliter* cessaverit causa motiva; jamvero dum per quoddam tempus non ita diuturnum, puta per 2-3 hebdomadas a munere suo exercendo cessant, causa dispensationis ex parte manet.

II

Circa eumdem art. VI citatum consult. præced., quæritur 1°/ quid dicendum de casu sequente: Titius est officialis navalis *Hollandicus* (officier de marine); Titia, uxor ipsius, cum filiis suis hic habitat in parochia N. diœceseos Brugensis, apud fratrem suum. — Petit Titia utrum qua uxor militis sibi invocare possit art. VI supra citatum.

Item 2°/ quid de Caia, uxore Caii militis *belgici,* dum maritus in civitate longinqua servitio militari addictus est et sic per majorem anni partem a domo sua abest.

Resp. Ad 2m. Quod *Caiam* spectat, et idem valet de filiis Caii et de famulis, — non videtur, regula saltem ordinaria, uti posse dispensatione art. VI. Etsi enim, ad litteram quod spectat, sub art. VI cadat qua uxor militis, — non videtur tamen intentio legislatoris eousque se extendisse: videtur enim deesse in casu omnis causa motiva rationabilis, cur marito de more absente et quasi non jam ad domum pertinente, cum uxore ipsius dispensetur. — Dicitur: *regula saltem ordinaria;* fieri enim forte potest aliquam adesse interdum causam dispensationis Caiæ applicandæ: ut si Caius esset dux militum, ipsiusque domus et uxor cum aliis familiis militum, jure dispensatione utentibus, relationes frequentes servaret.

Ad 1m. Quod *Titiam* spectat, ipsiusque filiis et famulis, ex dictis sub 1° apparet jam eam regula generali dispensatione militibus eorumque familiis facta uti non posse. — Ast ulterius quæri potest num *unquam* art. VI sibi invocare possit. Etenim quæri posset num Episcopus dispensare possit et voluerit cum peregrinis (1):

(1) Titiam supponimus in parochia N. quasi-domicilium suum non habere. Quod si haberet, non valeret ratio contra ipsam invocata eo quod Titius ipse extramens est; maneret tamen semper ratio prior, ob quam, in casu descripto, regula generali, non posset sibi invocare art. VI.

quod *possit*, est quæstio theoretice acriter disputata, practice tamen tuto solvenda in sensum affirmativam (1); quod *voluerit* videtur affirmandum: dispensationi enim, generalibus verbis expressæ et motu proprio latæ, nulla additur restrictio.

A. Vander Heeren.

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, pp. 36 ss.

Notæ Bibliographicæ

A. Lehmkuhl, S. J., *Theologia moralis.* Editio undecima de integro revisa, refecta, adaucta. Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1910. In-8, 2 vol., XIX-900, 950.

Commendatione, aut etiam descriptione non indiget notissimum opus R. P. Lehmkuhl in theologiam moralem. — Prima ejus editio prelum reliquit a. 1883; ex hinc variæ sibi successere continuo adauctæ, in quantum rerum temporumque nova adjuncta et in specie nova decreta Romana postulabant, non raro item opportune emendatæ. Meritum operis satis edicitur, eo quod undecima hodie lucem videat editio, et quod hucusque fere quadraginta milia exemplaria in varias regiones fuerint sparsa.

Hac editione fuit totius operis tenor et ordo universalis idem servatus, ast in singulis partibus ordo rerum non parum immutatus et res ipsæ iterum adauctæ et accuratius expressæ. En quæ A. tanquam ex novis præcipua notat: « in volumine I totum caput de fine; additiones: de obstaculis liberi arbitrii, de peccatis iisque mortalibus et venialibus; nova capita de contractu operariorum; de variis monopolii generibus, de diversis assecurationibus. — In vol. II.: Complura addita de sacramentorum notione et efficacitate; de S. Communione ejusque frequentia; de SS. Missæ applicatione atque Missarum stipendiis; de extrema unctione; de sponsalibus et matrimonio eorumque nova forma. »

A lectoribus laudati operis non raro audiebatur, quoad materialem dispositionem et facilitatem usus, aliis hujus generis operibus illud cedere: solebat revera materia ordine — primo intuitu obvio — disponi ita ut prius nonnullis assertis compendiosis exhibita substantia doctrinæ, singula asserta postea iterum assumerentur, explicarentur et probationem obtinerent; ast inde, juvantibus etiam ordinarie variis numerorum seriebus simul adhibitis, labor hinc inde quærendi quæ sibi mutuo respondebant, et mentis continua distractio. — Non parum hæc præsens editio dictum incommodum vitat: solet enim, cuique speciali asserto substantiali, litteris majoribus excuso, subjungi statim sua uberior explicatio, vel ubi varia asserta ob intimam connexionem simul traduntur, singuli expositioni ulteriori, præmitti litteris crassioribus materia asserti. — Lugendum, ast quomodo aliter commode fieri potuerit non apparet, A. non potuisse servare numeros marginales eosdem quos in aliis editionibus assumpserat, et sic quasi interrupisse connexionem cum ipsis, necnon usum et modum citandi reddidisse impeditiorem. Quod incommodum ut partim tollatur, addidit ipse A. in fine totius operis tabulam qua invicem conferuntur veteris et novi ordinis numeri marginales.

Opus hoc undequaque præclarum ducimus, et inter varia opera generalia circa universam theologiam moralem ex præstantissimis.

A. Vander Heeren.

Gardeil, O. P. *Le donné révélé et la théologie* (1). Paris, 1910, Gabalda. In-16, 372 p. Fr. 3,50.

C'est un livre du plus haut intérêt non seulement pour l'actualité de la matière qu'il traite, mais encore, et surtout, pour la puissante pénétration et sûreté de coup d'œil avec lesquelles l'A. propose, discute et solutionne les nombreuses questions que suscitent ces deux termes : *donné révélé* et *théologie*. Sans donner un résumé complet de l'ouvrage, nous indiquerons les principales conclusions qui y sont développées et défendues.

Le *donné révélé* est le jugement exprimé ou affirmation que Dieu lui-même produit par une opération immédiate dans l'intelligence du prophète (considéré en général, y compris Jésus-Christ), affirmation destinée a être communiquée à la société chrétienne. Ce donné révélé est vrai et fixe, en d'autres termes, il a une valeur absolue : « grâce au double absolu qui a contribué à le formuler : 1° à l'absolu dont sont capables certaines affirmations humaines (2) ; 2° à l'absolu de l'action divine qui a coopéré à fournir ses matériaux et de la lumière divine qui les a éclairés... La vérité révélée fait donc plus que participer à l'absolu de certaines affirmations humaines ; elle y ajoute les garanties absolues de la science divine se créant une issue par l'inspiration dans le processus psychologique de prophète, jusques, et y compris, la formulation extérieure de cette vérité » p. 75-76.

Le *dogme* « est une assertion révélée, définie par l'Église, proposée et imposée par son magistère infaillible à la foi des fidèles » p. 77. La question principale, qui se pose, est celle de l'homogénéité substantielle de la vérité révélée avec le dogme, c'est-à-dire, « Le donné révélé et les formules définies par l'Église sont-ils substantiellement identiques? » p. 77. Oui, répond l'A. après avoir réfuté le modernisme (p. 78-82), et il base sa réponse sur cette triple considération : a/ que l'Église, en définissant un dogme, a en vue de préciser son vrai sens, son contenu réel, b/ que l'Église, pour atteindre ce but, se sert de l'affirmation humaine, c'est-à-dire de ce fonds de connaissance commun aux hommes en général, c/ que l'Église est assistée, dans ce travail, et rendue infaillible par l'Esprit-Saint (p. 87-114) (3). — Après avoir exposé ce que le dogme a d'absolu, l'A. en vient au problème de ce qu'on a appelé la *relativité* des formules dogmatiques. Il faut admettre une double relativité : 1/ la relativité *métaphysique*, qui consiste en ce que l'affirmation dogmatique n'est pas une expression absolument adéquate à la réalité divine exprimée, mais une expression *analogique*, vraie cependant, fondée sur la notion analogique de l'être (p. 118-149) ; 2/ la relativité *historique*, qui

(1) Suite à l'ouvrage : *La crédibilité et l'apologétique ;* cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 107 ss.

(2) L'A. a très opportunément consacré le premier chapitre à l'*affirmation humaine* (p. 1-40) : il y démontre la réelle valeur cognoscitive de l'intelligence humaine, sa capacité d'atteindre la réalité, *ce qui est*.

(3) Dans ce chapitre (p. 106-114) l'A. explique comment, d'après lui, il faut entendre la solidarité de certaines définitions dogmatiques avec la signification métaphysique de certains termes et certaines thèses philosophiques.

consiste en ce que les formules dogmatiques peuvent varier, d'après les époques, tout en conservant l'identité substantielle du donné révélé: ce développement des affirmations dogmatiques doit être considéré comme un cas particulier du développement doctrinal humain: l'Esprit Saint garantit l'homogénéité du développement des formules dogmatiques avec le donné révélé (p. 151-183) (1).

La *théologie,* proprement dite, est une science, au sens strict du mot: elle a son point de départ dans le donné révélé et sa méthode est la déduction. Voici ce qui constitue l'œuvre caractéristique de la théologie: « Prendre pour premier objet et principe de son travail les vérités contenues dans le Donné révélé, soit primitif, soit dérivé, je veux dire tel qu'il ressort des définitions de l'Église, le dogme en un mot, — et se proposer d'en faire sortir par voie de déduction rationnelle, toutes les virtualités, toutes les conséquences, tous les rapports que soutiennent les vérités qu'il contient, soit entre elles-mêmes, soit avec les vérités rationnelles, toutes les aptitudes enfin à former une systématisation d'ensemble » (p. 190). Pour réaliser cette œuvre, le théologien se sert de connaissances naturelles, distinctes de la théologie (2); mais qui sont requises et pour fixer le sens exact du donné révélé, qui devient ainsi le donné théologique immédiat, et pour extraire du donné théologique immédiat les conclusions qui y sont virtuellement contenues: l'homogénéité des conclusions théologiques avec le donné révélé résulte de ce qu'elles nous livrent chacune un aspect de la notion révélée de Dieu, notion que le théologien accepte par la foi: d'où il résulte que la théologie est une science surnaturelle (p. 196-249). — De la science théologique, proprement dite, il faut distinguer les *systèmes* théologiques, qui sont nécessaires, mais qui sont d'inégale valeur (p. 252-279). — Parmi les systèmes, il en est un qui les surpasse tous: celui de S. Thomas d'Aquin: sa doctrine, dans ses idées maîtresses et dans l'organisme de son ensemble est l'expression la plus parfaite que puisse prendre la théologie catholique (p. 284-318).

Dans un épilogue d'envolée superbe, l'A. expose et décrit la valeur du dogme et de la théologie pour la vie surnaturelle (p. 319-358).

Il faudrait plus qu'une note bibliographique pour donner une idée complète d'un travail aussi compréhensif, si remarquable et si important qu'est le livre du R. P. Gardeil: les idées fondamentales, que nous avons esquissées, suffiront à exciter chez nos lecteurs le désir de lire l'ouvrage. Nous ne dirons pas que nous souscririons à toutes les assertions de l'A. (3), qu'il ne reste plus rien à élucider, notamment dans le chapître

---

(1) L'A. (p. 154-157) montre bien pourquoi est défectueuse la comparaison du développement dogmatique avec la croissance du germe vivant.

(2) D'où l'équivoque de certaines expressions, telles que: *théologie biblique*, *théologie historique* (p. 189 s.).

(3) Notamment nous ne pensons pas que toutes les vérités définies par l'Église sont des vérités *révélées* et nous admettons la *foi ecclésiastique* (par opposition à la foi divine): nous sommes persuadés que l'Église, quand elle a solennellement déclaré que l'âme rationnelle est la forme (substantielle) de l'homme, a défini, non une vérité révélée, mais une conclusion théologique, ou une vérité objectivement connexe avec une vérité révélée. Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 412-415.

des *systèmes* théologiques; mais nous sommes persuadés que l'A. a projeté une vive lumière sur des notions de première importance, sur les principes et la solution définitive du problème de l'homogénéité du donné révélé avec le dogme et la théologie.

J. VAN DER MEERSCH.

Compendium Introductionis Generalis in S. Scripturam, Pars prior: *Documenta* auctore **A. Camerlynck,** Eccl. cath. Brug. canonico ad honores, S. Th. Doct. in Univ. cath. Lov. et S. Script. Prof. in Maj. Semin. Brug. Pp. XII-127 in-8°; fr. 1,75.

Ex Præfatione auctoris

Quum de hujus « Compendii Introductionis Generalis in Sacram Scripturam » ratione, distributione ac methodo in « Prolegomenis » ad partem alteram ex professo sit disserendum, superest tantùm ut quid ad opus vulgandum nos impulerit, quidque in eo potissimum intenderimus, paucis præmoneamus....

Movit autem maxime plurium prudentiorum opinio, movit pariter propria persuasio, paucos esse libros, præsertim latine conscriptos, hodiernæ scientiarum biblicarum conditioni modo convenienti pares, in quibus VARIÆ ET SINGULÆ quæstiones generales, in Scripturas introductoriæ, exponuntur, quique simul tamquam « MANUALES » in prælectionibus apte adhiberi queant.

Magnam quidam esse copiam librorum, etiam a catholicis auctoribus conscriptorum, in quibus Scripturarum historia, vel inspiratio, vel canonicitas, aliæve generales quæstiones exponuntur, haud ignoramus, cùm potius ex eorum præcipuis multa hauserimus iisque plura debeamus. Verùm plures reperiuntur qui unam aliamve quæstionem graviorem prætermittunt, vel æquo brevius absolvunt, vel momentosas disputationes, methodo historica vix aut ne vix quidem adhibita, mere scholastice quasi et unice a priori pertractant. Mittimus autem hujusmodi disputationes variis linguis vulgaribus plerumque fuisse concinnatas, ità ut in pluribus ecclesiasticis Seminariis tanquam manuales libri ægre aut nullatenus adhiberi possint.

Unde juvenum ad sacrorum librorum studia accedentium utilitati servire cupientes, rem nec plane inutilem nec ætati nostræ plane incongruam nos tentaturos jndicavimus, si novam Introductionem Generalem in S. Scripturam, tironibus Seminariorum præprimis accommodatam, conscribere pro viribus tentaremus....

Ne autem copia eruditionis et documentorum ecclesiasticorum, quæ in Generali ad Scripturas Introductione singulis fere paginis allegandaveniunt, methodo didacticæ necnon concinnitati ac perspicuitati doctrinæ noceat, Documenta præcipua quæ in tractationis decursu frequentius allegantur, distincto tomo excudenda curavimus. Hac vero ratione in

tractatione historico-scholastica ad classicos quasi hujusmodi textus lectorem opportune et frequenter dirigere licet, dum præterea sensus verborum quæ auctoritatis vel confirmationis gratiâ invocantur, in contextu sæpe multo clarius apparet. Demum — quidni dicamus? — studiis scripturisticis in genere, ac disputationibus de inspiratione et canone in specie usque in hodiernum diem nocuit, quod a multis THEOLOGIA POSITIVA, uti aiunt, æquo magis neglecta fuerit, documenta et monumenta, sive infallibili Ecclesiæ Traditione sancita, sive historicâ traditione ecclesiasticâ transmissa vel oblivioni data vel nomine tantùm cognita reipsa practice omissa fuerint.

Cui fundamento ecclesiastico, tum dogmatico quum historico, haud neglectis utique aliis subsidiis, elaboratio didactico-scholastica in altera Tractatus parte, sæpe ut commentarius legitime superstruetur, idque eo faciliori modo quod varia documenta ordine logico (quantum argumenti ratio ferebat) et chronologico distribuenda curavimus: ea iisdem satis presse aptantes capitibus, quæ tractationi scholasticæ, secundum logicum ordinem distribuendæ, eligenda videbantur.

Documentorum tituli, per totum libellum eodem modo appositi, brevissimis verbis argumenti summam indicant; eorum ætas et fons vel fontes unde deprompta fuerunt, adnexa reperire est, adjecta quandoque brevi notatione ubi opportunum visum fuit.

Tria postremùm præmonenda velimus: primum, nos a referendis documentis patristicis circa Inspirationem S. Scripturæ destinatò abstinuisse, tùm quia innumera esse videntur, tùm quia breviora hujusmodi excerpta nomine « documentorum » ægre decorantur et opportuniori loco scholasticæ tractationi inseri posse videntur: — secundum, nos plura antiqua documenta (e. g. canones) juxta fontes appositos serviliter, servatis nonnumquam mendis ac barbarismis, edidisse, ut simul specimina exstarent iniquæ conditionis quam, ut alias taceamus rationes, amanuensium incuria textibus antiquis intulit; — tertium, nos græca documenta latino tradidisse sermone, ut Compendium alumnis omnibus, etiam in græcitate minus peritis, inservire posset.

Compendium ita concinnatum, licet in pluribus sane perficiendum, in aliquale sacrarum Scripturarum subsidium esse cessuram speramus, confidimus.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii.

—

I

Interpretare Coloss. I, 15-17.

II

Distinctas expone notiones *mali, doloris, tristitiæ, pœnæ,* pœnæ tum *concomitantis* tum *exterius inflictæ;* illasque illustra exemplis desumptis ex pœnis Inferni.

III

Quomodo agendum est cum pœnitente qui in confessione detegitur divortium civile, stante matrimonio canonicè valido, illicitè impetrasse, sive ad nova vota transire attentaverit sive non?

IV

Proles illegitimæ (sive simpliciter naturales sive incestuosæ aut adulterinæ), quanam habitudine respectu parentum naturalium sese habent, juxta dispositiones codicis nostri civilis et attenta moderatione inducta per legem diei 6 Aprilis 1908?

V

Indica nonnulla subsidia ad nutriendum spiritum fidei.

VI

Interpretare hanc legem *Rit. Rom.* « negatur... ecclesiastica sepultura... seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ ».

154

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Camerlynck. *Compendium Introductionis Specialis in S. S^am^.* Pars prior, XII-128 p. Fr. 1,75.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

De eerste H. Communie der kinderen. Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVI, pag. 94).

QUÆSTIO IX.

INQUIRITUR INTIMIOR RATIO MODUSQUE VISIONIS BEATIFICÆ; AN ET QUALIS SIT UNIO BEATORUM CUM PERSONA VERBI INCARNATI.

67. Hæc sufficiunt ut nunc intimius scrutemur rationem modumque visionis beatificæ. Ut autem ex præmissis jam satis intellexerit lector, distinguendum præprimis est claritatis gratia inter ea quæ requiruntur ut creatura Deum videat et ipsum actum visionis, quæ duo proin distinctim considerabimus.

I. Cum ad omnem visionem, ut loquitur S. Thomas, requirantur duo, scilicet vis visiva et unio rei visæ cum visu; ad visionem beatificam, quæ est actus intellectus plane supernaturalis ac divinus, intuitio essentiæ divinæ seu ipsius Dei unius et trini, soli Deo ex natura conveniens et propria, requiritur:

1° *ex parte subjecti videntis a*/ remote quidem ut subjectum istud sit sanctum, et per Spiritum sanctum inhabitantem deiformis seu filius Dei adoptivus. Etenim visio Dei est præmium meritorum (1) quæ sine sanctitate non consistunt, quamquam præmium hoc omne

(1) Cf. S. Thom., 1-2, q. V, art. 7.

meritum excedit (1). Deinde eadem visio est summa creaturæ assimilatio Deo, ita ut nulla creatura ad hanc sublimitatem evehatur, nisi jam sit filius Dei adoptivus et eatenus jam similitudinem aliquam Dei gerens.

Præterea visio est proxime intellectus, et Dei visio est supra vires totius naturæ intellectualis creatæ aut creabilis, requiritur ergo *b/ proxime*, ex parte subjecti videntis, ut intellectus ejus lumine quodam divino extollatur supra naturam, seu summo intellectui divino assimiletur atque uniatur, et confortetur, ut capax fiat visionis Dei.

68. Quomodo autem hæc ulterior exaltatio filii Dei adoptivi ad tantam sublimitatem concipienda est? Respondemus, cum omni modestia exponendo nostram opinionem, prudenti conjectura usi potius quam affirmantes rem esse aut imo æque probabilem esse quam ea quæ de inhabitatione Spiritus sancti in justis supra demonstravimus. Itaque hoc solum asserimus nostræ explicationi nihil obstare e dogmate Ecclesiæ; et, contra, ex analogia cum supra ostensis atque e fontibus fidei, doctrina nempe Scripturæ sanctorumque Patrum, nostram sententiam apte deduci ac confirmari posse, ut videbimus.

Igitur, supra ostendimus, ex unione personæ justi cum persona Spiritus sancti personam justi secundum se totam dignificari, ita ut personam induat deiformem filii Dei adoptivi. Cum autem in ista unione tota mutatio fiat necesse est in altero termino, nempe persona creata, Deus ut ad extra operans hanc unionem operando simul infundit in animam justi gratiam sanctificantem cum annexis donis, tum ut dispositionem ad habendam personam Spiritus sancti, tum ut vinculum unionis cum eodem Spiritu.

Pariter, persona justi cum sit per inhabitantem Spi-

(1) Vid. Propos. 14 inter 79 damnatas in Baio a S. Pio V, Greg. XIII et Urbano VIII, a. 1567, 1579 et 1641.

ritum sanctum filius Dei adoptivus effecta, digna est ut jam in termino constituta etiam uniatur simili quadam unione cum persona Verbi, qua unione magis deiformis fiat ac filius Dei adoptivus adhuc similior Filio naturali, et per eum tum Patri tum Spiritui sancto. Sic Verbum, natura humana hypostatice assumpta in unitatem suæ personæ, unietur quoque ista altera unione ordinis moralis cum persona cujusque sancti in cœlo. Cum autem rursum tota mutatio in hac unione sit in termino creato, Deus ad extra operans hanc unionem, simul infundit in animam sanctam lumen divinum gloriæ, cujus semen est gratia sanctificans, tamquam dispositionem ad habendam personam Verbi simulque ut vinculum unionis cum eodem Verbo divino.

Diximus unionem cum Verbo similem, ut expositum est, non vero æqualem unioni cum Spiritu sancto. Hanc enim perficit illa et ab eadem distincta existit pro ratione distinctionis personæ Verbi a persona Spiritus sancti et diverso caractere personali utriusque. Spiritus sanctus habetur a justo ut Donum, primumque donum quod est Amor, qui cum similes non reperit facit. Verbum vero, pro caractere personali, habetur ut manifestans se (1), et Patrem cujus est imago consubstantialis, necnon Spiritum sanctum qui ab utroque tamquam ab uno principio procedit, quique a Patribus sæpe imago Filii dicitur, quamquam id diverso minusque stricto sensu intelligi debet quam Filius imago Patris existit (2).

69. Porro, eadem unio cum Verbo similis apparet unioni cum Spiritu sancto, simulque ab ea distincta, etiam ex hac alia consideratione. Videlicet, sicut uni-

---

(1) Juxta illud Joan. XIV, 21 : « Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum ».

(2) Videlicet per hoc significare volunt Patres Spiritum sanctum esse æqualem, consubstantialem Filio, sicut et Patri, et a Patre *Filioque* procedere; non modum processionis indicare intendunt, cum solus Filius formaliter ut imago, eaque Patris, procedat a Patre.

tum esse cum Spiritu sancto totam personam humanam afficit, eamque deiformem ac filium adoptivum constituit, gratia vero sanctificans cum annexis virtutibus præprimis theologicis animæ inhæret ejusque facultatibus, et spectat ad operationem, quemadmodum supra suo loco (1) explicavimus: ita unitum esse cum Verbo totam personam humanam aliquando afficiet, cum, resumpto corpore glorioso ad similitudinem corporis gloriosi Christi, tota persona humana dignificabitur simillima Deo facta et perfectus Dei filius adoptivus; lumen vero gloriæ animæ seu intellectui proxime inhæret, et spectat ad operationem perfectissimam visionis divinæ. Itemque gratia habitualis in via, utpote dispositio ad unionem cum Spiritu sancto ejusdemque unionis vinculum, spectat, pro caractere personali Spiritus sancti, ad primo conjungendum sine merito hominem cum Deo per charitatem et sanctitatem; lumen vero gloriæ, tamquam dispositio ad unionem cum Verbo ejusdemque unionis vinculum, tendit, pro caractere personali Verbi, ad supremam manifestationem Dei unius et trini, meritis retributam. Ubi etiam adverte unionem cum Verbo non evacuare unionem cum Spiritu sancto, sed imo eam perficere, cum et in termino maneat sanctitas et charitas, eaque perfectior sit quam in via, et ut quibusdam videtur (2) etiam specifice perfectior fiat.

Vides quam accurata sit omnibusque numeris exacta analogia inter unionem personæ humanæ cum Spiritu sancto supra demonstratam, et unionem cum Verbo, quam heic exponimus. Quæ quidem analogia et perfecta rerum convenientia, quæ et sequentibus lucidior apparebit, haud leve argumentum veritatis rei existit. Sed et doctrina Scripturæ et Patrum egregie opinionem nostram confirmat, quam doctrinam infra evolvemus, postquam explicationem nostræ sententiæ absolverimus.

---

(1) Quæst. præc., scil. VII, passim; et Q. VI, n. 42 et sqq.
(2) Vid. Lessium, *De Summo bono*, l. II, c. XIV.

70. Jam paulo amplius declarandum est munus luminis gloriæ, ut deinde transeamus ad ea quæ requiruntur ex parte objecti visi.

Lumen gloriæ, ut diximus, dispositio est ad habendam personam Verbi simulque vinculum hujusmodi unionis cum Verbo. Etenim eodem instanti physico Deus, ut ad extra operans, infundit lumen gloriæ ut dispositionem ad unionem cum Verbo, et active hanc unionem efficit, ita ut ex parte recipientis seu materiæ natura prius sit habere lumen gloriæ, ut dispositionem, quam habere Verbum sibi unitum; ex parte vero agentis Dei et finis, qui in fruitione Verbi consistit, et per illud totius divinæ Trinitatis, prius sit natura unire Verbo animam sanctam (cum jure ad unionem futuram totius personæ humanæ in glorificatione corporis), quam infundere lumen gloriæ (1).

Utrumque autem munus, dispositionis nempe ad unionem cum Verbo divino, et vinculi ejusdem unionis, exercet lumen gloriæ eo quod sit principium elevans seu extollens intellectum ad supremam quamdam cum divino intellectu similitudinem, confortando eum et capacem reddendo ipsius visionis Dei, quæ natura soli Deo competit, juxta illud, postea latius explicandum: « Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (2). »

Itaque res hoc ordine fieri concipimus: Deus, communi S. Trinitatis actione, animam jam remote dispositam utpote animam filii adoptivi, ut talis consortis divinæ naturæ similisque jam Deo per inhabitantem Spiritum sanctum, unit cum Verbo, in ipsa hac unione eam simul disponendo proxime ad unitum esse, per lumen gloriæ, quo anima supra naturam supremo quodam modo assimilatur Deo, capax effecta divinæ visionis. Cum autem in ista unione tota mutatio fiat necesse

---

(1) Cf. quæ supra dicta sunt, n. 43, de unione cum Spiritu sancto.
(2) 1 Joan., III, 2.

est in anima, effectus et vinculum unionis est idem gloriæ lumen, cujus ratione dicitur et est unita anima cum Verbo, eam illuminante ad visionem. Qui quidem effectus se habet ex parte subjecti videntis; sed et alius est effectus ejusdem unionis cum Verbo, sese habens ex parte objecti visionis, de quo nunc dicendum.

71. Igitur 2° *ex parte objecti visi* requiritur unio illius objecti cum vi visiva, aliis verbis necesse est ut objectum visionis sit unitum, seu visibiliter, id est, intelligibiliter ac intuitive præsens videnti.

Jamvero, in cognitione creati intellectus naturali, unitur objectum vel per se ipsum, si est pure intelligibile et præsens, quemadmodum Angelus seipsum intuetur; vel per speciem intelligibilem a Deo impressam seu naturaliter congenitam, si est absens, et sic angelus cognoscit alia a se (1); vel tandem, in cognitione animæ nostræ corpori unitæ, cum nullum objectum sit nobis actu intelligibiliter præsens, intellectus noster, qua agens est seu vis abstractiva, ex objectis sensu perceptis efformat speciem intelligibilem eamque imprimit intellectui, qua possibilis est, ut intellectus hac specie determinetur ad actum et objectum percipiat seu conceptum verbumve mentis illius objecti in se exprimat (2). Anima a corpore soluta intelligit se per seipsam, intelligit quoque alias animas, imperfecte et deficienter angelos; cætera per species conservatas aut a Deo impressas (3).

In visione vero beatifica, cujus objectum est divina essentia intuitive visa, quæque non modo plane supernaturalis est, totius naturæ creatæ aut creabilis vires ac exigentiam superans, sed complementum, perfectio atque fastigium est status supernaturalis ac divini creaturæ, requiritur ex parte objecti unio cum vidente

(1) De cognitione angelorum vid. S. Thom., 1, q. 54-58, præs. q. 55.
(2) De cognitione humana ibid., q. 84-88, præs. q. 85.
(3) De cognitione animæ separatæ, q. 89.

omnino specialis et singularis. Deus quidem est in se summe intelligibilis actu, omnibusque intime inest per præsentiam, potentiam et essentiam ; sed hæc non sufficiunt ut a creatura videatur. Imo nec sufficit quod Deus creaturæ insit per gratiam sanctificantem et charitatem ipseque Spiritus sanctus uniatur creaturæ eamque inhabitet, quia hæc omnia constituunt tantummodo inchoativam in hac vita fruitionem Dei. Oportet ut sit quædam unio objecti beatifici in modum specialis manifestationis sui, simul cum infusione luminis gloriæ in subjecto vidente.

72. Jamvero est Dei manifestatio suprema *ad intra* in processione a Patre Verbi æterni, quod est imago consubstantialis et perfecta Patris, splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, lumen de lumine, quodque illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Filius quoque est qui *ad extra* manifestat Patrem invisibilem, ut sæpe loquuntur sancti Patres. Ita S. Irenæus: « Neque enim, *ait* (1), cognoscere Patrem quis potest, nisi Verbo Dei, id est, nisi Filio revelante... Et Patrem quidem invisibilem et indeterminabilem, quantum ad nos est, cognoscit suum ipsius Verbum, et cum sit inenarrabilis, ipse enarrat eum nobis... Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris est Filii manifestatio : omnia enim per Verbum manifestantur. Etc. » Et hæc quidem de manifestatione Dei per Verbum in tempore directe agunt, sed et valent pro manifestatione universim adeoque et æterna in cœlis, de qua cæterum agentem eumdem Irenæum citabimus infra.

Gregorius Nazianzenus : « Verbum porro, *inquit* (2) [vocatur], quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem : non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter conjunctionem

(1) *C. hæreses*, l. IV, c. VI (ap. Migne) al. XIV.
(2) *Orat. theol.* IV, n. 20; al. orat. 36, in ed. Maur. 30.

ipsius cum Patre, vimque enuntiatricem. Fortasse etiam quis dixerit eodem modo se ad Patrem habere, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque λόγος dicitur. Qui enim Filium intellexit, ait Christus, (hoc enim significat illud: qui vidit) Patrem quoque intellexit, et compendiosa facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius. »

Addamus et Augustinum: « Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, divinitatis naturam atque substantiam insonabiliter narrat; et ideo dignis idoneisque tanto conspectu oculis etiam invisibiliter monstrat (1). »

Hæc porro doctrina Patrum omnino fundatur in ipsius divinæ Scripturæ eloquiis, quæ omnes norunt et ad quæ citati Patres manifeste alludunt

73. Quæ quum ita sint, nobis videtur essentiam divinam ut objectum visionis beatificæ non aliter manifestari videnti quam per Verbum. Profecto, satis communiter agnoscunt theologi Deum non videri per impressam speciem creatam, imo multi cum S. Thoma ejusque schola hujusmodi speciem, non modo non esse necessariam, sed nec existere posse autumant, ut supra vidimus, et confirmat Chrysostomus dicens: « Alibi rursus ait Scriptura: Non debemus æstimare auro aut argento aut lapidi, sculpturæ artis aut cogitationis hominis divinitatem esse similem. Quod autem dicit, hanc sententiam habet: Non modo figuras quæ cernuntur excedit Numen, sed neque mens efformare tale quiddam potest, qualis est Deus. Qui fieri potest ergo ut hominis figuram habeat Deus, cum ne mentem quidem ullam posse dicat Paulus essentiam Dei apud se cogitatione efformare (2)? » Quasi dicat: Deus solus qualis est, talis est, ita ut nec objectiva aliqua similitudo seu imago Dei ut in se est produci possit, nec etiam species intelligibilis impressa aut expressa; quidquid

(1) *Ad Paulinam Epist.* 112, *de videndo Deo*, c. XV.
(2) Tom. II, *Serm. 2 in Gen.*

enim ipse non est, dissimillimum est. Restat ergo unam esse speciem Dei intelligibilem, nempe imaginem consubstantialem Patris seu Verbum quod ipsum Deus est, ita ut « sine Deo non cognosci Deum » merito asserat Irenæus (1).

Cæterum de quæstione an species aliqua creata Dei ut in se est, sive impressa sive saltem expressa, sit aut esse possit, sermo recurret mox ubi de ipso visionis actu agemus.

Itaque, in nostra opinione de unione animæ sanctæ, ac porro in resurrectione totius personæ sanctæ, cum Verbo, aptissime explicatur hoc alterum requisitum ad visionem ex parte objecti visi. Eo enim ipso quod Deus unit animam cum Verbo, tum subjective confortat et elevat intellectum infundendo lumen gloriæ, tum objective producit unitum esse cum persona Verbi, quæ cum sit imago vitalis et perfecta, consubstantialis Patri, ad instar speciei intime unitæ videnti, huic manifestat Patrem, et se, adeoque et Spiritum sanctum ab utroque procedentem; neque enim Pater videtur sine Filio, nec Pater et Filius sine Spiritu sancto, sicuti nec est Pater sine Filio et vicissim, nec uterque sine Spiritu sancto, nec Spiritus sine Patre et Filio; neque personæ, cum sint una eademque essentia, sine substantia, nec substantia sine personis intuitive videtur aut videri potest. Unde videtur per Verbum et divina essentia et videntur processiones æternæ et divina personarum Trinitas.

74. II. Restat dicendum de ipsa visione, seu actu ipso videndi Deum.

« Deus qui videtur, *sunt verba Suarezii* (2), est principalis auctor hujus visionis et utitur intellectu creato tamquam instrumento, cui conjungit substantiam suam tamquam objectum ad efficiendam visionem ».

Hoc principium exponi et applicari generalius potest

(1) Cit. lib. IV, c. VI (al. XIV), n. 4 in fine.
(2) Tr. I *de div. subst.*, l. II, c. XII, n. 20 in fine.

dicendo: omnem actionem nostram proprie et stricte supernaturalem esse quodammodo actionem divino-humanam (1). Qua in re sunt varii gradus. Sic actus ex gratia actuali ante justificationem positus habet auctorem principalem Deum, intellectus autem et voluntas sunt instrumenta mere transitorie conjuncta cum agente Deo, adeoque et transitorie elevata ac roborata ad actum supernaturalem ponendum. In justo vero eædem facultates sunt habitualiter conjunctæ Deo per gratiam sanctificantem cæterosque habitus, unde fit ut actus vi horum principiorum supernaturalium positi sint in justo majoris perfectionis, sintque meritorii vitæ æternæ. Et sub lege quidem nova cum inhabitantem habeat justus Spiritum sanctum indeque sit filius Dei adoptivus, major dignitas accedit omni actioni suæ supernaturali.

Atvero in termino beato agitur de actu supremo supremæ facultatis, nempe intellectivæ, id est, de visione qua attingitur finis ultimus seu Veritas substantialis summumque bonum; adeoque et unio requiritur suprema intellectus videntis cum illo objecto summo visionis, ut sit instrumentum subjective aptum et objective conjunctum cum Deo videndo. Hoc autem totum fit ex unione cum Verbo divino, ut explicavimus. Deus ergo se videns, per Verbum seu in Verbo sibi conjunctum habens ut instrumentum intellectum creatum, facit et hunc intellectum videntem se.

Porro intellectus cum sit instrumentum vitale, visio beatifica proxime ab ipso est, nec ergo est visio increata ipsius Dei intellectui creato communicata et applicata, ut quidam posuerunt. Quod si ita intelligatur ut excludas visionem beatificam creatam actumque ipsius creati intellectus, erroneum est nec intelligi potest. Hoc solo, eoque sano sensu id dici potest, quatenus increata visio Dei, qui auctor principalis est visionis beatificæ creatæ, transit per intellectum creatum utpote instrumentum,

(1) Vid. nostras *Medit. theol.*, p. II, c. 1, a. V, § 5.

idque vitale, ita ut intellectus creatus vere eliciat proxime visionem Dei creatam, quæ terminatur ad idem objectum, scilicet Deum visum, ac visio increata; et ponendo utique instrumentum conjunctum Verbo ineffabili illa unione supra adumbrata, qua fit ut et intellectus lumine gloriæ sit instructus aptusque et capax ad videndum, et sine specie intelligibili impressa creata, per Verbum ad instar speciei a Deo ut in se est non distinctæ, uniatur intellectui objectum visionis.

75. At hic oritur nodus solutu difficilis. Agnoscunt theologi ferme omnes non esse nec intelligi visionem seu intellectionem quamvis sine specie expressa seu conceptu ac verbo mentis ut termino actione intellectiva producto. Quod si admittendum est, jam hoc verbum mentis creatum, in visione beatifica, dicendum est repræsentare Deum sicuti in se est, secus enim non videretur Deus in se: unde sequitur quasi a fortiori saltem non repugnare speciem impressam creatam quæ Deum repræsentet ut in se est, contra S. Thomam ejusque scholam (1).

Nonnulli cum Sylvio (2) difficultatem enodare contendunt negando in visione beatifica verbum mentis seu speciem expressam creatam. Quamquam, aiunt, S. Thomas dicit esse de ratione intelligentis producere verbum, hoc asserit de intelligente connaturaliter operante; ideoque non oportet ut hoc verificetur de intelligente non solum supernaturaliter sed modo prorsus extraordinario. Advertunt porro non omnem actionem esse productionem, nisi sit actio transiens, nam actio immanens est tendentia in objectum; et visio beata est vitalis tendentia intellectus in Deum proxime et immediate sibi intelligibilem.

---

(1) Heic agitur de solis speciebus impressa et expressa, seu de similitudine *repræsentativa* Dei; non de similitudine per convenientiam formalem et in aliqua unitate fundatam, qualis est similitudo Dei per lumen gloriæ, quod S. Thomas similitudinem Dei vocat.

(2) In 1, q. XII, art. 2.

Alii plerique hanc explicationem non admittunt. Ita Suarez tenet non repugnare speciem impressam Dei creatam sed non dari, utpote non necessariam (1). S. Thomam, ait (2), excludere omnem similitudinem repræsentativam præter illam quam vocamus expressam (conceptum seu verbum mentis). Et paulo ante (3) animadvertit S. Thomam numquam dicere « rem ipsam repræsentatam per verbum, in illo tantum cognosci tamquam in objecto immediato, sed ad summum indicat similitudinem illam ita repræsentare rem, ut etiam seipsam repræsentet : ut probabile est, nunc beatos videndo Deum, simul et eodem actu videre suam visionem et verbum quod de Deo formant, non quia Deum videant in illa imagine creata, sed quia ita per illam vident ipsam essentiam, ut ob excellentiam et subtilitatem illius visionis, illam etiam reflexe videant, participando perfectionem illam qua Deus videndo se, videt scientiam quam de se habet. Quidquid ergo sit, an species expressa sit cognita per seipsam, hoc non tollit quin repræsentet rem prout in se est ; ergo ob hanc causam non oportuit excludere similitudinem formalem et expressam a beatis. Eo vel maxime quod idem divus Thomas, IV *c. Gent.*, c. 11, declarat verbum non cognosci proprie et ut quod, per cognitionem directam objecti, sed per reflexam. »

Ex his videre est haud facile mentem S. Thomæ declarari posse.

76. Quid igitur in hac difficili quæstione dicemus?

Primo quidem, sedulo discernamus diversam naturam munusque diversum speciei intelligibilis impressæ et expressæ. Species impressa originem habet ab objecto, et in cognitione nostra connaturali efformatur ab intellectu agente ex specie sensibili objecti percepta ; quod

(1) Eod. tract. I *de div. subst.*, l. II, c. XII.
(2) Ibid., c. XIII, n. 7.
(3) Ibid., n. 6.

si infundatur a Deo, est tamen vere species objecti. Eadem species est medium quo intellectus intelligit seu determinatur ad actum, et ad speciem actus quæ rursus se habet ex parte objecti actus. Species vero expressa, id est conceptus seu verbum mentis non est medium quo intelligimus, sed ipse terminus intellectionis ab intellectu productus, secundum quidem speciem impressam ad objecto acceptam adeoque repræsentans objectum (nec enim aliud est cognitio intellectus quam imago vitalis objecti ab intellectu producta); non vero, sicut species impressa, est vel a Deo accepta, vel immediate ab objecto, nec adeo est repræsentatio objecti, ut sic et menti extrinseci, sed formaliter ut a mente concepti.

Unde non contingit unum alio melius intelligere rem eamdem objective, sed solum ex parte potentiæ intellectivæ. Si enim aliquis magis intelligeret rem quam est objective, falleretur et non intelligeret. Sed si vis intellectiva alicujus major est, rem qualis est melius seu perfectius intelliget (1).

Itaque, de visione Dei agendo, Deus ut in se est objective se præbet videndum ut in se est æqualiter omnibus, nec est ibi locus pro plus aut minus; sed ex parte intellectus videntis, quo majori instructus est lumine gloriæ, eo melius seu perfectius videt Deum.

Inde statim intelligis quomodo esse possit in visione Dei inæqualitas pro inæqualitate meritorum; et quomodo Deus in se videri possit, quin visio sit comprehensiva. Utrumque se habet ex parte intellectus creati videntis, non ex parte objecti seu Dei visi.

77. Præterea ex dictis intelliges, admittendo in visione beatifica speciem creatam expressam, non eo ipso admitti speciem creatam impressam. Potest enim Deus se immediate intelligibilem præbere sine hujusmodi specie impressa; et potest tamen mens Deum immediate videns speciem expressam seu verbum mentis

---

(1) Cf. S. Thom., 1, q. 85, a. 7.

producere repræsentans Deum ut in se visum, scilicet, ut est infinita essentia visa, non ut infinite visa seu comprehensive expressa. Imo vero admitti potest species creata expressa, et simul sustineri speciem creatam Dei impressam nullam esse nec esse posse. Etenim, quod videns Deum exprimat Deum in se visum verbo mentis non tamen infinite seu comprehensive Deum repræsentante, nullatenus impedit quin ex parte objecti seu Dei sit impossibilis similitudo seu species creata Dei, quæ repræsentet Deum qualis est mere objective, non qualis a mente creata ipsum in se vidente exprimitur. Cum enim hæc species expressa Deum reapse ut in se visum repræsentat, contra species impressa quamvis creata, Deum infinitum objective, id est infinite seu comprehensive exhibere deberet. Atqui talis similitudo creata esse nequit, sed est una increata, nec impressa sed potius expressa seu ipsius Dei Verbum, ut indicat S. Thomas: « Conceptio perfecte repræsentans Deum est Verbum incarnatum, et ideo est unum tantum (1). »

Replicabit forte aliquis necesse non esse ut species impressa creata Deum comprehensive repræsentet; posse Deum attemperare talem speciem suî quæ captuî videntis lumine gloriæ in tali gradu respondeat; imo id maxime convenire, cum de libera manifestatione suî agatur, non de naturali.

Respondemus aliud esse loqui de similitudine Dei ut in se est, objective et absolute, aliud de similitudine Dei ut in se visi a creatura. Hæc altera est species creata expressa, quæ nec debet nec imo potest Deum repræsentare mere objective, secus enim comprehenderet Deum creatura; sed sufficit (nec aliter fieri potest) repræsentet Deum ut in se visum creata visione. Unde accuratius loquitur qui dicit visionem beatificam creaturæ esse visionem Dei in se visi ab ipsa, quam qui dicit absolute esse visionem Dei ut in se est. Neque his ne-

(1) In 1, *dist.* II, q. 1.

gatur, ut patet, visionem creaturæ attingere Deum immediate et intuitive ut in se est, sed solum negatur eamdem attingere Deum ita ut hæc visio creata adæquet objectum increatum. Cfr. omnino S. Thomas, *Summa theol., Supplem.*, q. 92, a. 1, ad 14^{m}.

Prior vero similitudo, Dei nempe ut in se est objective, vel est perfecta sine ulla dissimilitudine, et tunc est ipsa substantialis imago increata Dei seu Verbum; vel est in aliquo deficiens, et tunc ipsam Dei essentiam non exhibet videndam, sed aliquam imaginem creatam ejusdem, quam quidem Deum producere posse non negamus, sed qua non videtur ipse Deus in se; unde si species creata impressa a Deo infundi dicitur, quæ expressæ speciei seu verbo mentis creaturæ respondeat, negatur eo ipso hanc esse verbum mentis creaturæ videntis Deum in se, sed asseritur esse conceptum mentis videntis Dei imaginem creatam. Vel, si dicis verbum mentis creaturæ esse speciem expressam Dei ut in se visi, eo ipso affirmare oportet speciem impressam non fuisse creatam sed esse increatam seu ipsum Deum. Et scimus quidem speciem impressam esse medium quo intelligitur et non impedire quin ipsum objectum immediate attingatur; sed hoc dicimus quod in visione Dei, non potest attingi ipse Deus ut objectum, si medium quo videtur sit species creata, ut probat S. Thomas supra recitatus.

78. In nostra opinione supra exposita de unione animæ beatæ cum persona Verbi, omnia facile conciliantur atque clarescunt. Scilicet, cum anima sit unita Verbo, eo ipso et vis visiva elevata et instructa est lumine gloriæ ut videndi capax sit, et unitur objecto visus, Verbo se habente ad instar speciei impressæ perfecte repræsentantis Deum, cum et ipsa Deus sit, per quam videt intellectus essentiam divinam, divinasque processiones et personas, ut supra indicatum est. Solus Pater hanc speciem increatam seu Verbum suum æternaliter exprimit seu producit; tota Trinitas, com-

muni actione ad extra, eam imprimit seu Verbum unit animæ beatæ, ita ut Verbum inhabitans manifestet se aliasque personas ac divinam substantiam. Creatura vero unita Verbo, per illud ad instar speciei impressæ videt Deum ut in se est visione sua creata, verbum suum creatum seu conceptum Dei in se visi producens, ad similitudinem quamdam longinquam Patris producens Verbum. « Mens enim, *ait Lessius* (1), sic illustrata et elevata [per lumen gloriæ] constituitur in actu primo et vires accipit ad productionem visionis essentiæ divinæ : ac proinde respondet intellectui fœcundo seu memoriæ fœcundæ (ut Scholastici loquuntur) in Patre. »

Hæc diximus, admittendo verbum mentis creatum in visione beatifica. Sylvius et alii, ut supra, qui hujusmodi verbum seu speciem expressam in visione beatorum non agnoscunt, dicunt Verbum, quemadmodum supplet vices speciei impressæ, sic et expressæ vices supplere, ita ut alius terminus actus visionis Dei creatæ non sit, nisi Verbum. Quod amplius explicat Billuart in 1, q. XII, diss. IV, et brevi compendio rem declarat, in 1, 2, q. II et sqq., diss. II, ubi respondet objectioni speciem expressam esse terminum vitalem, qui, si suppleri possit, dicendum esset actionem vitalem suppleri posse, quod absurdum est. Respondet distinguendo : « Deus supplet verbum seu speciem expressam quoad processionem, originem et dictionem, nego ; quoad repræsentationem per modum termini repræsentantis in esse intellecto, concedo. Cum enim Deus supplet verbum seu speciem expressam, non facit quod verbum sit originatum vitaliter a nostro intellectu, hoc enim suppleri non potest ; nec hoc requiritur, sicut requireretur quod faceret ut actio a me vitaliter procederet, ut dicerer operari per illam... ; sed facit tantum quod essentia sua loco verbi repræsentet per modum termini seipsam. Unde... verbum est terminus vitalis respectu

(1) *De summo bono*, l. II, c. VIII, n. 52.

illius a quo procedit, concedo; respectu illius cui communicatur præcise, nego. Nec hoc requiritur ad intellectionem, sed sufficit quod in se vitalis existens, etsi aliunde, communicetur ei et suppleat repræsentationem termini vitalis, non processionem. »

Hæc si vera sunt, æque facile imo et facilius forte quam in altera explicatione cum nostra opinione conciliantur. Videntur autem difficilia intellectu. Etsi enim concedamus in ordine supernaturali, contra ac in ordine naturæ, terminum respectu cujus aliquid producitur esse posse personam divinam vel et divinam naturam, ut fit v. g. in unione hypostatica ubi terminus unionis est persona Verbi, tota mutatione facta in altero termino, et similiter in unione Verbi cum anima beata, quæ recipit lumen gloriæ: quando tamen non solum recipit creatura sed et ipsa vitaliter agit, ut fit in ipsa visione beatifica, vix intelligitur terminum hujus actionis alium non esse quam personam vel et naturam divinam. Nisi intelligas de termino extrinseco ipsi actioni creaturæ et mere objectivo: sed tunc videtur confundi terminus extrinsecus seu ipsum objectum cum termino intrinseco actionis, actione ipsa producto.

79. Antequam transitus fiat ad ulteriorem confirmationem, e fontibus fidei, opinionis nostræ de unione beatorum cum Verbo, non possumus non exscribere ex Lessio hanc paginam qua pulchritudinem summam animæ beatæ Deum videntis luculenter æque ac delectabiliter demonstrat.

« Ad divinam pulchritudinem et speciem, quæ prorsus inæstimabilis et infinita est, proxime accedit pulchritudo animæ beatæ, quæ Deo adeo est similis, ut nulla major cum Deo similitudo vel animo concipi, vel etiam per potentiam Dei absolutam (ut valde probabile est) dari possit; ut merito dictum sit a S. Joanne: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ratio est, quia in statu beatitudinis erit suprema participatio divinarum perfectionum, imo ipsa beatitudo in tali communicatione consistit. Si enim esset

altior modus participationis bonorum divinorum et conjunctionis vitalis cum Deo, in eo potius consisteret nostra beatitudo quam in visione et amore. Beatitudo enim est summa et perfectissima communicatio divinitatis cujus mens est capax. Itaque cum anima beata adeo sit similis Deo, ut nulla major vel sublimior similitudo ad Deum concipi possit: consequens est ipsius quoque pulchritudinem inæstimabilem esse et ipsam instar cujusdam divinitatis fulgere.

Consistit autem hæc pulchritudo potissimum in tribus, per quæ etiam expressa imago sanctissimæ Trinitatis in anima relucet: nimirum in lumine gloriæ, in visione et in amore. Intellectus enim, lumine gloriæ illustratus et ad statum divinum elevatus, similis est Patri æterno, quatenus hic est prior ratione vel origine Filio (1), habetque rationem memoriæ fœcundæ. Sicut enim Pater æternus vi luminis quo essentiam divinam intelligit, producit Verbum, ita intellectus creatus vi lumiuis gloriæ (quod divini luminis est suprema participatio) producit visionem, quæ vere et proprie est *verbum* mentis beatæ. Sicut enim Verbum divinum repræsentat essentiam divinam et tres personas: ita visio Beatorum essentiam divinam et personas clare repræsentat. Rursus sicut Verbum divinum producit Spiritum sanctum, qui est amor divinitatis: ita visio beatifica in Beatis excitat amorem divinitatis. Itaque per lumen gloriæ anima est similis Patri, per visionem Filio sive Verbo, per amorem Spiritui sancto. Nulla major similitudo ad Patrem esse potest in rebus creatis, quam per lumen gloriæ; nulla major ad Filium, quam per visionem; nulla major ad Spiritum sanctum, quam per amorem; sicut etiam nulla processio in rebus creatis esse potest, quæ magis imitetur processionem divinarum personarum, quam processio intellectionis et amoris. Anima ergo beata per hæc tria est summa et perfectissima sanctissimæ Trinitatis imago: ac proinde habet summam pulchritu-

(1) Dicamus accuratius cum Wiggers, in 1, q. XII, art. 8: « In divina Trinitate nihil prius est aut posterius [nisi ratione, nostro concipiendo modo]; neque enim una persona est altera prior duratione, natura aut etiam proprie origine, etsi ordo originis hactenus ibi constituatur quatenus una persona est ab alia, qui ordo non importat proprie prioritatem et posterioritatem ».

dinem, cujus natura creata est capax. Singula horum ipsam animam implent et totam penetrant, absque ulla inter se confusione vel permixtione, eamque in immensum extendunt et divinis personis quodammodo adæquant. Lumen in immensum animam dilatat, ut fiat capax divinitatis, eamque simul fœcundat ut in se pariat imaginem divinitatis. Visio est expressa divinitatis imago, eam quodammodo adæquans. Amor est impetus quidam animam in divinitatem immergens (1). »

(Continuabitur).

---

(1) *De summo bono*, l. II, c. XVI, nn. 136 et 137.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. *Paucis expone originem probabiliorem versionis Alexandrinæ seu Septuagintaviralis V. T.*

Respondetur. — *Hujus momentosæ* (1) *versionis probabilior origo, — missa narratiuncula Aristeæ, — hæc esse videtur:*

Prima origo repetenda est ex facto quod zelosi Judæi extra Palæstinam in Ægypto, Alexandriæ degentes, ad usum popularium suorum linguæ hebraicæ oblitorum, sæculo circiter III ante Christum, versionem græcam

---

(1) Inter omnes Veteris Testamenti versiones, eminet Septuagintaviralis antiquitate, — et hac ratione multum valet ad illustrandum et restituendum textum hebraicum, — necnon influxu quem habuit in diffundendam etiam inter *gentiles* exspectationem Messiæ et inducendam in linguam græcam terminologiam et ideas theologicas quibus aptum fieret instrumentum ad divulgandum Evangelium Christi. — A *Judæis* adhibebatur sat diu ante ævum christianum, et in ipsa Palæstina, tempore Christi a rabbinis judæis qua textus legitimus agnoscebatur et adhibebatur. — *Apostoli* quoque et *evangelistæ* ipsam adhibebant, et Vetus Testamentum, præsertim in recitandis prophetiis, juxta versionem LXX citare solebant. *Patres* etiam priscæ Ecclesiæ in scriptis suis, sive immediate (græci) sive mediate (latini), ab ea dependent, summis laudibus ipsam exornant, imo non raro eam æque ac textum hebraicum divinitus inspiratam dicunt (Justinus, Irenæus, Cyrillus Alex., Augustinus). Ad nostra usque tempora *Ecclesia græca* ea utitur, sicut in *Ecclesia latina* versiones suas antiquas juxta 70 confectos habebant. Ita vetus Itala facta fuit juxta textum LXX, et plura verba et nomina ex eo retinuit, quæ inde in Vulgatam nostram transierunt; nomina Pentateuchi, Genesis, Exodi, Levitici, Deuteronomii, Numerorum (gr. ἀριθμοί) a LXX originem habent; sensus etiam LXX in veterem Italam, et inde sæpe in Vulgatam transiit; imo Vulgata in Psalmis facta est juxta LXX. Cfr. Bacuez et Vigouroux, *Manuel biblique*, I, n. 104, Gigot, *General Introduction to the study of the Holy Scripiures*, New York, 1905, p. 261 s.

Pentateuchi confecerint; — postea in eodem dispersionis judaicæ centro Alexandrino, in eumdem finem adornata est versio Prophetarum, et tandem librorum Historicorum, ita ut medio circiter sæculo II ante Christum completa exstiterit.

Explicatur. I. *Supposita et adulterina est epistola Aristeæ ad fratrem suum Philocratem*, in qua de origine versionis LXX exponuntur quoad substantiam sequentia :

Rex Ægypti, Ptolemæus II Philadelphus (283-247) recenter erexerat bibliothecam immensam Alexandriæ, et suggerente bibliothecæ præfecto, Demetrio Phalereo, voluit etiam versionem græcam sibi comparare librorum sacrorum Judæorum. Quare monet ipsum Aristeas, præfectus quidam militum, ut libertatem concedat servis judaicis qui in variis partibus regni erant, eo fine ut bonam gratiam Judæorum sibi conciliet. Id præstat rex, mittitque simul epistolam ad Eleazarum summum Pontificem Judæorum, ut ipsi exemplar « Legis » transmittat, peritosque Judæos qui eam in græcum vertere possent. Libenter mittit Eleazarus in Ægyptum exemplar Pentateuchi, et simul 72 (1) viros, ex singula tribu sex, qui operi se accingant. Illi honorificentissime a rege recepti, postea in solitudinem insulæ Phari mittuntur, ibique, spatio 72 dierum inter se conferunt et consultant opusque demandatum absolvunt. Eorum tandem versio, Alexandriæ (2) lecta coram sacerdotibus, principibus, populo Judaico, per omnia cum textu hebraico congruere conclamata est ab omnibus (3).

Integram narrationem postea accipit *Flavius Josephus* (4), *Philo* item Alexandrinus (5). *Patres* quoque

---

(1) Hinc nomen versionis *Septuaginta-viralis* fuit desumptum.

(2) Hinc nomen versionis *Alexandrinæ*.

(3) Gigot, *o. c.*, p. 263 s.; Cornely, *Cursus Scripturæ Sacræ, Introductio generalis*, T. I (Parisiis, 1885), pp. 319 ss.

(4) *Antiquitates Judaicæ*, l. XII, c. 2.

(5) *De vita Mosis*, l. 2.

eamdem pro vera accipiunt, Justinus (1), Irenæus (2), Clemens Alex. (3), etc. (4); — imo varia fuere addita: 72 scriptores fuerint inspirati; laboraverint omnes independenter ab invicem in totidem cellulis (5), vel bini et bini (6), eorumque versiones invicem collatæ in omnibus convenire inventæ fuerint (7); tandem, non solum Pentateuchum, sed et alios libros hebraicos omnes sic græce transtulerint.

Non invenitur hodie qui neget *epistolam Aristeæ esse suppositam*. Et revera a/ *Auctor* qui Aristeam se dicit et ethnicum græcum, de facto in omnibus quæ scribit pium Judæum se esse ostendit: Deum Judæorum pro solo Deo vero agnoscit, legem mosaicam divinitus datam esse ipse asserit, ardenti admiratione flagrat in templum Jerusalem, in regionem nationemque Judaicam, in sapientes sanctasque ipsius leges. Imo in sermonibus et decretis quoque quæ Philadelpho et Demetrio tribuuntur similia occurrunt. — Ulterius, b/ præter quod tota epistola variis *phantasticis* scaturit, c/ plane inverisimile est *Judæos* Alexandrinos in publicum servitium adoptasse versionem sanctæ suæ Legis factam ad interventum regis pagani. — Præterea d/ ipsa *lingua* versionis 70 sæpe denotat notitiam imperfectam tum linguæ hebraicæ tum topographiæ Palæstinensis; simul abundat vocibus et expressionibus Ægyptiacis, cum iis formis græcis quæ Alexandriæ prævalebant et translationibus liberis quæ minime cum superstitioso

---

(1) *Cohort. ad græcos*, n. 13. (*P. G.* 6, 376, 265 s.).

(2) *Contra hæreses*, III, 21, 2. (*P. G.* 7, 948).

(3) *Strom.*, I, 22 (*P. G.* 8, 892). — Textus horum aliorumque Patrum v. apud Lamy, *Introd. in S. Script.*, 4ª ed., (1886), pp. 135 ss.

(4) Initio sæc. XVI primò dubium movit circa auctoritatem hujus epistolæ Lud. Vives, prof. Lovaniensis († 1540) *Ad S. August. Civ. D.* XVIII, 443. Acrius impugnarunt H. Hody († 1705) et Dupin († 1719).

(5) S. Justinus, *l. c.*

(6) S. Epiphanius, *De ponderibus et mensuris*, 3, 6, 9-11. (*P. G.* 43, 242 ss.).

(7) S. Hieronymus historiam hanc cellularum *mendacium* esse affirmat. *Adv. Rufinum*, II, 25.

litteralismo Judæorum conveniunt. Quæ omnia confirmant quidem in genere versionem *Alexandriæ* ortam esse, ast simul Judæum *græcum et Alexandrinensem,* potius quam doctos viros hierosolymitanos auctorem indicant.

II. *Saltem probabilior videtur sententia juxta quam versio LXX a variis auctoribus variis temporibus confecta fuit.*

Revera ex hucusque dictis constat historiam Epistolà Aristeæ relatam, in multis sibi fidem non mereri; dicimus: *in multis;* plane enim concedimus id saltem ex ibi expositis manere versionem Pentateuchi referendam esse ad regnum Ptolemæi Philadelphi, adeoque circa medium sæc. III ante Christum Alexandriæ esse confectam, imo Ptolemæum ipsum aliquo modo, — certe tamen non eo modo qui in epistola describitur, — intervenisse. In his enim relatio epistolæ satis roboratur tum argumentis sub I relatis, tum ex eo quod probabile videtur S. Justinum aliosque ex alio etiam fonte hausisse quæ referunt, sicut etiam testimonium Aristobuli, philosophi Judæi (circa medium s. II) asserentis jam ante Demetrium Phalerium quædam ex libris mosaicis græce reddita esse, « integram (vero) eorum quæ ad nostras leges pertinebant omnium interpretationem » tempore regis Ptolemæi esse elaboratam. (Textus Aristobuli refertur apud EUSEBIUM, *Præpar. Evang.,* l. 13, c. 12).

Porro de solo *Pentateucho,* valent hæc argumenta: agit enim Aristeas non tantum de versione *legis* (νομός), quod esset ambiguum, — sed de *legislatione* (νομοθεσία) et de libris *legislatoris:* quæ certe Pentateuchum, non vero reliquum Vetus Testamentum designant, et in eumdem sensum intelligitur a Flavio Josepho et Philone (1).

---

(1) « Josephus scribit et Hebræi tradunt quinque tantum libros Moysi ab eis (LXX) translatos et Ptolemæo regi traditos ». (S. HIERON., *Comment. in Mich.,* II, 9).

Cæterum inter variorum librorum versiones tanta est diversitas linguæ, styli, formæ, conformitatis cum textu hebraico, etc. ut ab iisdem interpretibus oriri non possint (1).

Hujus versionis origo sat obvia intelligitur: Judæi extra Palæstinam degentes (2) in Ægypto (Alexandriæ) linguam hebraicam paulatim oblivioni dederunt et periculo Legis Mosaicæ obliviscendæ exponebantur. Zelosi inde plures viri hoc periculo permoti, versionem græcam Pentateuchi, medio s. III a. Christum confecerunt.

Cæteri libri Prophetici et Historici hebraici subsequenti tempore translati sunt, et facile intelligitur Alexandrinos, quando Pentateuchi versionem in cœtibus suis religiosis prælegere cœperunt, etiam alios libros eadem sua lingua legere desiderasse, eoque magis quo linguæ hebraicæ cognitio apud eos magis languit et defecit. Quonam autem præcise tempore et quanam occasione speciali, certo determinari nequit; certe tamen ante a. 130 ante Christum completa existebat (3). Item de loco ubi translatio facta, desunt indicia positiva; plerique libri Ægyptiacam originem demonstrant vocabulis Ægyptiacis et expressionibus quæ inter alexandrinismos numerantur; liber Esther in Palæstina translatus est (XI, 1). Similiter de numero (4) et qualitate (5) translatorum silet historia, etsi, ut diximus supra, indoles interna plures diversos interpretes demonstret (6).

A. Camerlynck.

---

(1) Cfr. Bacuez et Vigouroux, *o. c.*, n. 106.

(2) De diaspora Judaica vide quæ scripsimus in *Comment. in Actus Apostolorum* (Brugis, 1910), pp. 80 ss.

(3) Prologus enim Ecclesiastici, qui certe non est originis a. 130 posterioris, testatur tunc temporis totam Bibliam græce possideri; in sententia vero eorum qui tenent Ecclesiasticum græce translatum esse circa a. 230 a. C., dici deberet vix non totam versionem Veteris Testamenti circa hunc annum jam exstitisse. Cfr. Vigouroux et Bacuez, *o. c.*, n. 107.

(4) Quinque interpretes fuisse Thalmudistæ tradunt.

(5) Non tamen fuerint viri Judæi ex Palæstina accersiti.

(6) Cfr. Cornely et Gigot, *o. c.*

II

Q. *Quid importat* integritas *corporum resurgentium?*

R. Integritas (1) corporum resurgentium importat ut homo, qui resurrexit, habeat :

1/ *omnia membra* quæ ad corpus humanum pertinent ;

2/ *sanguinem;* etiam *capillos* et *ungues;*

3/ *partes sexuales,* vel viriles vel muliebres, unicuique proprias ;

4/ *statum ultimæ perfectionis*, qui est in juvenili ætate, quantum ad formam et quantitatem corporis.

Ulterior explicatio. 1. In præcedentibus responsis exposuimus quæ pertinent ad *identitatem* (2) corporis resurgentium : sed identitas in sua ratione non importat *integritatem :* etenim homo hac in terra mutilatus quoad unum membrum, vel quoad plura, remanet idem et posset idem mutilatus resurgere ; sed in universali Resurrectione non tantum idem resurget corpus, sed « quidquid ad illius naturæ veritatem, atque ad hominis decus et ornamentum pertinet, restituendum est » (3).

2. Quæ suprà affirmavimus de hoc quod importat integritas non fuerunt a Deo explicite revelata, nec ab Ecclesia definita, sed communiter a theologis docentur, saltem quoad corpora *justorum* resurgentium ; quidam non admittunt reproborum corpora habitura esse perfectionem, quoad formam et quantitatem, quam quarto loco posuimus.

3. Principium generale ex quo singulæ nostræ conclusiones deducuntur est hoc : « Quemadmodum omnia

---

(1) S. Thomas, in IV, dist. 44, Q. 1, a. 2 (eadem habentur in *Supplemento Summæ theologicæ,* q. 80), *Summa contra Gentiles,* L. IV, c. 84 ss.; *Compendium Theologiæ*, c. 156-161 ; S. Bonaventura, in IV, dist. 44, a. 1, q. 1-2; Jungmann, *De Novissimis,* n. 242; Lambrecht, *De Novissimis,* Gandavi, 1888, p. 173 ss.; Terrien, *La grâce et la gloire,* Paris, 1897, t. II, p. 262 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 641, 691, t. XVI, p. 101.

(3) *Catechismus Concilii Tridentini,* P. I, a. 11, n. 8.

a Deo initio creationis perfecta fuerunt, ita etiam in resurrectione futurum omnino affirmare oportet » (1). Resurrectio enim est *immediate* a Deo et est effectus quoad modum supernaturalis: proinde sapientia ac potentia Dei exigere videntur ut homines resurgentes sint perfecti sub omni ratione qua sunt *hic homo,* ut habeant omnia quæ pertinent ad veritatem naturæ humanæ perfectæ in tali et tali individuo.

4. Hoc posito, singulas assertiones consideremus:

a/ Homo resurgens *omnia membra* habere debet quæ ad corpus humanum pertinent. Præter principium generale, quod suprà enuntiavimus, habetur ad nostram assertionem demonstratio in quà ratio proxima prædictæ necessitatis elucet: etenim « anima humana se habet ad corpus non solum in habitudine formæ et finis, sed etiam in habitudine causæ efficientis: est enim comparatio animæ ad corpus sicut est comparatio artis ad artificiatum » (2). Proinde omnes corporis humani partes originaliter et quasi implicite continentur in anima: porro in resurrectione fit omnino perfecta unio animæ rationalis ad materiam et proinde in corpore resurgentis ab anima erunt formata omnia membra quæ pertinent ad corpus humanum et illa membra erunt perfecte formata.

b/ Quoad *sanguinem:* si admittitur opinio eorum qui tenent sanguinem esse intellectiva anima informatum et consequenter esse actu partem corporis, tunc sanguinem esse in corpore resurgentis sequitur ex eadem ratione

---

(1) *Ibid.* — « Sicut Deus humanam naturam absque defectu instituit, ita sine defectu reparabit ». S. Thomas, in IV, dist. 44, Q. 1, a. 3, sol. 1.

(2) S. Thomas, in IV, dist. 44, Q. 1, a. 2, sol. 1. S. Thomas non simpliciter dicit animam esse *causam efficientem* corporis: quod dici nequit: nam a/ *corpus humanum* est unum compositum ex materia prima et anima, et proinde non est adæquate distinctum ab anima rationali; b/ anima non est causa efficiens materiæ primæ. Sed hoc dicit S. Thomas quod anima est *in habitudine causæ efficientes* respectu corporis, quatenus *informatione* sua in materia facit existere diversa membra, quæ quasi implicite continebantur in ipsa ante informationem.

quam sub a/ exposuimus; si vero admittitur non ab anima informari sanguinem, tunc alia ratio datur, nempe quod sanguis pertinet ad veritatem humanæ naturæ; et licet sanguis in corpore resurgentis jam non habeat functionem suam h. e. nutrire (etiam aliæ partes, sicut stomachus etc. non habebunt functionem suam) tamen remanebit: quia pertinet ad naturalem veritatem et integritatem corporis humani (1): sane inconveniens foret venas in corpore remanere vacuas (2). Deinde adest ratio alia: « Resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi sed in Christo resurrexit sanguis: alias nunc vinum non transsubstantiaretur in sanguinem ejus in sacramento altaris. Ergo et in nobis resurget sanguis » (3).

Capilli et ungues erunt in resurgentibus: quia pertinent ad ornamentum corporis humani, quod ornamentum etiam pertinet ad veritatem humanæ naturæ. Nam, ut ait S. Bonaventura: « Aliquid est de veritate humanæ naturæ tripliciter: aut quantum ad esse *necessarium,* sicut membra principalia; aut quoad esse *integrum* et completum, ut illa quæ faciunt ad corporis perfectionem; aut quoad esse *decorum* » (4). Quum autem capilli et etiam ungues pertineant ad esse decorum, resurgent. — Præterea capilli et ungues sunt partes aliquo modo ab anima perfectæ: nam quum hac in vita nutriantur et crescant, participant aliqua operatione

---

(1) Cf. Ferrariensis, in *S. cont. Gent.*, L. IV, c. 85. Idem dicendum de aliis humoribus, si dentur qui pertineant ad veram integritatem humanæ naturæ. — Sed *quidam sunt humores qui jam non erunt post resurrectionem:* « Quædam humiditas est in recedendo a perfectione hujus individui, vel quia in via est corruptionis et a natura abjicitur, sicut urina, sudor, sanies, et hujusmodi, vel quia naturâ ordinatur ad conservationem speciei in alio individuo, sive per actum generativæ [virtutis] sicut semen, sive per actum nutritivæ, sicut lac. Et nulla talium humiditatum resurget, eo quod non sunt de perfectione individui resurgentis ». S. Thomas, in IV, dist. 44, Q. I, a. 1, sol. III.

(2) Cf. S. Bonaventura, in IV, dist. 44, P. I, a. 1, q. 1.

(3) S. Thomas, l. c., q. 3.

(4) In IV, dist. 44, P. I, a. 1, q. 1 ad 1 et 2.

vitali et proinde aliqua virtute animæ : igitur ad perfectam unionem animæ ad corpus restituendam pertinet ut iterum adsint capilli et ungues (1).

c/ Conservabitur *diversitas sexuum :* « hæc enim diversitas competit perfectioni speciei, cujus diversi gradus implentur per dictam diversitatem sexus... et quamvis sit diversitas sexuum, deerit tamen confusio mutuæ visionis : quia aberit libido incitans ad turpes actus ex quibus confusio causatur » (2). — Licet post resurrectionem jam non erit usus partium genitalium, nec delectationes venereæ, remanent tamen prædictæ partes quatenus ad integritatem spectant individui humani (3); præterea quia illæ partes fuerunt instrumentum operum moraliter bonorum vel malorum, ideo conveniens est illas remanere post resurrectionem in corpore præmiato vel addicto ad supplicium.

d/ Quia homo resurget absque omni defectu humanæ naturæ, ideo homo non resurget in statu infantilis ætatis : hic enim status est defectuosus quia in hoc nondum attingit homo ultimam perfectionem ; nec resurget in statu senilis ætatis quia in hoc jam recessit homo ab ultima perfectione, resurget igitur homo « in juvenili ætate ad quam terminatur motus augmenti et a qua incipit motus decrementi » (4).

---

(1) Cf. S. Thomas, *l. c.*, sol. 3.

(2) S. Thomas, in IV, dist. 44, Q. I, a. 3, sol. 3.

(3) « Membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam, vel secundum habitudinem materiæ ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem. Si ergo membra accipiuntur secundum primam comparationem, finis eorum non est operatio, sed magis perfectum esse speciei, quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem accipiantur secundum secundam comparationem, sic finis eorum est operatio. Nec tamen sequitur, quod quando deficit operatio frustra sit instrumentum, quia instrumentum non solum servit ad exequendam operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius ». S. Thomas, *o. c.*, a. 2, sol. 1, ad 1.

(4) S. Thomas, *o. c.*, a. 3, sol. 1. « Cette règle ne doit pas être prise avec une exactitude mathématique. Il semble convenable qu'il y ait dans l'apparence extérieure des ressuscités quelque chose qui rappelle leur vie

Non ideo tamen homines resurgentes erunt omnino æquales in corporis forma, figura et statura, sed quæ sunt propria individui, dummodo non sint ex defectu, servabuntur : quia diversitas in notis individuantibus est etiam aliqua perfectio in opere Dei Creatoris. Diversitas in magnitudine staturæ non est imperfectio : « Natura speciei habet aliquam quantitatem quam nec excedit nec ab ea deficit absque errore ; quæ tamen quantitas habet aliquot gradus latitudinis et non est accipienda secundum unam mensuram determinatam. Unumquodque autem individuum in specie humana assequitur infra terminos illius latitudinis aliquem gradum quantitatis quæ competit naturæ individui : et ad hanc perducitur in termino augmenti, si non fuit aliquis error in opere naturæ, per quem sit aliquid additum vel subtractum prædictæ quantitati... Et ideo non omnes resurgent in eadem quantitate, sed quilibet resurget in illa quantitate in qua fuisset in termino augmenti, si natura non errasset vel defecisset : quod autem superest vel deficit in homine resecabit vel supplebit divina potentia » (1). Idem dicendum quoad diversitatem in vultu vel facie (2).

J. Van der Meersch.

---

d'ici-bas. On aime à penser qu'un saint Stanislas, par exemple, conservera les grâces de sa jeunesse, et le vieillard Siméon, la noble majesté qui le caractérisait, quand il reçut entre ses bras le Sauveur du monde. C'est à peu près tout ce qu'on peut dire sur une matière où le Saint Esprit n'a rien voulu définir » Terrien, *o. c.*, p. 268 s.

(1) S. Thomas, *o. c.*, sol. 2. Hæc conclusio bene componitur cum sententia quam tenemus et secundum quam ad identitatem individui resurgentis sufficit ut eadem numero anima iterum uniatur cuilibet materiæ primæ sub debitis dimensionibus : nam ab anima, ut forma, est in individuo humano omnis determinatio etiam characteristica individui. Cf. Billot, *De Novissimis*, Romæ, 1902, p. 156 ss.

(2) « Ni la différence des physionomies ne sera détruite, ni les imperfections, qui les déparent, ne les suivront au delà du tombeau. Chaque visage d'élu conservera, même après sa transfiguration, son caractère distinctif ; mais tout en retenant ses traits fondamentaux, il atteindra l'idéal de sa perfection... [Dieu] qui tranforme les âmes et communique

III

Q. *Accurate determina facultates quibus varii sacerdotes sæculares Brugenses, attentis dispositionibus juris communis et juris diœcesani, gaudent in ordine ad dispensandum super impedimentis matrimonii extra mortis periculum.*

R. I. Parochi.

A. *Non-Decani*

Habent facultatem, ab Episcopo Brugensi inde ab anno 1896 habitualiter subdelegatam, « dispensandi super *occulto* impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantùm gradus *affinitatis*, ex *illicita* carnali copula provenientis, in matrimoniis *contrahendis*, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usquedum ab *Apostolica Sede* obtineri possit dispensatio, absque periculo scandali differri queat (1): remota semper occasione peccandi et firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat; injuncta in quolibet casu pœnitentia salutari (2) ».

Circa cujus facultatis naturam et exercitium attendant parochi eam restringi ad casus *facto occultos* et ad solum forum *internum*, idque *sacramentale* dumtaxat, adeo ut

---

aux plus difformes une beauté divine, serait il impuissant à idéaliser un corps, sans lui ravir le caractère qui le distingue? Pour aider notre foi, lui-même a voulu nous donner comme un avant-goût de cette glorieuse métamorphose dans la vie et dans la mort de ses saints. Combien de fois a-t-il répandu sur leurs visages, amaigris par les jeunes ou défigurés par les maladies, une splendeur de beauté qui ravissait les heureux témoins de ces miracles? Et pourtant nul ne s'y méprenait: c'étaient bien les mêmes hommes, le même air de visage, la même physionomie, mais idéalisée, transfigurée ». TERRIEN, *o. c.*, p. 270 s.

(1) Tempus trium hebdomadarum reputatur sufficiens ut certò ac tutò exspectari possit rescriptum apostolicum. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 404.

(2) *Collat. Brug.*, t. I, p. 381 ss., ubi brevis proponitur clausularum interpretatio. Facultas subdelegandi habitualiter parochos habetur in ipso tenore *Pagellæ* a S. Pœnitentiaria Ordinariis communicari solita.

illa uti nequeant extra actum sacramentalis pœnitentiæ; restringitur etiam ad sola matrimonia *contrahenda,* ita ut vi hujus facultatis dispensare non valeant in ordine ad matrimonium contractum convalidandum. Ulterius non potest hæc facultas a parochis directè exerceri nisi erga *solos parochianos* (*Collat. Brug.,* t. V, p. 612; VIII, p. 188 et X, p. 694), sed adhiberi potest *per totam diœcesim*, *non* autem *extra* (1).

B. *Decani*

Possunt *præterea*, ex delegatione vel respective ex subdelegatione Episcopi, 1° *dispensare commutando*, seu commutare dispensando, (sive in ordine ad matrimonium contrahendum, sive in ordine ad utendum matrimonio contracto) super *votis non reservatis* (2): nimirum super voto non nubendi, suscipiendi ordines sacros, ingrediendi religionem non stricte dictam, ac etiam super voto castitatis non perpetuo vel non perfecto (3). Porro restringitur usus hujus facultatis, non secus ac usus facultatis præcedentis, ad actum sacramentalis confessionis, nec adeo exerceri valet nisi respectu voti *jure et facto occulti*, privatim scil. emissi et ignoti: potest autem, utpote ab Episcopo vi potestatis ordinariæ delegata, a Decanis erga parochianos pœnitentes exerceri etiam extra diœcesim.

2° dispensare, in actu sacramentalis confessionis, in ordine *ad petendum debitum conjugale* « cum transgressore voti castitatis (4) (occulti) privatim emissi (non in congregatione religiosa), qui matrimonium cum dicto

---

(1) *Collat. Brug.*, t. X, p. 493 s. Hæc restrictio loci inseritur in tenore *Pagellæ.*

(2) *Statuta diœc.*, P. I, Tit. II, art. 6.

(3) Quandonam votum castitatis perfectum sit vel non, docetur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 328 ss., coll. t. III, p. 584. Hujusmodi votum imperfectum est in specie votum castitatis post matrimonium emissum.

(4) Potissimum attenditur hic votum castitatis *perpetuum ac perfectum;* uti namque notavimus, cum transgressore voti temporanei aut imperfecti valent Decani commutando dispensare ad petendum debitum, vi facultatis sub 1° descriptæ.

voto contraxerit » ; necnon « cum incestuoso et incestuosa (pariter) ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suæ uxoris seu respective mariti » (1).

Hac facultate, vi indulti ab Episcopo subdelegata, de qua sub 2°, uti possunt Decani, in foro pœnitentiali, per totam diœcesim, non autem extra, erga omnes et solos diœcesanos; debent autem observare clausulas quæ in indulto ab Ordinario observandæ præscribuntur, nempe ut, in priori dispensatione, moneatur pœnitens « ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum matrimonii usum, quam si marito vel uxori respective supervixerit » ; in altera vero dispensatione, ut non procedat confessarius nisi « remota occasione peccandi, et injuncta gravi pœnitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus, per tempus arbitrio dispensantis statuendum ».

II. **Confessarii** qua tales, sive parochi sint sive non, 1° ex potestate Episcopi *ordinaria*, delegantur « pro territorio jurisdictionis suæ, ad dispensationem, in matrimoniis tam *contractis* quam *contrahendis*, super *occulto* impedimento *affinitatis illicitæ* aut *criminis ex adulterio et fide data tantùm, neutro machinante, in actu sacramentalis confessionis,* servatis servandis, concedendam, dummodò urgens adsit necessitas et omninò desit tempus *(ad Episcopum)* recurrendi : remota semper occasione peccandi et firma remanente conditione quod copula cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat » (2).

---

(1) Hæc duplex facultas, sub hoc 2° delineata, Decanis *subdelegatur* ab Episcopo, qui et ipse delegatus existit a S. Sede, mediante scil. S. Pœnitentiaria. Contrà facultas, de qua sub 1°, a Decanis accipitur ex *delegatione* Episcopi, quippe cui competit laudata dispensandi potestas ex jure ordinario.

(2) Ex Congreg. Prosynodali anni 1907, apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 387.

Hæc igitur facultas spectat matrimonia *contracta* et *contrahenda*, ac extenditur tum ad *affinitatem illicitam*, eamque in omni linea et gradu, etiam *multiplicem*, tum ad *crimen* absque machinatione, etiam *multiplex*, ad crimen proinde oriundum ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii vel ex utraque simul; sedulò autem attende facultatem non suffragari ad dispensandum *in concursu* affinitatis cum crimine. Cæterùm restringitur facultatis exercitium *ad territorium jurisdictionis sacramentalis*, et quoad solos *diœcesanos:* quibus attentis ea facultate uti possunt confessarii parochi ubique respectu parochianorum, reliqui vero confessarii, necnon parochi respectu non parochianorum, infra limites dumtaxat in tenore litterarum jurisdictionalium descriptos (1).

2° Confessarii possunt præterea *dispensare commutando* (sive in ordine ad matrimonium contrahendum, sive in ordine ad utendum matrimonio contracto) super *votis non reservatis*, de quibus sub I, B, ad 1m, « omnibus diebus, quibus, juxta *Tractatum de casibus reservatis*,... p. 22, sub B, n. 2, 3, 4, communis confessarius, pro territorio in quo jurisdictionem exercet, gaudet facultate absolvendi a casibus Episcopo reservatis » (2).

Eadem facultas solet concedi confessariis ad audiendas confessiones, tempore missionis, deputatis: quorum facultatis exercitium eo ipso restringitur ad ipsam parochiam ad quam deputantur.

3° Confessarii missionis solent etiam accipere facul-

---

(1) Hæc et ulteriora proponuntur in concessionis commentario, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 407 ss., coll p. 781 ac t. XIII, p. 403 ss.

(2) *Congr. Prosyn.* anni 1901, apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 395. Dies illæ sunt: a/ a Vigilia festi Omnium sanctorum usque ad diem 9m Novembris, utrimque inclusive; b/ in Adoratione perpetua, a vigilia hujus solemnitatis et per totam ejus Octavam, item die præcedende Vigiliam Adorationis perpetuæ, quoties hæc solemnitas incidit sive in feriam 2m, sive in diem qui proximè subsequitur festum de præcepto; c/ tempore Precum XL Horarum et die præcedente.

tatem dispensandi, ad normam dictorum sub I, B, ad 2m, in voto castitatis ac in superveniente affinitate illicita, in ordine ad restituendum jus, seu potius licentiam, petendi debitum (1).

Nota. Uti ex dictis sub 1° liquet, amplior valde facultas competit parochis qua confessariis quam illa quæ ipsis, juxta dicta sub I, ad A, competit qua parochis. Revera a/ qua confessarius potest parochus dispensare non tantum super affinitate illicita, sed etiam super crimine, licet non cumulatim, dum qua parochus solam attingere valet affinitatem; b/ qua parochus potest uti facultate in ordine ad matrimonium contrahendum, non autem in ordine ad matrimonium contractum convalidandum: utrumque autem valet qua confessarius; c/ qua confessarius potest dispensare cum non parochianis, quod non valet qua parochus; d/ qua confessarius potest, respectu parochianorum, suam facultatem exercere ubicumque, dum exercitium facultatis quam habet ut parochus restringitur ad terminos diœceseos.

Attamen manet locus usui facultatis parochis qua talibus concessæ. Et quidem primò, ad eam recurri potest quando tempus est quidem adeundi Episcopum, non autem S. Sedem, siquidem confessariis non suffragatur facultas nisi in casu adeo urgenti ut ne Episcopus quidem adiri queat; secundò, quotiescumque parocho præsto est, in casu determinato, utraque facultas, debet uti potestate quam accepit qua parochus potius quam illa quæ ipsi competit qua confessario: hæc namque delegatur ab Episcopo vi potestatis ordinariæ ex tacito consensu S. Sedis, illa vero vi indulti, cessat autem hujusmodi potestas ordinaria, ubi suppetit potestas delegata (2).

---

(1) Dispensandi potestas, de qua sub 1° et 2°, delegatur ab Episcopo, utente potestate ordinaria, dum hæc quæ sub 3° inscribitur subdelegatur vi indulti, uti jam notatum est; et ideo prima et secunda possunt exerceri *extra* diœcesim, non autem tertia.

(2) De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 366 et 370; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 411 s.

IV

Q. *Titius vicepastor vocatur ad moribundum, eumque in confessione reperit voto simplici castitatis obnoxium esse ac luxuriosè vixisse cum muliere, cui cupit matrimonialiter conjungi in extremis; supponitur autem ignorari in populo hanc viri conditionem.*

Quæritur 1° utrum Titius possit validè ad hujus matrimonii celebrationem procedere; 2° utrum valeat dispensare super voto castitatis; 3° quomodo possit præcaveri a sigilli violatione.

R. **Ad 1m.** Titius posset hujusmodi matrimonio assistere *validè,* absque delegatione Ordinarii vel parochi loci.

Juxta exposita namque locus est applicationi articuli VII Decreti *Ne Temere*, vi cujus « imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiæ et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi validè (ac licitè) potest *coram quolibet sacerdote* et duobus testibus ».

Et revera obtinet in casu *utraque conditio* in tenore requisita: 1° matrimonium urget ad consulendum conscientiæ, quatenus matrimonio removeatur occasio proxima peccandi ac concubinaria vita hucusque ducta legitimetur; 2° datur impossibilitas moralis accersendi parochum aut Ordinarium ejusve delegationem impetrandi: obstat enim strictissima lex sigilli, cum supponatur facti scientia sola confessionis via acquisita; nec passim opportunum foret a pœnitente licentiam petere scientia sacramentali utendi ut necessaria delegatio, signanter a parocho, impetretur (1).

Matrimonio etiam *licitè* assistet Titius in quantum removeri potest impedimentum voti castitatis, cujus

(1) Similem casum proposuit et in eumdem sensum solvit *Il Monitore Ecclesiastico*, 1910, p. 137 s.

præsentia obstat *licita* celebrationi matrimonii. De hoc agitur

Ad 2m. Quod spectat *votum simplex castitatis* cui obnoxius existit moribundus, non potest, ut videtur, dispensatione removeri a Titio vicepastore, sed censetur ejus vis prohibitiva in casu *cessare ex epikeia.*

Equidem sacerdos, vi dispositionis articuli VII matrimonio assistens, potest, ad tramites decreti S. C. de Sacr., 14 Maii 1909, dispensare « super impedimentis omnibus etiam publicis, matrimonium jure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineæ rectæ ex copula licita ». Ast votum simplex castitatis constituit impedimentum *impediens*, laudata autem facultas spectat impedimenta *dirimentia,* idque *exclusive*, uti expresse declaravit S. Sedes, interrogata circa ambitum facultatis anni 1888 (1), cujus facultatis tenori assimilatur tenor præsentis concessionis. Non potest igitur super dicto voto dispensare Titius. Quid igitur faciendum? — In supposito quod tempus desit recurrendi ad Ordinarium (2), censemus Titium absque ulla dispensatione posse ad matrimonii celebrationem procedere: in tali namque extremitate ac tantis in angustiis videtur locum esse *epikeiæ*, ac legem prohibentem sponte sua cessare (3). Ideo præcise quia lex prohibens sponte cessat, sola memorantur impedimenta dirimentia in relatis indultis. Et sane aliter non intelligitur disciplina Ecclesiæ tam providæ ac sollicitæ in

---

(1) Ita decretum C. S. O., 18 Martii 1891, statuit « disparitatem cultus, utpote impedimentum dirimens, in Encyclica S. Officii 20 Febr. 1888 comprehendi; mixtam vero religionem, *uti impedimentum impediens,* non comprehendi ». *Collectanea S. C. de Pr. Fide,* n. 2188.

(2) Episcopus posset dispensare ex potestate *ordinaria* pro casu urgenti, in quantum votum est facto occultum et privatim fuit emissum.

(3) Sunt Auctores qui in nostro casu, certò scil. imminente morte, permitterent matrimonium, ex eo quod pars voto ligata prævidetur matrimonio non usura. Ita Besson, apud *N. R. th.*, 1909, p. 470; Van den Acker, *Decreti « Ne Temere » de Sponsalibus et Matrimonio Interpretatio,* Buscoduci, p. 70 s.

sortem moribundi; non intelligitur quomodo, dum tanta largitate permittit cum ipso a quocumque sacerdote dispensari super gravissimis impedimentis dirimentibus, matrimonium prohibeat coram leviori impedimento; quomodo sinat dispensari super professione solemni ac nolit auferri obstaculum ex simplici voto proveniens.

Ad 3m. Titius potest vitare sigilli sacramentalis fractionem, vel curando ut pœnitens consentiat in præsentiam duorum testium, vel, si prævidetur in hoc ægre consensurus, dispensando super præsentia testium, in hoc relaxando impedimentum clandestinitatis.

Hoc etiam impedimentum sub facultate diei 14 Maii 1909 comprehendi censemus contra VERMEERSCH, *De Religiosis-Periodica,* V, p. 38 s.; *Ned. Kath. Stemmen*, 1909, p. 336; VAN DEN ACKER, o. c., 1909, p. 69 s., nobis consentientibus *Il Monitore ecclesiastico,* vol. XXI, p. 472 ss.; *N. R. th.*, 1909, p. 472; *Archiv für kath. Kirchenrecht*, 1910, p. 594 et WOUTERS, *Commentarius in Decretum « Ne Temere, »* 3a ed., Amstelodami, 1910, p. 69 s.; VON ERNST, *Schweizerische Kirchenzeitung*, 1911, p. 68 (1). Non omittat autem post factum matrimonii celebrationem cautè nuntiare Episcopo, prævie obtenta licentia pœnitentis, ad hoc ut in libro secreto Cancellariæ episcopalis inseratur.

Nota. Quod spectat neglectum cæremoniæ civilis nulla difficultas. Favore recentis legis, die 3 Augusti 1909, feliciter introductæ, non urgetur lex anterioritatis matrimonii civilis quotiescumque agitur de matrimonio in extremis, cujus celebratio non poterat differri usquedum formalitates civiles fuerint impletæ.

A. DE SMET.

---

(1) Certum est et declaratione C. S. O., 13 Decembris 1899 expressè confirmatum, indultum anni 1888 ad clandestinitatis impedimentum extendi; ratio autem ex tenore decreti 14 Maii 1909 in contrarium deducta non videtur convincens.

V

Q. *Les ouvrages généraux d'histoire ecclésiastique divisent assez communément l'histoire du moyen âge en trois périodes, dont les limites sont indiquées par les dates suivantes: 1/ 692-1073; 2/ 1073-1294; 3/ 1294-1517. Justifiez cette division.*

R. Dans une réponse précédente (1) nous avons indiqué comme principale caractéristique du moyen âge: l'unité dans la foi catholique et dans l'obéissance au souverain pontife chez les peuples néo-latins et germains. Seulement cette unité religieuse et cette pénétration de l'esprit chrétien dans le nouveau centre de l'activité de l'Église ne se réalisa pas pleinement dès l'abord et ne se maintint pas toujours, durant l'époque que nous étudions, au même degré de perfection. L'Église, éducatrice du monde barbare, a connu d'abord les difficultés inhérentes à toute œuvre d'initiation; elle parvint cependant à réaliser son idéal durant un laps de temps assez considérable; mais arrivée à l'apogée de sa puissance, elle vit peu à peu décliner son prestige sous la poussée toujours grandissante d'un esprit réactionnaire, anti-ecclésiastique. C'est sur cette considération qu'est fondée la division chronologique communément admise du moyen âge; nous avons donc, pour répondre à la question posée, à montrer le bien-fondé de cette considération générale. Nous le ferons en indiquant les caractères généraux de chaque période et les événements qui les déterminent.

I. **Première Période. Formation de la République chrétienne,** (depuis la fin de l'antiquité chrétienne (2) jusqu'à l'avènement de Grégoire VII en 1073).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà p. 111 ss. Nous avons consulté ici les mêmes ouvrages généraux indiqués *l. c.*

(2) Nous n'indiquons pas le point d'aboutissement de l'antiquité chrétienne, tenant compte de la remarque faite suprà p. 112. Les caractères

1. *Union de l'Église avec la nouvelle société occidentale, — rupture avec l'Orient.*

Durant la période précédente l'Église avait déjà dépassé les limites du monde romain ; mais à partir du Ve siècle ce sont les peuples nouveaux eux-mêmes, qui par des migrations en masses se rapprochent des terres déjà chrétiennes : d'abord les peuples d'origine germanique, puis ceux d'origine slave se laissent peu à peu initier à l'Évangile. Malheureusement l'Orient lui aussi eut ses migrations : les arabes gagnés à la religion de l'Islam, poussés par Mahomed († 632) à la guerre sainte, parcourent la moitié du monde, barrant non seulement à l'Église la route de l'Inde ; mais ruinant encore ses conquêtes précédentes. Ces victoires de l'Islam jointes au Schisme d'Orient, consommé en 1054, enlèvent à l'Église la partie de l'Est de l'Europe, ainsi que les chrétientés de l'Asie et de l'Afrique.

2. *Lutte entre le Christianisme essentiellement universaliste et unitaire et la tendance particulariste des peuples nouveaux.*

A l'idée impérialiste des romains, à l'idée abstraite de l'état souverain et de la loi égale pour tous, l'esprit concret des peuples nouveaux avait substitué un système de relations personnelles d'homme à homme, des contrats : le Franc est le fidèle d'un chef plutôt que citoyen d'un empire. Il s'en suit immanquablement que la société nouvelle se morcelle et se localise, menaçant ainsi la solidarité, qui fait communier ensemble les membres de l'Église. D'instinct, l'Église essaie donc de faire adopter par les peuples qu'elle convertit l'idée romaine unitaire : dans la question de l'empire, c'est sa propre vie qui est en jeu. Elle patiente, réforme, espère, lors des invasions

---

du moyen âge existent déjà en Occident avant 692. C'est pour ce motif que certains auteurs, tel J. Marx, *Kirchengeschichte*, Trier, 1906, relèguent à l'antiquité chrétienne les événements qui intéressent l'Eglise d'Orient avant 692, tandis qu'ils renvoient au moyen âge tout ce qui a rapport à la conversion des barbares, depuis la chute de l'Empire romain.

germaniques : et son travail fécond parait sauver l'avenir (Ve-VIIe siècle). Elle réussit dans une certaine mesure au temps de Charlemagne : et son succès assure un moment le rayonnement de l'Évangile (VIIIe-IXe siècles). Mais elle échoue tout à fait au temps des Seigneurs, et la ruine de l'empire entraine un redoutable affaiblissement de sa vie (Xe-XIe siècle) (1), jusqu'à ce qu'apparaissent vers le milieu du XIe siècles les papes réformateurs.

3. *Lutte de l'Église contre l'esprit mondain qui menace de l'envahir.*

Art. V. *Les curés doivent avoir soin d'annoncer et de faire une ou plusieurs fois dans l'année, une communion générale des enfants et d'y admettre non seulement les premiers communiants, mais aussi ceux qui, du consentement des parents ou du confesseur, comme il a été dit plus haut, auraient déjà auparavant participé au festin eucharistique. Pour les uns et pour les autres, on consacrera quelques jours à l'instruction et à la préparation.*

Le décret ne parle que *des curés*, mais les Instructions épiscopales reconnaissent le même droit aux *supérieurs des maisons d'éducation* (2).

Ni le décret, ni les Instructions (*plusieurs* communions collectives) ne déterminent exactement *le nombre* de communions générales à organiser dans les paroisses et les maisons d'éducation. Néanmoins l'intention des Évêques semble ressortir assez clairement du fait qu'ils font un devoir à leur clergé d'instituer à l'intention des enfants une confession générale, *au moins tous les deux mois* (3). Il est tout indiqué que cette confession soit suivie d'une communion générale.

---

(1) Cf. Besson, *o. c.*, p. 35; Vermeersch, *De prima puerorum Communione*, Brugis, Beyaert, 1910, p. 12.

(2) *Instructions*, I, 5°.

(3) *Instructions*, I, 4°; III.

On aura soin d'instruire et de préparer les enfants pendant *quelques jours,* p. ex. pendant *trois jours* (1). Remarquons cependant que les Instructions épiscopales (II) maintiennent le catéchisme paroissial, qui doit durer deux années au moins, comme préparation à la communion solennelle; le clergé pourra donc se contenter de convoquer au catéchisme des trois jours, qui précèdent la communion générale, les enfants qui ne sont pas en âge de suivre le catéchisme spécial de la communion solennelle.

Faisons ici une remarque très importante. Dans la pensée du législateur, ces communions générales sont établies pour permettre au clergé d'organiser des catéchismes collectifs, dans lesquels on pourrait compléter graduellement l'instruction religieuse des enfants et en même temps les préparer d'une manière pratique à la confession et à la communion. Son intention n'est pas d'établir des *premières* communions collectives: voilà pourquoi le décret ordonne d'admettre *non seulement les premiers communiants, mais aussi ceux qui, du consentement des parents ou du confesseur, auraient déjà fait leur première communion en privé.* Un enfant étant jugé capable, on ne le fera donc pas attendre jusqu'au jour fixé pour la communion générale: les parents chrétiens, les mères surtout, auront à cœur de conduire eux-mêmes leurs enfants à la sainte Table, et communieront avec eux. Quel touchant spectacle et combien édifiant, fut-il donné de contempler déjà dans certaines paroisses, et comme on voudrait voir se généraliser cette pratique éminemment chrétienne! Comme le fait remarquer Sa Grandeur Mgr Waffelaert, dans sa Lettre pastorale pour le Carême de cette année, nous verrons bientôt les petits enfants à la sainte Table « escortés d'un plus grand nombre de fidèles, de leurs frères et sœurs plus âgés, de leurs pères et mères ».

---

(1) C'est l'indication donnée par les *Instructions,* III.

2° Après la première Communion.

La première communion n'est plus le couronnement d'un cycle d'instructions et d'exercices religieux, elle marque le début d'un sérieux apprentissage de la vie chrétienne. Dès lors, on comprend que le décret donne des prescriptions au sujet de la formation chrétienne, qui commence avec l'éveil de la raison et la communion précoce. L'article VI contient deux règles: Ceux qui ont la charge de l'enfant auront soin de *faire communier l'enfant fréquemment;* il sont tenus de *compléter son instruction religieuse.*

Art. VI. *Tous ceux qui ont charge des enfants doivent apporter le plus grand soin à ce que ceux-ci, après la première communion, s'approchent souvent de la sainte Table et même, si cela est possible, tous les jours, selon le désir de Jésus-Christ et de notre sainte Mère l'Église, y apportant la piété que comporte leur âge. De plus, ceux à qui incombe cette charge doivent se souvenir que c'est pour eux un très grave devoir de prendre les moyens pour que les enfants continuent à assister à des leçons publiques de catéchisme ou, au moins, pour que l'on supplée d'une autre manière à leur instruction religieuse.*

A/ La communion fréquente des enfants.

Jésus entre dans l'âme des enfants avant le péché, pour y conserver et consacrer *l'innocence de leur baptême*, pour la *nourrir d'un suc de vie intérieure*, pour faire vivre les enfants de sa vie. En un mot, Jésus dans l'Eucharistie est la nourriture de leur vie surnaturelle et divine: *Caro mea vere est cibus* (Jean VI, 55). Or, de même que l'influence de l'aliment matériel, l'influence de la nutrition spirituelle est lente et progressive. Il ne faut donc pas s'étonner que l'Église et le Pape insistent pour qu'on fasse communier les petits enfants *fréquemment et même, si cela est possible, tous les jours.*

L'article VI s'adresse à *tous ceux qui ont la charge*

des enfants: ce sont d'après l'article IV, les *parents*, le *confesseur*, les *instituteurs* et le *curé* (1).

Ils doivent apporter le plus grand soin, dit le décret, *omni studio* curandum est. Il ne sera pas inutile de rappeler ici les déclarations du décret sur la communion quotidienne (20 Déc. 1905), auquel est faite une allusion assez transparente dans la suite de la phrase: *selon le désir de Jésus-Christ et de notre sainte Mère l'Église.* Voici ces déclarations:

Art. VI. « Comme il est évident que la réception fréquente et quotidienne de la sainte Eucharistie accroît l'union avec Jésus-Christ, nourrit plus abondamment la vie spirituelle, enrichit l'âme de vertus et donne au communiant d'une manière plus sûre le gage de la vie éternelle; *les curés, les confesseurs et les prédicateurs*, suivant la doctrine approuvée du catéchisme Romain, *exhorteront fréquemment et avec beaucoup de zèle* le peuple chrétien à un usage si pieux et si salutaire »

Art. VII. « ... *Qu'on fasse aussi tous les efforts possibles pour la* [communion quotidienne] *promouvoir dans les Séminaires ecclésiastiques...; de même dans toutes les maisons d'éducation chrétienne* ».

Désormais ces dispositions s'appliquent *aux petits enfants:* « Une fois admis à la sainte Table, ils ne doivent plus être empêchés d'y participer fréquemment, mais on doit plutôt les y engager ». Ce sont les termes employés par la S. Congr. du Concile dans une déclaration datée du 15 Septembre 1906 (2). Parents, confesseurs, instituteurs et curés, tous ceux qui sont chargés du soin des enfants, doivent consacrer le meilleur de leur zèle à amener les enfants à la sainte Table *tous les jours*, et si cela n'est pas possible, au moins *fréquemment.*

« Le régime inauguré par le Décret de 1905 pour la Communion fréquente et quotidienne dans les mai-

---

(1) Voir plus haut, p. 223.

(2) Voir *Collat. Brug.*, t. XI, p. 717 ss.

sons d'éducation devra donc être généralisé avec un zèle croissant. Si déjà ce régime, au témoignage du cardinal Mercier, « a produit des fruits de piété et de moralité qui dépassent ce qu'avaient entrevu les directeurs d'âmes les plus optimistes », que ne devons-nous pas espérer de son extension à tous les enfants qui auront communié de très bonne heure » (1)?

*
* *

Il nous faudrait traiter ici la question de *l'apostolat de la communion fréquente et quotidienne auprès des petits enfants*. Pour ne pas allonger ces notes outre mesure, nous nous contentons d'indiquer ou de rappeler certaines idées (2).

Il faut avant tout **prier**, prier et faire prier beaucoup (3). N'oublions pas de faire prier les petits enfants, déjà même avant leur première communion: le cœur de Jésus aime tant ces petits qu'il ne peut rien leur refuser.

Il faut ensuite **travailler**: le bon Dieu se plaît à exiger de nous et à attendre, pour agir lui-même, notre action personnelle. *Dei enim sumus adjutores* (1 Cor. III, 9). Nous disposons pour cet apostolat de multiples ressources.

1° **Il faut instruire.**

Nous devons donner la doctrine intégrale du décret sur la communion quotidienne, sans restriction aucune, sans fausse timidité: le Pape invite *tous les chrétiens*, grands et petits, à communier tous les jours. — Mais dans la direction individuelle des âmes, il faut user de modération: il y a des fidèles auxquels il est impossible de communier tous les jours, c'est l'évidence même (4). *Doctrine intégrale, ménagements pour les personnes* (5).

---

(1) Lintelo, *l. c.*, p. 47.

(2) Voir notre commentaire du décret *Quam singulari*, éd fr., p. 78 ss.; éd. fl., p. 67 ss.

(3) Voir *Collat. Brug.*, t. XII, p. 430 ss., coll. p. 299.

(4) Voir à ce sujet *Colllat. Brug.*, t. XII, p. 300 ss.

(5) Lintelo, *La communion fréquente dans le peuple*, 1911, p. 7.

Il faut adapter à l'intelligence des enfants l'enseignement sur les deux points essentiels : *Raisons de communier souvent, voire tous les jours ; dispositions requises* (1). Nos instructions et exhortations, données avec conviction et avec chaleur, répétées aussi par les maîtres et maîtresses de nos écoles chrétiennes, produiront leur effet : les petits enfants seront entraînés ; peut-être même faudra-t-il leur dire qu'il est défendu de communier plus d'une fois par jour.

2° **Deux moyens pratiques.**

Les instructions épiscopales insistent particulièrement sur deux moyens.

a/ *L'assistance quotidienne à la sainte Messe.*

« En union avec Notre Saint Père le Pape — ainsi s'expriment nos Évêques — nous souhaitons vivement que les enfants et les jeunes gens de nos familles chrétiennes contractent de bonne heure la pieuse habitude d'assister tous les jours à la sainte messe et d'y communier ».

Dans beaucoup de paroisses, il existe une messe pour les enfants des écoles ; il suffirait d'en avancer l'heure pour permettre aux enfants d'y communier. Dans les paroisses où cette messe n'avait pu être introduite, parce que la messe ou les messes étaient trop matinales, ne pourrait-on pas convoquer à une de ces messes matinales les enfants qui ne demeurent pas trop loin de l'église ?

b/ *La pratique habituelle de la confession.*

« Rien — disent encore nos Évêques — ne dispose mieux les enfants à la communion fréquente et même quotidienne que la pratique habituelle de la confession. Aussi exhortons-nous le clergé à habituer tous les enfants, dès l'âge de raison, à se confesser souvent. Nous lui faisons un devoir d'instituer à leur intention, au moins tous les deux mois, une confession générale ».

---

(1) Voir ce que nous avons écrit *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 159 ss.; *Canisiusblad*, 1909, bl. 34.

Dans l'introduction au Décret, Sa Grandeur Mgr Waffelaert dit des prêtres : « Avec un redoublement de zèle, les confesseurs seront au service des fidèles, et, en particulier des enfants, dans le confessionnal, afin qu'il soit permis à tous de recevoir souvent et même tous les jours, l'auteur de toute grâce dans son Sacrement d'amour ».

Entendre la confession des enfants est parfois un travail pénible : mais aussi les enfants pourraient y être mieux préparés. On pourrait en particulier mettre à profit ces jours d'instruction et de préparation, qui doivent précéder les communions générales (1) — et de plus, la pratique même de la confession plus fréquente sera pour les petits une initiation et une préparation efficaces.

Il est de la plus haute importance d'appliquer le principe de *la division du travail*.

Si un grand nombre d'enfants viennent se confesser à la même heure, il est impossible au confesseur de s'occuper *sérieusement* de chacun d'eux ; de plus, les enfants doivent attendre trop longtemps « leur tour », et encore qu'on puisse parvenir à leur faire garder le silence, ils ne laisseront pas de perdre toute ferveur et tout goût pour la confession. Pour la confession générale, il sera bon de les faire conduire à l'église par petits groupes et à différentes heures de la journée, pour éviter de surmener le confesseur. Mieux encore serait de prendre les enfants par classe et à différents jours. En tout cas il faut diviser la besogne : *divide et impera*. Pourquoi ne pourrait-on pas établir dans les paroisses le régime inauguré presque partout dans nos maisons d'éducation? Les confesseurs se tiennent *tous les matins* à la disposition des élèves. Ce sera d'ailleurs le seul moyen d'éviter dans les paroisses l'encombrement du samedi et du dimanche matin.

---

(1) Voir plus haut p. 227.

3° **Éducation eucharistique des enfants.**

Nos Évêques exhortent les parents chrétiens « *à inspirer à leurs enfants le plus tôt possible la piété envers le saint Sacrement de l'Eucharistie* ». Parents, maîtres et prêtres devraient donc unir leurs efforts pour donner aux enfants une *solide et véritable éducation eucharistique.*

Ne devrait-on pas dire de certaines personnes qu'elles connaissent et aiment bien peu Jésus dans son Sacrement d'amour? Voyez comme à la *Messe* elles oublient ou négligent de s'unir au prêtre et surtout à Jésus, qui offre lui-même le sacrifice par le ministère du prêtre; voyez le peu de cas qu'elles font de la sainte *communion;* comme il est rare qu'elles songent à *visiter* Jésus, le divin solitaire de nos églises désertes. Elles vénèrent — et c'est fort bien — la très sainte Vierge Marie et certains autres Saints, mais elles n'oublient que trop le Maître, le Roi, le bon Dieu, qui habite et vit au milieu de son peuple, trop souvent comme un étranger, un inconnu.

Grâce au nouveau décret, la vie eucharistique des enfants commencera dorénavant avec l'âge de raison. A nous incombe la divine tâche d'élever les petits à la plénitude de cette vie. Et qu'on nous permette de signaler en passant quelques moyens: la messe quotidienne, la visite quotidienne, la messe supplémentaire du dimanche, appelée messe de réparation, l'adoration mensuelle ou hebdomadaire, l'inscription dans la confrérie du saint Sacrement; l'explication des cérémonies et prières de la Messe; le chant commun à la messe et au salut... que sais-je encore? Et comme point central de toutes ces œuvres eucharistiques, leur principe vital et vivifiant: la communion quotidienne.

Ici nous touchons au point capital: Tous ceux à qui incombe la charge des enfants doivent apporter le plus grand soin à ce que ceux-ci, *après la première communion,* s'approchent *souvent* de la sainte Table et même, si cela est possible, *tous les jours.*

Ainsi s'exprime le Pape à l'article VI ; un fait tout récent expliquera plus clairement encore la pensée du saint Père : « Il y a quelques jours les Sœurs [Franciscaines missionnaires de Marie] étaient admises avec de nombreux orphelins à l'audience pontificale. *Un bébé de moins de cinq ans,* prenant son courage à deux mains, s'approcha du doux Pontife, engagé sans doute par son air paternel, et lui demanda de dire qu'on lui permît de *communier tous les jours.* Alors Pie X le fit asseoir près de lui et l'interrogea sur les points essentiels requis à cet effet. Après quoi, souriant aimablement à son jeune interlocuteur : « Il faut dire à la Mère Supérieure, dit-il, *qu'elle te fasse communier tous les jours,* comme tu le désires » (1).

Il faut donc engager les enfants à communier *souvent,* et même *tous les jours, tout de suite après leur première communion.* Si vous les trouvez dignes de communier aujourd'hui, ne sont-ils pas plus dignes de le faire demain, puisqu'aujourd'hui Jésus lui-même est venu préparer la communion de demain ? Il en est de même pour les jours suivants : plus l'enfant communie et mieux il est préparé à communier encore. C'est d'ailleurs le seul moyen pratique d'introduire la communion fréquente et quotidienne : le système de l'augmentation progressive du nombre de communions est voué à l'insuccès *auprès de la masse,* l'expérience ne le prouve que trop. Il faut s'assurer un bon noyau de petits fervents de la communion quotidienne, qui commencent le lendemain de leur première communion. Leurs prières, leur parole peut-être, leur exemple toujours en entraîneront d'autres.

(A suivre).

H. Mahieu.

---

(1) Lettre de Rome, 23 Janvier 1911, dans *Le Bien public* 27-28 Janvier 1911.

S. Congregatio Sancti Officii
(SECTIO DE INDULGENTIIS)

I

De absolutione seu benedictione papali tertiariis accipienda (1).

DECRETUM.

Die 15 decembris 1910.

SS^mus^ D. N. Pius Divina Providentia Pp. X, in Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, preces a nonnullis Tertiariorum Sodalitatum Moderatoribus pluries porrecta, benigne excipiens, quo facilius Tertiarii ex utroque sexu, cujuscumque Ordinis, iis non exceptis qui vitam communem agunt, diebus statutis generalem Absolutionem seu Papalem Benedictionem recipere valeant, clementer indulsit, ut quoties ipsi ad hunc finem una simul convenerint, et Sacerdos, cujus est illam impertiri, quacumque ex causa, abfuerit, eamdem Absolutionem seu Benedictionem accipere possint a quolibet Sacerdote, sive sæculari, sive regulari, qui ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus. Præsenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

ALOISIUS GIAMBENE
Substitutus pro Indulgentiis.

II

De utili temporis spatio ad visitationem ecclesiæ vel oratorii instituendam, pro Indulgentiis lucrandis (2).

Die 26 Januarii 1911.

SS^mus^ D^nus^ noster D. Pius divina Providentia Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, ut dubiis, difficultatibus et controversiis occurratur, quæ sæpe exorta sunt, ac forsitan et deinceps oriri possent, circa temporis

(1) A. A. S., t. III (1911), p. 22.
(2) A. A. S., t. III, p. 64.

determinationem, quo ecclesiæ vel oratorii visitatio institui valet, quum hæc requiritur ad Indulgentias lucrandas alicui diei adnexas, benigne concessit, ut utile ad id tempus habeatur et sit, non modo a media ad mediam noctem constituti diei, verum etiam a meridie diei præcedentis. Hoc autem declaravit fore valiturum, tam pro Indulgentiis plenariis quam pro partialibus, semel in die aut toties quoties adquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis, quacumque demum sub loquutione tempus sive dies designetur. Sartis tectis manentibus de cetero clausulis et conditionibus, in singulis quibuslibet concessionibus appositis, Contrariis quibuscumque, etiam specialissima et singulari mentione dignis, nonobstantibus.

L. S. Aloisius Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

S. Congregatio Rituum.

Decretum seu declaratio super Editione Vaticana ejusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos (1).

Per decretum diei 11 Augusti 1905 Sacra Rituum Congregatio statuit ac declaravit Editionis Vaticanæ libros liturgicos gregorianos respicientis reproductiones adamussim esse conformandas eidem typicæ editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato. Quod si ex quadam S. Sedis tolerantia et permittente Ordinario, aliquoties præfatis reproductionibus addita fuere quædam signa, ritmica nuncupata, atque ita ipsæ reproductiones in vulgus editæ ac venditæ, tamen in seligendis atque adhibendis ejusmodi signis pluries conquestum est per ea aliquantum variari ac immutari notulas traditionales vaticanas: et ad hos abusus removendos idem Sacrum Consilium evulgandum censuit alterum decretum sub die 14 Februarii 1906. Quum tamen non omnes abusus cessaverint et alii recentiores adjecti sint, sive ob titulum adhibitum *Editionis ritmicæ,* sive ob interpretationem haud rectam decretorum, necessaria fuit nova declaratio authentica expressa per epistolam Secretarii S. R. C. datam

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, t. III, p. 67 s.

die 2 Maii 1906. Quæ epistola typographis facultatem et licentiam rite habentibus reproducendi editionem typicam Vaticanam clare significabat hanc solam editionem ab Apostolica Sede esse approbatam atque præscriptam pro usu cantus gregoriani, una cum subsequentibus editionibus eidem plane conformibus; ceterasque editiones ritmicas nuncupatas ob signa adjuncta, habendas tantum toleratas; atque hoc sensu esse intelligendum decretum latum die 14 Februarii 1906.

Quæ quum ita sint, ut removeantur abusus existentes et præcludatur via tum enunciatis tum aliis quæ facile irrepere possent, Sacra eadem Congregatio sequentia decernere atque enucleatius declarare voluit:

I. Editionem Vaticanam de libris liturgicis gregorianis, prouti evulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus et cum regulis Graduali Romano præfixis, satis superque continere quæ ad rectam cantus liturgici executionem conferunt.

II. Reproductiones ejusdem editionis typicæ, quæ præseferunt signa superinducta, ritmica dicta, per abusum vocari editiones ritmicas, atque uti tales haud fuisse approbatas, sed tantum precario toleratas: hanc vero tolerantiam, attentis rerum adjunctis, amplius non admitti, nisi pro solis editionibus jam factis, Gradualis et Officii Defunctorum, ideoque nullatenus extendi sive ad editiones cum notulis gregorianis sive ad transumpta cum eisdem notulis Antiphonarii et aliorum quorumcumque librorum cantum liturgicum continentium, quæ ad normam Motus Proprii diei 25 Aprilis 1904 et Decretorum hujus S. R. C., tum pro universali Ecclesia, tum pro singulis Diœcesibus vel Congregationibus, adhuc instauranda sunt et evulganda.

III. R^mis^ Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum seu Congregationum interim licere editiones precario a S. Sede toleratas permittere intra limites propriæ jurisdictionis, quin tamen ipsi eas in locis sibi subjectis præcipere, atque usum editionis adprobatæ inhibere valeant (1).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25 Januarii 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*

L. ✠ S. † Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

(1) Quoad hujus momentosi decreti commentarium conferantur *Collationes Brugenses*, t. XI, p. 647 ss.; t. XV, p. 499 ss.

Notæ Bibliographicæ

Het Neomalthusianisme, door F. Forstmann, Prof. Theol. Mor., Driebergen en Dr A. W. Ausems, vrouwenarts, Utrecht, Wed. Van Rossum, 1911.

En iterum opellam de Neo-Malthusianismo! Ad quam concinnandam communis opera est adhibita theologi ac medici; et quidem meritò cum materia tractata utramque provinciam pervadat, theologiam scil. et medecinam.

Præmissa notione ac distinctione facta inter Malthusianismum et Neo-Malthusianismum, successive refutant Auctores prætextus a Neo Malthusianismi patronis invocari solitos, et gravissima exponunt mala quæ scelestem illam praxim nata sunt consequi.

Id multùm nobis placet, salva egregia scribendi forma ac styli elegantia, laudatos nempe Auctores adeo insistere in hoc quod etiam conjugibus opus sit virilitate christiana et virtute continentiæ, qua valeant usum conjugii moderare vel etiam quandoque ab ipso abstinere, ubicumque scil. necessitas, et signanter uxoris infirmitas aut debilis valetudo id exigit (p. 24 ss., coll. p. 42 s.). Hæc non possunt, data occasione, satis inculcari nupturientibus et conjugatis; non potest satis invehi contra vulgatum illum conceptum, quasi in matrimonio, si sola vitentur peccata contra naturam, omnia expediant ac laxæ dari queant habenæ passionibus. Quoties ab onanismi vitio retinerentur conjuges si ex continentis vitæ consuetudine essent roborati!

Quod autem spectat partem disquisitionis in qua gravissima malitia demonstratur onanismi, non satis urgent AA., ut nobis videtur, rationem fundamentalem ac intrinsecam in qua dicta malitia nitatur: consecutionem nimirum ipsius finis operis copulæ reddi impossibilem, ordinem radicaliter et funditus perverti ac directe contra naturam procedi. Obiter tantùm provocant AA. ad hoc intimum malitiæ fundamentum, vix non unicè invocantes pessimas sequelas quæ vitium illud apud individua, familias ac societatem consequi cernuntur. Hinc minus adæquatè solvunt difficultatem quæ contra onanismi malitiam adduci potest ex liceitate concubitus cum uxore prægnante: intima differentiæ ratio minus est in eo quod copula cum prægnante non afferat nocumenta sicut copula onanistica (p. 80), sed potius in eo quod copula cum uxore imprægnata sit *ex parte actus ad finem operis de se ordinata*, dum copula onanistica finem illum penitus excludat ac destruat.

A. De Smet.

L. David et P. Lorette, *Histoire de L'Église* Paris, Bloud et Cie, 1910. In-12, VIII-285 p.

Bien que ce petit manuel, destiné à l'enseignement secondaire, ne contienne pas tout, on peut cependant dire qu'il est complet, parce que, en ne négligeant aucun aspect de l'histoire ecclésiastique, il comprend un nombre suffisant d'événements capitaux, représentatifs d'une situation ou d'une époque. Le côté pédagogique est bien soigné: les divisions et sous-divisions sont claires et fondées, les titres compréhensifs; les aperçus généraux au début ou à la fin des chapitres aideront la mémoire des élèves et faciliteront la vue de l'ensemble. Ecrit pour des français, ce précis classique, agrémenté d'excellentes citations de Duchesne, Taine, Kurth, Goyau, etc., donne une part assez grande à l'histoire de la France: le tiers du volume à peu près s'occupe de l'histoire de la France contemporaine. A part ce manque de proportion, ce manuel se recommande à nos professeurs de collège.

Conradus Kirch. *Enchiridion fontium historiæ ecclesiasticæ antiquæ.* Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1910. In-8, XXX-636 p. Pr. 8 M., broché 9 M.

L'*Enchiridion* du R. P. Kirch est pour l'étude de l'histoire ecclésiastique, ce qu'est celui de Denziger-Bannwart pour la théologie. Il est conçu sur le même plan et présente sous le même format et avec le même soin les textes les plus importants relatifs à l'histoire ancienne de l'Église. Ce sont des documents de toute nature: canons et encycliques des Conciles, décrets de papes, lois et rescrits d'empereurs, extraits d'écrivains ecclésiastiques et profanes, d'actes de martyrs etc. Ces textes sont présentés sous 1001 numéros, d'après l'ordre chronologique des auteurs, avec des indications précises, (bien que un peu trop sommaires), au sujet des auteurs, ainsiqu'au sujet de l'édition d'où le texte a été transcrit. Les variantes ne sont indiquées que là où elles présentent un intérêt spécial; une traduction latine est toujours mise en regard des textes grecs; ajoutons que de bonnes tables chronologique et alphabétique facilitent l'usage de ce recueil dont l'utilité saute aux yeux.

Sauf pour l'histoire des dogmes, pour laquelle l'A. renvoie, et avec raison, à Denziger-Bannwart, on peut dire que la documentation, fournie pour l'histoire de l'Antiquité chrétienne, est quasi complète. Les textes nous renseignent non seulément sur la situation externe de l'Église, ses origines, sa diffusion et ses rapports avec la société civile, mais encore sur sa vie intime, sa constitution, sa hiérarchie, son culte, sa discipline et la vie de ses fidèles. En somme le R. P. Kirch met à la disposition des travailleurs les matériaux nécessaires à l'acquisition d'une connaissance intelligente et raisonnée du passé de l'Église et les met à même de se faire une opinion fondée sur les questions controversées. Ajoutons que ce recueil constitue en même temps une *Chrestomathie patristique*. A ces divers titres on peut dire de ce nouvel Enchiridion, ce qu'on a dit de celui de Denziger-Bannwart: « il vaut à lui seul toute une bibliothèque ». Aussi bien nous le recommandons chaudement aux lecteurs des *Collationes*.

R. De Schepper.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Berthé. *La Sainte Trinité.* Paris, Bloud, 1911, in-8. (III-218 p.) Pr. 5 frs.

Blondel M. *La Psychologie dramatique du Mystère de la Passion à Oberammergau.* Collection « Science et Religion ». (Art. et Littérature). Paris, Bloud, 1911. In-12, p. 64. Pr. 0,60 fr.

Boussion. *Fleurs de l'Année Liturgique.* Namur, Wesmael-Charlier, 1910. In-12, 264 p. Pr. 2 frs.

Carra de Vaux. *Léonard de Vinci.* Collection « Science et Religion » (Philosophes et penseurs). Paris, Bloud, 1911. In-12, p. 63. Pr. 0,60 fr.

Charles P. *Le Dogme.* Collection « Sience et Religion » (Questions Théologiques). Paris, Bloud, 1911. In-12, 64 p. Pr. 0,60 fr.

Couget U. *Le Clergé Gallo-Romain à la fin du IVe Siècle.* Paris, Bloud, 1911. — In-12. (Collection « Science et Religion ». Questions Historiques), 63 p. Pr. 0.60 fr.

Couzard R. *Sainte Hélène.* Paris, Bloud, 1911. In-16, 240 p. Pr. 3 frs.

Curton W. H. *The Truth of Christianity.* 7th ed., London, 1908. In-12, 604 p. Pr. 2,6 sh.

de Barbezieux A. *Les derniers jours du Sauveur.* Paris, Casterman, 1910. In-12, 497 p. Pr. 2,50 frs.

De Bonniot J. *Le Problème du Mal.* 3e éd., Paris, Téqui, 1911. In-12. p. 371. Pr. 3,50 frs.

de Hemptinne J. *Notice sur l'Ordre de Saint-Benoît.* Anvers, 1910. In-16, 175 p.

Deslandes P. *Saint Pie V.* Collection « Science et Religion ». (Les Grands Papes). Paris, Bloud, 1911. In-12, 63 p. Pr. 0,60 fr.

Douais Mgr. *L'Apologétique.* Collection « Science et Religion ». (Apologétique). Paris, Bloud, 1911. In-12, 64 p. Pr. 0,60 fr.

---

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

—

I

Conspectu generali describe argumentum partis dogmaticæ (I-III) Epistolæ S. Pauli quæ *ad Ephesios* inscribitur.

II

An et quo sensu admittendum est ignem Inferni esse realem?

III

An licita est ebrietas *indirecta* seu quæ non intenditur? Da rationem responsi.

IV

Judica utrum liceat moribundos inebriare vel alio modo rationis usu privare, ut sine sensu doloris decedant.

V

Faites voir comment la situation économique du Saint-Siège, après la paix de Constantin, surtout au VIIe siècle, prépara et favorisa l'établissement de la souveraineté temporelle des papes.

VI

Quelles sont les prescriptions liturgiques concernant la matière et l'ornementation du corporal et de la pale? Quelle est la raison de ces prescriptions?

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii, 16ª Martii (feria V) hora 2ª. Omnes quorum interest sacerdotes **enixe** rogantur ut huic cœtui intersint.

*
* *

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Camerlynck. *Compendium Introductionis Specialis in S. Sam.* Pars prior, XII-128 p. Fr. 1,75.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

R. Van den Bussche. *Misboekje.* Uitgave van *Geloofsonderricht* (onder druk).

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVI, pag. 179).

—

QUÆSTIO X.

DE UNIONE BEATORUM CUM VERBO INCARNATO INQUIRITUR QUID DOCEANT SCRIPTURA ET SS. PATRES.

80. Expositam a nobis doctrinam jam e fontibus fidei, præter hinc inde allata testimonia, ulterius confirmare nunc aggredimur.

Quod primo sacras Litteras attinet, plures sunt textus qui beatam visionem dilucide asserunt, ut v. g. I COR., XIII, 12; et quoad angelos, MATTH., XVIII, 10, ubi Christus affirmat angelos videre faciem Patris sui, quo constat essentiam Dei divinasque personas intuitive ac faciali visione videri, et insinuatur jam aliquousque per visionem beatificam creaturam pertingere ad ipsum Patrem invisibilem. Sed præ cæteris Scripturæ testimoniis, ut ipsam naturam atque modum visionis beatificæ aliquatenus doceamur, attendenda sunt verba S. Joannis, in sua *Epist.* I, c. III, I et sqq.: *Videte qualem* (ποταπὴν) *charitatem dedit nobis Pater, ut* (ἵνα) *filii Dei nominemur et simus. Propter hoc mundus non cognoscit nos, quia non cognovit eum. Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quod, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Hæc sequente paraphrasi interpretamur: Videte qualem charitatem, nempe ipsum Spiritum sanctum, dedit nobis Pater, (tam singulari emphasi utitur Apostolus, ut merito talem charitatem de ipso Amore substantiali Patris et Filii intelligamus), eo fine ut per illum inhabitantem in nobis Spiritum filii Dei nominaremur (κληθῶμεν), *et simus* (quod dubiæ auctoritatis est, forsan glossema ex v. seq. Cæterum et sumus filii Dei, qui non inanem titulum dat, sed tribuit id quod nomine significatur). Propter hoc, quia nominamur et sumus filii Dei, mundus qui non facit justitiam (II, 15) non cognoscit nos (γινώσκει), non novit divinam dignitatem nostram filiationis Dei, quia non novit (ἔγνω) eum scil. Patrem Deum. Carissimi, nunc in hoc sæculo per inhabitantem Spiritum sanctum filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus in futuro. Scimus autem quod cum apparuerit istud ineffabile quoddam, similes ei sc. Deo et Patri erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Similes non secundum animam solummodo sed aliquando secundum totam personam, nam de toto homine loquitur S. Joannes; quoniam videbimus eum sicuti est, utique intellectu pariter simili Deo; similes ergo, quoniam videbimus, quia videre logice implicat similem esse. Dei enim natura proprium est se videre, creatura ergo si videt Deum ei similis seu plane deiformis sit oportet. Non probat ergo Joannes similitudinem futuram beatorum cum Deo neque a causa, quasi visio sit causa similitudinis, neque proprie ab effectu, quia nempe e converso visio est effectus deiformitatis, ut reipsa est, sed probat ex logico nexu conceptuum similitudinis illius divinæ et visionis Dei, quasi dicat: similes erimus, cujus rei argumentum seu signum est quod videbimus: videns enim Deum, vel est Deus vel similis Deo.

Hic autem diligenter adverte cujus naturæ sit similitudo cum Deo quam competere beatis directe asserit et probat S. Joannes. Non illa est similitudo tantum

quæ consistit in filiatione adoptiva per inhabitantem Spiritum sanctum, qualis nunc est; sed est similitudo futura longe mirabilior, adeoque et ex unione adhuc arctiore cum Deo, quæ quidem non evacuat priorem sed eam perficit. Neque enim Joannes nos jam nunc similes esse Deo negat, quin imo potius id affirmat cum nos filios Dei et eatenus proin similes Deo et Patri dicat aperte; sed ergo, præter hanc similitudinem et propter eam, alteram celsiorem annuntiat, cujus argumentum affert visionem futuram Dei sicuti est. Cum autem prior similitudo sit ex consortio divinæ naturæ ac inhabitante Spiritu sancto, posterior qualis esse potest nisi ex unione arctiore cum Deo qua Deus in se videtur, unione scilicet cum Verbo, per quod attingimus ad ipsum Patrem, quoniam ex eadem unione cum Verbo et subjective similes constituimur cum Deo per lumen gloriæ et objective conjungimur Deo viso quasi per speciem, quæ alia non est quam imago consubstantialis Patris, ipsaque Deus, ut supra expositum est.

81. Hæc sacra eloquia haud alio, ac nos interpretati sumus, sensu intellexerunt Patres, quorum doctrina nostram concipiendi explicandique rationem de unione cum Verbo miro modo confirmat. Equidem ad citatos textus sæpius appellant aut alludunt, necnon ad alios qui quidem forte minus ad rem pertinent, quos non invocavimus, sed de quibus agentes Patres mentem suam aperiunt, ut sunt v. g. verba Psalmi XXXV, 10: *In lumine tuo videbimus lumen;* item Ps. IV, 7: *Signatum est super nos lumen vultus tui.* Illud quoque videre erit apud Patres, jam a primis sæculis, nonnumquam subobscure, aliquando clarius, talia a sanctis illis Ecclesiæ Doctoribus tradi, quæ nisi nostro sensu intelligi nequeunt.

Igitur si jam sanctos Ecclesiæ Patres adimus, plura invenimus eorum testimonia quæ nostram opinandi dicendique rationem præclare confirmant.

Irenæus, a discipulis Joannis Apostoli, nominatim sanctis Polycarpo et Papia, institutus, quique inter apostolicos viros, apostolicæ doctrinæ testes primosque traduces a Veteribus omnibus merito recensetur, multa insignia habet in re nostra: « Præsignificabant igitur, *ait* (1), prophetæ quoniam videbitur Deus ab homi- *quoniam ipsi Deum videbunt* (2). Sed secundum magnitudinem quidem ejus et mirabilem gloriam *nemo videbit Deum et vivet* (3); incapabilis enim Pater: secundum autem dilectionem et humanitatem (sc. benignitatem), et quod omnia possit, etiam hoc concedit iis qui se diligunt, id est videre Deum, quod et prophetabant prophetæ. Quoniam *quæ impossibilia apud homines, possibilia apud Deum* (4). Homo etenim a se non videt Deum. Ille autem volens videtur hominibus, quibus vult et quando vult et quemadmodum vult. Potens est enim in omnibus Deus: visus quidem tunc per Spiritum prophetiæ (al. prophetice), visus autem et per Filium adoptive, videbitur autem et in regno cœlorum paternaliter; Spiritu quidem præparante hominem in Filio (5) Dei, Filio autem adducente ad Patrem, Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ unicuique evenit ex eo quod videat Deum. Quemadmodum enim videntes lumen, intra lumen sunt, et claritatem ejus percipiunt: sic et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes ejus claritatem. Vivificat autem eos claritas: percipiunt ergo vitam, qui vident Deum.

---

(1) *Contra Hæreses*, l. IV, c. XX (edit. Migne, al. XXXVII), n. 5 et sq. nibus; quemadmodum et Dominus ait: *Beati mundo corde,*

(2) Matth., V, 8.

(3) Exod., XXXIII, 20.

(4) Luc., XVIII, 27.

(5) Legendo: in *Filio* Dei, sensus est: hominem in Filio Dei carne induto, quem oculis videre licuit, præparari a Spiritu sancto per visionem seu agnitionem Filii incarnati ad videndum ipsum Patrem intuitive in cœlo. Alii codices habent: in *Filium* Dei, quod legi potest *in filium* (sine majuscula) *Dei*, scilicet, adoptivum; quod omnino quadraret cum doctrina supra a nobis exposita; et verum est, nempe per inhabitantem Spiritum sanctum constitui hominem filium Dei adoptivum, quem solum Filius unigenitus adducit ad Patrem per visionem beatificam. Si vero legis *in Filium* (cum majuscula), sensus esse potest fere æquipollens cum prima lectione; *in Filio* Dei, scilicet Spiritu præparante in Filium, id est, adducente ad Filium.

Et propter hoc incapabilis et incomprehensibilis et invisibilis, visibilem se et comprehensibilem et capacem fidelibus præstat, ut vivificet percipientes et videntes se, per fidem (1). Quemadmodum enim magnitudo ejus investigabilis est, sic et benignitas ejus inenarrabilis: per quam visus vitam præstat iis qui vident eum. Quoniam vivere sine vita impossibile est, subsistentia autem vitæ de Dei participatione evenit, participatio autem Dei est videre Deum, et frui benignitate ejus.

6. Homines igitur videbunt Deum ut vivant, per visionem immortales facti et pertingentes usque in Deum.....

7. Gloria enim Dei vivens homo, vita autem hominis visio Dei. Si enim quæ est per conditionem (i. e. per res creatas) ostensio Dei vitam præstat omnibus (al. hominibus) in terra viventibus, multo magis ea quæ est per Verbum manifestatio Patris vitam præstat his qui vident Deum. »

Alio in loco (2) ad hæc verba Apostoli: *Quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (3), hæc animadvertit: « Velut si dicat: Nolite errare, quoniam nisi Verbum Dei inhabitaverit et Spiritus Patris fuerit in vobis, vane autem et prout evenit conversati fueritis, quasi [hoc] tantum caro et sanguis existentes, regnum Dei possidere non poteritis. »

Addamus ejusdem Irenæi verba quibus concludit librum V et ultimum: « Hanc esse adordinationem et dispositionem eorum qui salvantur, dicunt presbyteri Apostolorum discipuli, et per hujusmodi gradus proficere, et per Spiritum quidem ad Filium, per Filium autem ascendere ad Patrem... . Et Apostolus autem liberam futuram creaturam a servitute corruptelæ, in libertatem gloriæ filiorum

---

(1) Illa verba *per fidem* inseruimus, quamquam non inveniuntur in textu latino, quoniam eadem legimus in græco. Sic autem ea intelligimus, non quasi velit Irenæus Deum videri per fidem in vita beata, sed quod Deus, sicut se visibilem non præstat nisi fidelibus, qui nempe in hac vita fideles extiterint, ita percipientes se vivificet per fidem, ratione fidei seu fidelitatis eorum.

(2) Lib. V, c. IX, in fine.

(3) I *Cor.*, XV, 50.

Dei confessus est (1). Et in omnibus iis et per omnia idem Deus Pater ostenditur, qui plasmavit hominem, et hæreditatem terræ promisit patribus, qui eduxit illam [creaturam a servitute] in resurrectione justorum, et promissiones adimplet in Filii sui regnum [regno ?] : postea præstans illa paternaliter, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit. Etenim unus Filius, qui voluntatem Patris perfecit; et unum genus humanum, in quo perficiuntur mysteria Dei, quem concupiscunt angeli videre, et non prævalent investigare sapientiam Dei, per quam plasma ejus conformatum et concorporatum Filio perficitur : ut progenies ejus, primogenitus Verbum descendat in facturam, hoc est, in plasma, et capiatur ab eo; et factura iterum capiat Verbum et ascendat ad eum, supergrediens angelos et fiat secundum imaginem et similitudinem Dei. »

In hac Irenæi doctrina, cum nihil sit non notatu dignum, velimus tamen attendas præcipue triplicem visionem Dei indicatam : per Spiritum prophetice, seu visionem antiquæ legis patriarchis et prophetis concessam ; per Filium adoptive, seu visionem Filii incarnati sub nova lege filiis adoptivis datam ; et visionem Patris seu paternaliter tributam in cœlo, qua paternaliter præstat quæ nec oculus vidit, etc. Et rursum, triplicem gradum : Spiritu præparante ad Filium, Filio adducente ad Patrem, ut attingatur Pater donans æternam vitam per visionem sui. Nam : « ea quæ est per Verbum manifestatio vitam præstat his qui vident Deum. » Tandem, omni attentione digna sunt verba ultimo citata, quibus asserit Irenæus angelos non prævalere investigare sapientiam Dei in incarnatione Filii, in qua natura humana seu plasma Dei conformatum et concorporatum Filio perficitur : ut Verbum, primogenitus Patris descendat in plasma et capiatur ab eo, et hæc iterum creatura humana capiat Verbum et ascendat ad

(1) Alludit ad *Rom.*, VIII, 21.

Patrem, et fiat secundum imaginem et similitudinem Dei.

Profecto luculentius nihil dici potest in confirmationem sententiæ nostræ de unione beatorum cum Verbo divino, qua similes sunt Deo per lumen gloriæ et in quo Deum ut in se est conspiciunt: imo vero videtur Irenæus hanc ipsam sententiam exponere.

82. Eodem ferme modo ac S. Irenæus loquitur Origenes, qui spectabili antiquitate et ingenti eruditione insignis, minori tamen auctoritate orthodoxa, ut scimus, pollet; in his autem quæ citabimus omnino videtur referre scholæ alexandrinæ et antiquitatis christianæ sensum. Sic recitans verba Psalmi XXXV, 10: *In lumine tuo videbimus lumen,* addit: « Quid enim aliud lumen Dei dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi Virtus Dei, per quam quis illuminatus vel veritatem rerum omnium pervidet, vel ipsum Deum cognoscit qui veritas appellatur. Tale est ergo quod dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, in Verbo et sapientia tua, qui est filius tuus, in ipso te videbimus Patrem (1). » Et paulo infra (2): « Qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet et Patre et Filio et Spiritu sancto, non percepturus salutem nisi sit integra Trinitas: nec possibile sit participem fieri Patris vel Filii sine Spiritu sancto. » Alio in loco (3): « Tum enim, *ait,* cognoscendi Deum una erit actio eorum qui ad Deum pervenerint, duce eo Verbo quod est apud Deum: ut sic sint in cognitione Patris formati omnes accurate filius, ut nunc solus Filius novit Patrem. Nam si diligenter quis examinet, quando Patrem agnoscent hi, quibus revelat qui Patrem novit, et consideret videntem nunc per speculum et in ænigmate, videre nondum cognoscentem, quemadmodum opus est nosse,

(1) *Periarch.*, l. I, c. I, n. 1.
(2) Ibid., c. III, n. 5.
(3) *In Joan.*, t. I, n. 16. — Et cf. ibid. n. 42, versus medium.

haud aberrabit si dixerit neminem novisse Patrem, etiamsi apostolus, etiamsi propheta quis fuerit, sed tum [Patrem ab his cognoscendum esse], cum unum erunt, sicut Filius et Pater unum sunt. »

Infra (1): « Insuper, *inquit,* hæc quæro utrum hoc proloquium: Si Patrem meum sciretis, et me sciretis, idem valeat cum illo: *Si me sciretis, et Patrem meum sciretis,* annon. Et arbitror hæc inter se non æquipollere, eo quod qui Patrem agnoscit, ascendat a cognitione Filii ad cognitionem Patris, nec alio modo videatur Pater, quam visione Filii. *Qui enim vidit me,* inquit, *vidit et Patrem,* qui misit me; nec tamen dixisset: Qui vidit Patrem, vidit me, quoniam qui Verbum Dei videt, videt Deum, ascendens a Filio ad Patrem; fieri enim nequit ut videat quis Deum non habens ducem Verbum, etc. »

Nonne hæc veluti semina sunt, quæ si rite evolvantur, assurgunt in doctrinam a nobis propositam? Sed et Patres insequentes eadem jacere semina et subinde ipsosmet evolvere videbimus.

83. Audiamus et S. Basilium Magnum pariter asserentem de cognitione Dei: « *In lumine tuo videbimus lumen* (Ps. XXXV, 10): hoc est, in illustratione Spiritus *Lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan., I, 9)..... Proinde via ad Dei cognitionem est ab uno Spiritu, per unum Filium ad unum Patrem (2). » Et infra (3): « Impossibile siquidem est cernere imaginem Dei invisibilis, nisi in lumine Spiritus. Et qui intuetur imaginem, hunc impossibile est lumen ab imagine separare. Quod enim ut videas in causa est, id necesse est ut simul cum iis quæ cernuntur videatur. Itaque proprie et congruenter per illuminationem Spiritus conspicimus splendorem gloriæ

(1) *In Joan.*, tom. XIX, n. 1 in fine.
(2) Lib. V, *c. Eunom., de Spiritu sancto,* c. XVIII, n. 47.
(3) Ibid., c. XXVI, n. 64.

Dei: per characterem autem ad eum, cujus est character et æquale sigillum, subvehimur. »

Adhuc expressius loquitur S. Gregorius Nyssenus: « Nam, *ait* (1), quoniam dictum est quod Angeli semper vident faciem Patris mei in cœlis, neque vero aliter videre licet hypostasin sive personam Patris, nisi quis per characterem in eum intuitus fuerit: character autem Patris hypostaseos sive personæ unigenitus filius est; hunc vero rursus nemo apprehendere possit, cujus mens Spiritu sancto non fuerit illustrata atque illuminata, quid ex his demonstratur aliud, præterquam quod a nulla actione, quæ a Patre et Filio proveniat, Spiritus sanctus separatus sit? »

Objiciat forte aliquis S. Gregorium hic demonstrare omnem actionem ad extra communem esse tribus SS. Trinitatis personis, ex quo videretur potius contradicere nostræ opinioni de unione justorum cum persona Spiritus sancti atque beatorum cum persona Verbi. Atvero et nos dicimus ipsam illam unionem, atque effectus creatos ex ista unione produci actione communi trium divinarum personarum, videlicet lumen illuminantis Spiritus sancti, cujus unione constituimur deiformes atque adoptivi, et lumen gloriæ quo, per unionem cum Verbo, capaces reddimur visionis Dei. Sed inde non negatur unio prædicta esse cum personis; quin imo asseritur, quam nisi Patres citati ipseque Nyssenus intellexissent esse cum personis Spiritus sancti et Verbi, non appellassent, ut fecerunt, ad characterem personalem earumdem personarum.

84. Ex Cyrillo Alexandrino: « lux Dei et Patris » est Filius, « juxta illud: *In lumine tuo videbimus lumen* (2) ». Rursum: « Si, *ait* (3), non inest natura soli

---

(1) Lib. *de Trinit.*, versus finem. Vide etiam ejusdem *Orat. in S. Stephanum*, et cf. cum cit. ex S. Basilio.

(2) *Comment. in Joan.*, l. I, p. 56 (edit. Jo. Auberti).

(3) Ibid , p. 66.

Filio ut sit vera lux, sed idipsum in creaturam quoque cadit, inanis, ut reor, erit Psalmista dicens: *Accedite ad eum et illuminamini.* » Iterumque: « Si Unigenitus lux vera solus non est... quo pacto nos tamquam ad Deum ac Patrem clamamus: *In lumine tuo videbimus lumen?* (1). » Paulo infra: « Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* At qualis, obsecro, est vultus ille Dei ac Patris, cujus super nos signatum est lumen; nisi omnino Dei Filius unigenitus, illa per omnia similis imago, et qui proinde ait: Qui vidit me, vidit et Patrem? Signatus est in nobis qui conformes nos sibi reddidit, et per suum Spiritum illuminationem impressit veluti divinam imaginem credentibus in ipsum, ut et ipsi nuncupentur ad ejus similitudinem Dii Deique filii (2). »

His similia plura habet S. Doctor tum in eod. lib. I in Joannem, tum in aliis ejusdem commentarii libris sexcentis in locis. Quæ quidem directe et expresse de unione cum Verbo in vita beata non agere ultro concedimus, sed de unione cum illuminante Verbo generaliter, etiamque in ordine naturæ. Atvero non excludunt illuminationem illam supremam unionemque beatificam; imo potius includunt, ex mente S. Doctoris quæ clare elucet ex aliis ejusdem sententiis. Ita, in verba Christi: *In illo die cognoscetis quia ego sum in Patre meo*, etc. (Jo., XIV, 20), hæc scribit: « Ego enim vivo, inquit. Vita enim sum secundum naturam, et vivens esse meum templum ostendi. Sed cum ipsi etiam vos, qui corruptibilis naturæ estis, viventes videritis, ad meî nimirum similitudinem, tunc utique manifeste cognoscetis, quia vita existens secundum naturam, Deo et Patri qui et ipse vita est secundum naturam conjunxi per meipsum, consortes quodammodo ac participes reddens immortalitatis ejus (3) ».

(1) Ibid., p. 68.
(2) Ibid., p. 69. — Et cf. *Thesauri*, l. XXXIII.
(3) Lib. IX, in fine.

Et infra (1): « Cum pro discipulis, imo vero pro omnibus orasset..., statim hæc quoque subjungit (Jo., XIV, 24: *illi sint mecum, ut videant claritatem meam*), ostendens alios non posse secum esse et suæ gloriæ conspectu ornari, nisi qui jam per ipsum Patri sunt uniti; dilecti enim sumus ut filii, ad similitudinem naturalis ac veri Filii. Tametsi enim haud pari forsan modo (2), rei tamen imitatio perfectissima quæ veritati quodammodo exæquari videtur, illius claritatem effingit.... Quantum vero bonum sit esse cum Christo, quænam oratio nobis explicabit? Ineffabilibus enim fruemur deliciis, nec oculus vidit.... quæ præparavit Deus diligentibus se. »

Quod modo advertimus de eloquiis S. Cyrilli, pariter de aliorum valet, v. g. Athanasii, cum ait: « Quum corporalibus commerciis non immiscetur mens humana.... sed sibi tota adest, ut a principio condita fuit, tunc sensibilia et omnia humana transcendens, in sublime evolat, et Verbum intuens, videt quoque in eo ipso Verbi Patrem, delectaturque istiusmodi spectaculo, etc. (3). » Hic quidem S. Doctor directe loquitur de contemplatione generatim, nequaquam vero excludit contemplationem supremam in cœlo.

Ab eodem S. Cyrillo ad latinos jam Patres transire non possumus, quin insigne ejusdem testimonium subjiciamus e *Thesauro* (4): « Licet igitur, *ait*, iis qui Filium vident, Patris essentiam intueri, et genitoris proprietatem ex hoc cognoscere. Quia enim universum esse Filii ex essentia Patris procedit, ea ratione est in Patre, et vicissim Pater est in Filio; siquidem id quod

---

(1) Lib. XI, (p. 1003 cit. edit.).

(2) Sic Augustinus, *Confess.*, l. XIII, c. 2, de angelis ait: « Quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritalis.... nisi per idem Verbum converteretur ad idem a quo facta est, atque ab eo illuminata lux fieret, quamvis non æqualiter, tamen conformis formæ æquali tibi? »

(3) *Orat. c. Gent.*

(4) Op. t. V, p. 1, p. 109.

ipse est natura, hoc etiam est Deus Verbum ex ipso procedens. Apparet autem et est in Filio, quemadmodum sol in splendore, quem emittit ex se, et sicut mens in sermone, et fons in fluvio qui ex se promanat. Proprietas enim essentiæ Patris in Filio sita et divinitatis, ut ita dicam, species, ipsum in eo esse omnibus ostendit. »

85. Jam Patrum latinonorum quædam testimonia afferamus. Sic loquitur S. Ambrosius: « Cum additur: *Unigenitus filius ipse enarravit* (1 Jo., XVIII), mentium magis quam oculorum visio declaratur. Species enim videtur, virtus vero narratur. Illa oculis, hæc mente comprehenditur. Proinde narrante Unigenito, qui est in sinu Patris, narratione ineffabili, creatura rationalis munda et sancta impletur visione Dei ineffabili, quam tunc consequemur cum æquales angelis facti fuerimus (1). » De quo testimonio lege S. Augustinum (2), ubi inter alia hæc habet: « Unigenitum Filium, qui est in sinu Patris, sic intelligamus narrantem, quomodo et Verbum est, non sonus auribus strepens, sed imago mentibus innotescens, ut illic interna et ineffabili luce clarescat quod dictum est: Qui me videt, videt et Patrem (Jo., XIV), quod hic Philippo dicebatur quando videbat et non videbat (3). » Scilicet, videbat oculis corporis Verbum incarnatum in sacra sua humanitate; non videbat Patrem neque Filium in sua divina natura.

86. Idem Augustinus de visione beatifica angelorum loquens: « Illi quippe, *ait* (4), angeli sancti non per verba sonantia Deum discunt, sed per ipsam præsentiam immutabilis veritatis (5), hoc est, Verbum ejus unigenitum; et ipsum Verbum et Patrem et eorum

(1) *Super Luc.*, l. I, c. I, 11.

(2) Lib. *de videndo Deo*, al. *Epist. 112 ad Paulinam*, c. VI et sqq.

(3) L. c., c. XII. Ibid. infra c. XV, habet verba quæ recitavimus supra in nostro num. 72 in fine.

(4) *De civ. Dei*, l. XI, c. 29.

(5) Cf. eumdem Aug., *De pecc. mer.*, l. I, c. 19.

Spiritum sanctum, eamque esse inseparabilem Trinitatem, singulasque in ea personas esse unam substantiam, et tamen omnes non tres deos esse, sed unum Deum, ita noverunt, ut eis magis ista sit nota, quam nosipsi nobis cogniti simus. » Deinde de cognitione quam habent Angeli creaturarum in Verbo agit, quam hic vocat divinam, et alias matutinam (1).

Idem S. Doctor, *Serm. 1 in Psalm. XXXIII,* n. 6: « *Panem*, inquit, *angelorum manducavit homo*, id est, Verbum illud quo pascuntur angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducavit homo... Saginantur illo angeli, sed semetipsum exinanivit, ut manducaret panem angelorum homo. » Quo nihil expressius dici potest ad significandum unionem sacramentalem cum Christo pignus esse futuræ gloriæ, in qua erit unio intima cum Verbo, utpote per quod tamquam per cibum satiabimur divina visione. Sed de convivio eucharistico, ut figura et pignore convivii cœlestis et æterni, paulo fusius dicemus infra.

Similia habet S. Augustinus, *De lib. arbitrio,* l. III, c. 10: « Ex quo factum est ut illud Dei Verbum per quod facta sunt omnia, et quo fruitur omnis angelica beatitudo, usque ad miseriam nostram clementiam suam porrigeret, et Verbum caro fieret et habitaret in nobis. Sic enim posset panem angelorum homo manducare, nondum angelis adæquatus, si panis ipse angelorum hominibus dignaretur adæquari. Nec sic descendit ad nos, ut illos desereret, sed simul integer illis, integer nobis, illos intrinsecus pascens per id quod Deus est, nos forinsecus admonens per id quod sumus idoneos facit per fidem, quos per speciem pascat æqualiter ». Hæc valde notabilia esse inficietur nemo.

87. Audiamus et S. Gregorium Magnum, multa præclare disputantem de Sapientia seu Verbo Dei, in ca-

---

(1) Ut hoc eod. lib. I, *De civ. Dei,* c. VII, et *Gen. ad lit.*, l. IV, c. 23 et sqq., et l. V, c. 5.

put XXVIII Job, *Moral.* lib. XVIII, ubi cap. 48, n. 79, dicit: « Quamvis in ea (civitate cœlesti) Sancti omnes tanta claritate fulgeant.... ei tamen Sapientiæ de cujus imagine habent omne quod sunt, æquari non possunt. » Et infra (1): « Omnes enim supernæ patriæ electi, sancti quidem et justi sunt, sed participatione Sapientiæ, non comparatione..., illa lumen illuminans, isti lumen illuminatum. »

Egregius vero ejusdem locus est, *Moral.*, l. XXX, c. 5: « Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. Palam quippe de Patre annuntiare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, et quomodo ipse genitori non impar oriatur, et quomodo utrorumque Spiritus utrique coæternus procedat, ostendit. Aperte namque tunc videbimus quomodo hoc quod oriendum est, ei de quo oritur, subsequens non est; quomodo is qui per processionem producitur, a proferentibus non præitur. Aperte tunc videbimus quomodo et unum divisibiliter tria sit, et indivisibiliter tria unum (2). »

88. Tandem mellifluus Doctor S. Bernardus: « Ostendet enim, *inquit* (3), nobis Filius, ut pollicitus est (Joan., XIV), semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem et Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis: quoniam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, et quem misit Jesum Christum, et in eis, quod non est dubium, etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis, novas utique et usque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis. Unde et beatus Joannes in epistola sua (1, III): *Nunc*, inquit, *filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*. Et addit: *Scimus autem quoniam*

(1) Ibid., c. 49, n. 81.
(2) Cf. supra Augustinum cit. num. præc.
(3) *In festo Omnium Sanct.*, serm. IV.

cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. »

Alio in loco (1) dicit: « Solem justitiæ illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat illuminatus potest, tamquam in aliquo similis : sicuti est, omnino non potest, tamquam nondum perfecte similis. »

Lege quoque ejusdem S. Doctoris verba *De Gratia et lib. arbitrio,* c. X, ubi probat similitudinem imaginis divinæ in nobis reformari per Christum, et quomodo id maxime per ipsum fieri conveniebat.

Neque omittere licet aliud dictum aureum ejusdem S. Bernardi, ubi citato textu Pauli: Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, hæc addit: « Sane hac scala cives non egent, sed exules. Quod vidit ipse hujus sententiæ auctor, qui cum diceret: invisibilia Dei per visibilia conspiciuntur, signanter posuit: a creatura mundi. Et vere quid opus scalis, tenenti jam solium? Creatura cœli illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt Verbum, et in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet ex iis quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare (2). »

Discipulus Bernardi, abbas Gillebertus sic Christum alloquitur: « Deosculare me tu osculo oris tui, osculo Verbi, non carnis... osculo manifestationis tuæ et conformationis meæ, ut tibi compositus, tibi copulatus in uno sim Spiritu (3). »

(Continuabitur).

---

(1) In Cant. sermo XXXI.

(2) *De consid.*, l. V, c. 1. Et cf. *Serm. XXXI in Cantica.*

(3) In append. operum Bernardi, Gilleberti abb., *Diss. ascet.* I.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Quid importat corporum resurgentium* incorruptibilitas?

R. 1. *Notio incorruptibilitatis.* « Corruptio uno modo dicit defectionem rei quantum ad *esse substantiale* et hoc modo idem est quod consumptio... Alio modò corruptio idem est quod *privatio bonæ dispositionis* » (1).

Incorruptibilitas igitur est duplex: 1°/ impossibilitas defectionis quoad *esse substantiale;* 2°/ impossibilitas privationis *bonæ dispositionis.*

Incorruptibilitas quoad *esse substantiale*, proprie dicta, consistit in hoc quod substantia nequeat interire, seu desinere esse, *per separationem elementorum ejusdem essentialium*, nempe per separationem materiæ a forma substantiali. Inde angeli sunt naturaliter incorruptibiles, quia sunt immateriales, scilicet non compositi ex materia et forma substantiali (2). Homines vero sunt naturaliter corruptibiles propter materialitatem ipsorum seu essentialem compositionem ex materia et forma. Patet corruptibilitatem hominum idem esse

(1) S. Bonaventura, in IV, dist. 44, P. II, a. 3, q. 1 (Edit. Quaracchi, t. IV, p. 929).

(2) Cf. S. Thomas, 1, q. 50, a. 5. — Angeli possunt quidem annihilari a Deo, sed non sunt ideo corruptibiles: « Per hoc quod dicitur quod omnia deciderent in nihilum, nisi continerentur a Deo, et etiam angeli, non datur intelligi quod in angelis sit aliquod corruptionis principium; sed quod esse angeli dependeat a Deo sicut a causa. Non autem dicitur aliquid esse corruptibile per hoc quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem; sed per hoc quod in se ipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem vel saltem potentiam materiæ » S. Thomas, l. c., ad 3.

quod *mortalitas* ipsorum. Redduntur autem homines *præternaturaliter* incorruptibiles seu immortales, ut statim dicemus.

Incorruptibilitas quoad privationem tantum bonæ dispositionis intelligitur hîc, sensu proprio, de immunitate a dispositione mala, *physica* ac *corporea,* nempe qua intrinsece læditur organum vel pars corporis et fit incapax totaliter vel partialiter eliciendi actum ipsi proprium (1): hæc incorruptibilitas est etiam in damnatis. Hæc proinde alia est ab *impassibilitate* quæ excludit omnem passionem contrariam perfectioni, gaudio ac felicitati subjecti, omnem nempe passionem (2), quæ et quatenus removet subjectum a quocumque modo bene sese habendi, sicut est timor, tristitia, ira et alia hujusmodi, necnon dolor corporalis.

2. Corporum vel hominum resurgentium *incorruptibilitas* duplex est distinguenda: *prima* scilicet, *quoad esse substantiale, secunda* quoad *esse accidentale,* nempe quoad corpoream dispositionem, sensu explicato.

Explicatio.

A. *De fide* est homines, post universalem resurrectionem, non jam mori et proinde factos esse incorruptibiles quoad esse substantiale. Hoc de *beatis* omnino *explicite* docetur in S. Scriptura: « Et mors ultra non erit » (3); « Mortui resurgent incorrupti » (4). Eadem

---

(1) Incorruptibilitas quoad privationem bonæ dispositionis sumitur latiori sensu a S. Bonaventura, l. c.

(2) *Passio* quandoque sumitur sensu latissimo pro *qualibet receptione formæ vel quasi-formæ* in subjecto; passio, hoc sensu accepta, supponit quidem potentiam in subjecto, sed tamen potest esse *ad perfectionem* subjecti, ad tribuendam ipsi qualitatem debitam vel convenientem: v. gr. intelligere in homine est quoddam pati, quatenus recipitur in potentia intellectiva: cf. S. Thomas, 1, q. 79, a. 2.

(3) *Apoc.*, **21**, 4.

(4) 1 *Cor.*, **15**, 52. Licet universale sit hîc assertum: « *mortui* resurgent incorrupti » tamen interpretes sunt qui recte, ut videtur, censent Apostolum hoc in loco intendere loqui de solis mortuis *qui ad præmium æternum* resurgent. Cf. Cornely, *Comment. in 1am epist. ad Cor.*, Parisiis, 1890, p. 507.

veritas quoad damnatos continetur formaliter implicite in his locis quibus docetur omnes mortuos tam bonos quam malos esse resurrecturos et *in hoc statu* vel æterna felicitate vel æterno supplicio esse afficiendos. « Nolite mirari hoc quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ [h. e. resurgent in vitam æternam]; qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii [h. e. resurgent ad judicium condemnationis] » (1). De omnibus porro *resuscitatis* dicit Christus: « Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam » (2). Universalis etiam Ecclesiæ prædicatio docet homines post resurrectionem jam non mori.

Hæc substantialis incorruptibilitas seu immortalitas consistit in indissolubili unione animæ cum materia. « Sic igitur intelligenda est incorruptibilitas futuri status, quia hoc corpus quod nunc corruptibile est, incorruptibile divina virtute reddetur: ita quod anima in ipsum perfecte dominabitur quantum ad hoc quod ipsum vivificet: nec talis communicatio vitæ a quocumque alio poterit impediri... Non igitur per hoc homo resurgens immortalis erit, quod aliud corpus incorruptibile (3) resumat... sed quia hoc ipsum quod nunc est corruptibile, incorruptibile fiet » (4).

Quum autem ipsa *naturalis* unio animæ ad materiam non sit de se indissolubilis, oportet ut indissolubilitas unionis obtineatur per aliquid *præternaturale:* hoc autem non est tantum remotio, sub Dei providentia, omnium causarum inferentium mortem, sed etiam qualitas composito humano superaddita (5).

---

(1) *Jo.*, **5**, 28 s.

(2) *Matth.*, **25**, 46.

(3) Nempe non alterius speciei erit corpus resurgentis quam corpus hominis hac in terra viventis.

(4) S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 85.

(5) Et sane in altera vita, post resurrectionem, homines non exercebunt actus vitæ mere vegetativæ, nec in ipsis conservabitur vita per nutritionem.

B. 1/ Incorruptibilitas accidentalis certo in *beatis* adest: de his dicitur: « Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus... et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum » (1). « Et mors ultra non erit, neque luctus, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt » (2). His verbis describitur immunitas ab omni passione quæ est *remotio perfectionis debitæ* sive sit passio *corporalis* quæ percipitur sensu doloris, sive sit passio *animalis*, v. gr. tristitia sensibilis, sive passio *metaphorice dicta* in voluntate, v. gr. tristitia intellectualis (3).

2/ Incorruptibilitas accidentalis, stricte dicta, etiam in damnatis habetur, secundum communem theologorum sententiam.

Inde inquiritur ab ipsis utrum damnati etiam *corporaliter* vel *passione corporali* lædantur ab igne (4). S. Thomas admittit damnatos, post resurrectionem, in corpore afficiendos esse *dolore* (5) ab igne, et hic dolor ad sensum tactus pertinet, ut videtur: « Sed quia corpora damnatorum, quantum ad aliquas conditiones, non erunt animæ totaliter subjecta, affligentur *secundum sensum* a contrarietate sensibilium; affligentur enim ab igne corporeo, inquantum qualitas ignis, propter sui excellentiam, contrariatur æqualitati complexionis et harmoniæ quæ est sensui connaturalis, licet eam solvere non possit » (6).

---

(1) *Apoc.*, **7**, 16 s.

(2) *Ibid.*, **21**, 4.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. V. p. 157 ss.

(4) Supponimus nunc *corporeum* esse ignem inferni: qua de re erit sermo in alia responsione.

(5) Nomine *dolor* hîc intelligitur perceptio sensibilis *ingratæ affectionis corporis* ab igne productæ. Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 383. Dolor hic est bene diversus a *tristitia*.

(6) *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 89. Nec aliud, ut videtur, docet S. Thomas in IV, dist. 44, Q. 3, a. 1, sol. 1. S. Thomæ sententia, quæ in *Summa contra Gentiles* clare exponitur, propugnatur a Capreolo, in IV, dist. 44, Q. 3, a. 1, conclus. 1 (Edit. Turonibus, t. VII, p. 96).

Censemus igitur ignem inferni, agentem ut instrumentum Dei, et proinde aliter ac agit in terra nostra, damnatorum corporibus inferre *affectionem valde ingratam*, cujus perceptio est dolorifera, non tamen *intrinsece destruere* vel *lædere* corporis partes ac organa, seu *corrumpere* ipsa. De hac re fusius loquemur in alia responsione.

J. Van der Meersch.

II

Q. *An, quousque et quare, mortuo S. Pontifice, ipso facto cessant a/ facultates generales dispensandi matrimoniales, quas a S. Sede obtinuit Episcopus; b/ rescripta dispensationis in forma commissoria concessa et nondum executioni mandata?*

R. A. **Facultates** generales, a S. Sede datæ Episcopo, seu potius Ordinario, in ordine ad dispensandum super impedimentis matrimonii, non desinunt per mortem S. Pontificis, sive fuerint concessæ immediatè a Papa, seu vi mandati specialis ipsius, sive fuerint obtentæ, quemadmodum fieri solet, per organon S. Congregationis.

Ratio est, pro utraque hypothesi, quod indultum dispensandi est gratia *facta*, quodque in causis gratiosis gratia facta non expirat morte concedentis. Est gratia *facta* cum indultum dispensandi, statim ac est impertitum, eo ipso censeatur a delegato perfecte adeptum. Quod autem gratia facta non cesset cum morte concedentis sponte intelligitur: ideo namque præcise quia plene censetur collata et a delegato plene ac perfecte acquisita, jam non pendet a concedente, adeoque nihil obstat quominus post hujus obitum perseveret (1).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 265 s., ac Auctores ibidem in subsidium theseos adductos.

Quodsi indulta fuerunt a S. Congregatione, vi hujus potestatis ordinariæ, communicata Ordinario, accedit et *altera ratio:* vi nempe Constitutionis *Vacante Sede Apostolica*, 25 Decembris 1904, facultates SS. Congregationum *ordinariæ* (1) non extinguuntur morte Romani Pontificis, ac proinde integer manet ipse fons a quo dicta indulta immediate dimanant.

B. **Rescripta** Apostolica *in forma commissoria* (vi nempe quorum non conceditur Ordinario indultum generale dispensandi, sed munus committitur impedimentum relaxandi in gratiam determinatorum nupturientium), etiam *non cessant,* mortuo S. Pontifice.

Porro quod spectat *rationem* in qua nititur assertum, distinctione est opus:

1° Si rescriptum est concessum *ab ipso S. Pontifice* vel *vi specialis commissionis Pontificiæ:*

a/ *Si res non est integra*, i. e. si dispensatio quidem nondum est fulminata, sed manum jam admovit Ordinarius ejus executioni, si nempe, vi delegationis in rescripto acceptæ, aliquem actum posuerit fulminationi prævium, puta si informationem sumpserit circa precum veritatem, pœnitentiam imposuerit, censetur eo ipso potestas dispensandi perseverare de cætero. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 264.

b/ *Si res est integra*, adhuc censetur subsistere potestas delegata, quia Ordinarius in hujusmodi rescriptis constituitur *executor necessarius*, nec licet ipsi executionem detrectare, uti monent *Normæ Peculiares* Ordinis servandi in SS. Congregationibus..., c. III, art. 1, n. 4, juxta reformatam Curiam.

Equidem hujusmodi gratia, ex parte nupturientium spectata, nondum apparet ipsis perfecte applicata; sed, attento mandato injuncto, æquivalet, ex parte concedentis, gratiæ factæ potius quam gratiæ faciendæ, cum

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 438 s.

in arbitrio jam non sit mandatarii gratiam non exequendi (1).

2° Si rescriptum est impertitum *a S. Congregatione,* ex hujus facultate *ordinaria*, altera ratio, præter illam quam modò invocavimus, est in promptu : nimirum non quiescunt facultates *ordinariæ* SS. Congregationum, defuncto S. Pontifice, uti jam notatum est sub A.

Nota. Quæ dicta sunt sub B de Ordinario, cum proportione valent de *confessario,* cui munus committitur a S. Sede dispensandi in foro interno.

III

Q. *An, quousque et quare, defuncto Episcopo, desinunt ipso facto a/ facultates, sive ordinariæ sive delegatæ, Ipsi competentes; b/ rescripta Romana nondum executionem nacta; c/ facultates parochis aut confessariis delegatæ; d/ dispensationes ab Episcopo concessæ in forma commissoria et nondum executioni datæ?*

R. A. **Facultates generales** quibus gaudet *Episcopus* ad dispensandum super impedimentis matrimonii :

1° *Delegatæ :* non cessant cum ejus obitu, cum Ipsi non competant personaliter sed censeantur elargitæ *Ordinario* (2), adeoque Capitulo ac Vicario Capitulari, Sede Vacante.

---

(1) Aliter esset dicendum si munus dispensandi tali modo committeretur ut ad hoc munus commissus possit gratiam elargiri vel eam pro arbitrio retinere : tunc esset gratia *facienda* potius quam facta, et qua talis adhuc esset dependens a delegante adeoque cum hujus morte expiraret. Porro nunnunquam contingit simile rescriptum concedi a S. Sede, cum facultate scil. pro arbitrio dispensandi in casu particulari, quod rescriptum non est confundendum cum rescripto in forma commissoria, quod supponit mandatum exequendi. Cf. *Normas Peculiares,* l. c., n. 3; collato De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio,* n. 346, sub 4°, cum nota.

(2) Juxta decreta a C. S. O. successivè lata, 24 Nov. 1897, 20 Apr. 1898, 22 Junii 1898, 3 Maii 1899, 5 Sept. 1900, 22 Aug. 1906, facultates *habitualiter* concessæ Episcopis intelliguntur elargitæ *Ordinariis* : quæ dispositio applicatur tam indultis anno 1897 anterioribus, quam indultis in posterum nominatim Episcopo forsan concedendis, nec attendendæ sunt

2° *Ordinariæ,* i. e. quas habet Episcopus jure ordinario, Ipsi sunt personales ac proinde desinunt cum ejus obitu, sed transeunt ad Capitulum et Vicarium Capitularem.

B. **Rescripta Romana** integra manent post mortem Episcopi, siquidem exequenda mandantur *Ordinario:* possunt proinde executioni mandari a Vicario Capitulari.

Cæterum eadem foret solutio etiamsi Episcopo et non Ordinario commissa fuerit rescripti Apostolici executio. Rescripta namque non cessant *per mortem executoris*, nisi in quantum executor electus fuerit *ex industria personæ;* solent autem rescripta Apostolica committi executori electo *ratione muneris*. Posset proinde rescriptum exequi Episcopi defuncti successor in eodem munere.

C. **Facultates** dispensandi **generales,** quæ *parochis* vel *confessariis* respective delegatæ fuerunt ab Episcopo, non quiescunt per obitum Episcopi, sive Episcopus illas delegaverit ex potestate ordinaria, sive eas vi indulti Apostolici subdelegaverit.

Sunt namque in utraque hypothesi *gratiæ factæ,* adeoque non cessant per mortem delegantis, juxta dicta sub responso ad II^m^ quæstionem, ad A. Accedit et altera ratio, quod spectat facultates ab Episcopo subdelegatas ex indulto, quatenus indulta, vi quorum dictæ facultates subdelegantur, non sunt personaliter concessa Episcopo sed competunt Ordinario, juxta superius notata.

D. **Dispensationes,** si quæ sint (1), ab Episcopo

---

limitationes in tenore facultatum Episcopalium appositæ quoad potestatem delegandi Vicarium Generalem (decr. 1906); *habituales* autem facultates sunt illæ « quibus utuntur (Episcopi) quoties voluerint, licet ad præfinitum tempus », necnon illæ « quibus dumtaxat uti valent pro determinato casuum numero ». Cf. decreta citata apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 488 s., coll. *Amer. Eccl. Review,* 1906, p. 627 ss.

(1) In diœcesi Brugensi mos est ut dispensationes Episcopales concedantur in forma gratiosa et non in forma commissoria; liquet autem ex

concessæ *in forma commissoria,* et post hujus obitum nondum sunt executionem nactæ:

1° Si fuerunt impertitæ *vi indulti Apostolici,* non desinunt, ac possunt fulminari a parocho vel confessario, cui executio fuit concredita: indultum namque, vi cujus dispensatio fuit data, non desinit, utpote quod competit *Ordinario.*

2° Si fuerunt datæ *vi potestatis ordinariæ*, quæ personalis est Episcopo: equidem manent ac possunt executioni mandari, re jam non integra, idque etiam, re licet integra, quando constitutus est executor necessarius, quemadmodum vix non semper fit. Hæc autem juris principia eadem sunt ac illa quæ applicavimus in responso ad II^m Quæstionem, ad B, sub 1°.

A. De Smet.

IV

Q. *Expone quid sit spiritus fidei et quantum conferat ad perfectionem vitæ spiritualis.*

R. I. **Quid sit spiritus fidei.**

Pro variis principiis quæ regunt vitam animarum, varius distinguitur *spiritus* (1): in malis hominibus est spiritus mundi vel etiam diaboli; in bonis autem inve-

---

morte Episcopi nullum detrimentum pati dispensationes in forma gratiosa concessas, licet forsan ante obitum Episcopi nondum fuerint partibus communicatæ.

(1) Recte advertit Card. Bona, *De discretione spirituum,* cap. III, n. 4, postquam adduxit varias significationes: « Significat tandem spiritus internam inspirationem, sive impulsum, instinctum et motionem, qua quis seipsum sentit ad aliquid agendum vel non agendum incitari, ut cum dicit Scriptura: *Nolite omni spiritui credere* (1 Jo. IV, 1), itemque: *Nescitis cujus spiritus sitis* (Luc. IX, 55), et alibi: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est* (1 Cor. II, 12). Hoc sensu nomen spiritus in hoc tractatu accipitur ab halitu respirationis ductâ analogiâ: nam quia halitus ex corde procedit, et illius dispositionem ac motum indicat, inde translatus est spiritus ad quoslibet animi motus et impulsus, quo homo interius ad aliquem actum humanum incitatur ».

nitur spiritus humanus vel divinus. Inde distinguitur vita mundana vel etiam diabolica, vita humana et vita divina (1).

Attenta psychologia, dicendum est illam diversitatem oriri ex diverso modo habituali cognoscendi ac judicandi. Unde qui solet modo humano apprehendere, agit modo humano, ducens np. vitam sensualem, *animalis homo* (1 Cor. II, 14) vel saltem naturalem; qui verò solet modo divino apprehendere, agit modo divino: videlicet qui ducitur lumine fidei, quæ est participatio quædam scientiæ ipsius Dei in nobis, judicat ac proinde agit secundum Deum. Unde dicit Scriptura: *Justus meus ex fide vivit* (Hebr. X, 38 et cf. XI).

Inde intelligitur quid sit spiritus fidei seu vita fidei: qui habet in se virtutem fidei, etiam fidem vivam, hoc sensu quod sit informata per charitatem, imo interdum elicit actum fidei, non ideo habet fidem vividam seu non ideo vivit *ex fide*. Ille dicitur habere spiritum fidei, cujus vita animatur fide: qui np. habitualiter et inde quasi naturaliter ducitur principiis fidei, cui fides est regula directiva judiciorum, verborum et actionum omnium (2).

II. **Quantum conferat ad perfectionem vitæ spiritualis.**

Hoc statim apparet ex hoc argumento: Perfectio vitæ spiritualis essentialiter consistit in charitate, per quam unimur intime cum Deo fine ultimo (3). « Ipse autem ultimus finis oportet quod prius sit in intellectu quam in voluntate; quia voluntas non fertur in aliquid, nisi prout est in intellectu apprehensum. Unde cum ultimus finis sit quidem in voluntate per spem et chari-

(1) Possunt omnes spiritus comprehendi ternario numero, et ad divinum (sub quo angelicus), diabolicum (ad quem spiritus mundi et carnis) et humanum contrahi. Cfr. Bona, *l. c.*, n. 5; Scaramelli, *Le discernement des esprits* (Trad. Brassevin, Paris, Téqui, 1910), ch. I.

(2) H. Mahieu, *Probatio charitatis*, Brugis, Beyaert, 1910, p. 162 ss.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 588.

tatem, in intellectu autem per fidem, necesse est quod fides sit prima inter omnes virtutes » (1). Fides est quasi oculus vitæ supernaturalis ac divinæ, illuminans atque dirigens cogitationes, verba et opera seu totam vitam spiritualem secundum Deum, finem nostrum ultimum (2).

Porro uberior explicatio ac simul applicatio practica suppeditari potest, raptim percurrendo activitatem nostram spiritualem, quam illuminet ac dirigat spiritus fidei. Cum Ill. Gay (3) considerare possumus, ut methodice procedamus, personas, res atque eventus.

a/ *Quoad personas.*

Imprimis oportet oculo fidei considerare *Deum unum et trinum, Christum Deum et hominem.* Ipse enim Dominus dixit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Jo. XVII, 3).

Considerare *Deum:* 1. *Quid sit:* meditari np. attributa divina, ut scilicet « mens in Deum assurgat, illum contempletur, admiretur, veneretur, timeat, amet et jugiter laudet ac benedicat » (4).

2. *Ubique præsentem.* Hoc exercitium præsentiæ di-

---

(1) S. Thomas, 2-2, q. 4, a. 7. Fides utique informari debet charitate, sed ipsa illuminat ac dirigit charitatem; « Non potest, inquit Angelicus *ibid.* ad 5, voluntas perfecto amore in Deum tendere, nisi intellectus rectam fidem habeat circa ipsum ».

(2) Pulchre Ill. Gay, *De la vie et des vertus chrétiennes considérées dans l'état religieux*, Paris, Oudin, t. I (16e éd.), p. 157, dicit de christiano qui habet spiritum fidei: « Il est ce juste de Dieu qui « vit de foi » (Hebr. II, 4), ce fils de la lumière qui chemine dans la lumière, ce vrai spirituel enfin dont saint Paul a osé dire « qu'il juge tout, et n'est lui-même jugé par personne » (1 Cor. II, 15). Un tel homme, en effet, *est toujours au point de vue de Dieu:* or, ce point de vue n'est en lui-même ni faillible, ni discutable ».

(3) *Op. et l. c.*, p. 156 ss.

(4) Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis*, præfatio; Ill. ac Rev. Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, præfatio (*Collat. Brug.*, t. I, p. 57 ss., p. 109 ss.). Cf. nostra *Probatio charitatis*, p. 21 ss. Ad hanc, brevitatis causa, pluries remittimus studiosum lectorem. Applicationem inveniet circa bonitatem ac benignitatem Dei, *ib.*, p. 29 ss.

vinæ, ad quod maxime necessarius est spiritus fidei, merito habetur quasi fundamentale in vita spirituali (1). In specie considerare Spiritum sanctum habitantem in justis eosque ducentem (2).

3. *Præcipientem et consulentem.* Ita spiritus fidei præparat amorem effectivum, np. obedientiæ (3).

Considerare *Christum*, Deum et hominem, in vita mortali, in Eucharistia, in cœlo, in Ecclesia, corpore ejus mystico (4).

Christo conjungamus oportet Mariam (5). Ad vitam spiritualem multum quoque confert exercitium fidei circa præsentiam sancti Angeli custodis.

Deinde considerare oportet oculo fidei *superiores omnes, proximum et nos ipsos:* scilicet videre Deum in superioribus (6), ut eis exhibeamus reverentiam et obedientiam *sicut Christo*, *sicut Domino* (Eph. VI, 5, 7); item in nobis et proximo, ut discamus nos et proximum revereri, recte æstimare et amare (7).

b/ *Quoad res.*

Exerceri potest fides imprimis *quoad res sacras*, ut eas tractemus cum reverentia et maximi æstimemus: puta Scripturam sacram, præsertim Evangelium (8), sacramenta et sacramentalia, vestes et imagines sacras, vasa et loca sacra, sanctas reliquias, objecta quævis ad cultum divinum pertinentia (9).

Deinde *reliquas res visibiles* apprehende tamquam

---

(1) *Probatio charitatis*, p. 441 ss.

(2) *Ibid.*, p. 276 ss.

(3) *Ibid.*, p. 223 ss.

(4) *Ibid.*, p. 42 ss., 47 ss., 54 ss., 216 ss., 268 ss., 317, 319 ss., 456 ss., 488 ss., 498 s., 514, 518, 537 ss; de Ecclesia: p. 244 ss.; de Corpore Christi mystico: p. 452 ss.

(5) Pii Pp. X Encycl. *Ad diem illum*, ap. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 137 ss.

(6) Quoad Papam: *Probatio charitatis*, p. 247; quoad episcopum: p. 274.

(7) *Ibid.*, p. 468 ss., 477 ss. — In specie, zelus sacerdotis regatur spiritu fidei: *ib.*, p. 165.

(8) *Ibid.*, p. 224.

(9) Gay, *o. et l. c.*, p. 171.

media ad Deum, finem ultimum, quibus proinde utendum est tantum quantum juvant ad finem illum (1).

c/ *Quoad eventus.*

Oculus fidei perspicit in eventibus providentiam et gubernationem Dei, operantis aut saltem permittentis omnia, atque ita spiritus fidei disponit ad amorem submissionis erga Deum (2).

Ex hisce, quæ vix attingere licuit, apparet quantum conferre possit spiritus fidei ad perfectionem vitæ spiritualis, ac simul quid sit ille spiritus ac quomodo exerceri possit ac debeat (3).

H. Mahieu.

V

Q. Quænam principia tenenda sunt ad dandam vel denegandam sepulturam ecclesiasticam?

R. I. Quoad *concessionem* sepulturæ ecclesiasticæ servandum est principium : Omnes et soli fideles qui in unione cum Ecclesia mortui sunt sepeliri debent in loco sacro, nisi ob causam a jure expressam excludantur. Hic affirmatur obligatio ministrorum Ecclesiæ curandi ut fideles religioso funere humentur, simulque jus et obligatio fidelium quod attinet ad sepulturam ecclesiasticam recipiendam. Historicæ vicissitudines sepulturæ ecclesiasticæ a catacumbis usque ad institutionem cœmeteriorum civilium, totusque legum canonicarum

---

(1) *Probatio charitatis,* p. 331. coll. p. 34 ss. Notatim sancti legebant Deum in admirabili libro naturæ.

(2) *Ibid.,* p. 294 ss.

(3) Qui studiose colligeret doctrinam passim contentam locis citatis, haberet facile seriem aliquam meditationum vel conferentiarum in ordine ad *probationem fidei* instituendam. — Cogitanti patet hic applicari legem psychologicam: *L'idée incline à l'acte dont elle est la représentation;* ex qua deducitur hæc regula practica: *Entretenir en soi des idées conformes aux actions que l'on veut faire.* Cf. A. Eymieu, *Le gouvernement de soi-même.* Première série: Les grandes lois. Premier principe. Paris, Perrin, 1910 (15e éd.), p. 25 ss.

hac de re latarum ambitus, demonstant quanta cura voluit Ecclesia ut ii, qui in ejusdem societatis religiosæ unitate vixerunt, defuncti in eadem permanere ostendantur. Ad hoc faciunt tum ritus funerum christianorum, tum humatio in loco sacro communi. Morte enim, prælucentibus dogmatibus immortalitatis animæ et resurrectionis corporum, communio cum Ecclesia non abrumpitur. Hinc decretum est, quod si fidelis casu necessitatis sepeliatur in loco profano, quamprimum exhumetur et in coemeterio catholico humi detur; hinc prohibita exhumatio corporum fidelium e terra benedicta (1).

Cui juri ad sacram sepulturam, cum in signum communionis ecclesiasticæ sit simul stricta obligatio a jure publico canonico sancita, fideles pro suo arbitrio renunciare nequeunt. Quodsi, v. gr. in testamento, clausula de renunciatione sepulturæ religiosæ ab homine christiano, *alias digno,* inscripta reperiatur, judices ecclesiastici et consanguinei hanc ut non adjectam habebunt (2).

II. Quoad *negationem* sepulturæ ecclesiasticæ (3), hæc imprimis præ oculis sunt habenda, hanc, ex una parte esse pœnam gravissimam et publicam et ex alia parte justissime ab Ecclesia infligi, ut ostendat se nolle communicare cum defunctis, quibus non communicavit vivis (4), seque peccaminosam defuncti vitam et mortem detestari.

Inde momentosæ deducuntur sequelæ:

1° Illa pœna est strictissimæ interpretationis.

a/ Nequit proinde extendi ad alias personas in jure

---

(1) P. Lex, *Das kirchliche Begräbnisrecht historisch-canonistisch dargestellt*, p. 216 ss., Rebensburg, 1904.

(2) Lex, *o. c.*, p. 217; Wernz, *Jus decretalium*. III. *Jus administrationis*, n° 781, nota 35, p. 883, Roma, 1901.

(3) Loquimur de hac negatione quæ induit naturam pœnæ et non infligitur propter merum defectum communionis ecclesiasticæ, ut pro infante mortuo sine baptismate.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 776; Moulart, *De Sepultura*, p. 266, Lovanii 1862.

non expressas, neque applicari ipsis personis a jure designatis nisi constet de facto specifico in lege notato et de certitudine istius facti.

b/ In dubio *juris*, ubi scilicet de ipsa legis existentia aut extensione quæritur, num v. gr. sub nomine infidelium comprehendantur catechumeni (1) vel qui a cœtu acatholico in Ecclesiam recipi serio cupiunt et, accepta instructione, antequam professionem fidei emiserunt, decedant (2); item, in dubio *facti*, ut si dubitetur de verificatione conditionum facti a jure notati, num v. gr. suicidium secutum fuerit ex insania aut desperatione, ea mitior sententia amplectenda est quæ, salvis rectis de legis odiosæ interpretatione regulis, personis magis favet.

2° Requiritur omnino ad hanc pœnam *publicam* et defuncto ejusque familiæ probrosam incurrendam, ut delictum sit *publicum* et manifestum ex proclamatione communi, seu quod in rumores populi sit deductum aut brevi deducendum. Inde tantummodo hæretici notorii, excommunicati publici, peccatores publici hac pœna plectuntur. Ideo, impœnitentia finalis aut mors in actu peccati, certa sed occulta, nequit a parocho divulgari nec puniri potest denegatione sepulturæ ecclesiasticæ.

3° Quamvis pœna sit latæ sententiæ, tamen propter ejus gravitatem indolemque infamantem, propter molestias et difficultates, quas parocho, ipsique religioni sæpius affert, præscriptum est a Rituale Romano (3) ut in casu dubii consulatur Ordinarius; huic præscriptioni

---

(1) Affirmant plerique hos ad sepulturam sacram posse admitti, aliis contradicentibus, cf. WERNZ, *o. c.*, n° 781, nota 47; LEX, *o. c.*, p. 237 ss.; ALBERTI, *De sepultura ecclesiastica*, p. 11, Romæ 1901; SANTI-LEITNER, *Prælectiones jur. can.*, t. III, p. 253, Ratisbonæ 1898; MOULART, *o. c.*, p. 268 s.

(2) MEUNIER, *Das kirchliche Begräbniswesen*, p. 82, Düsseldorf, 1899; LAURENTIUS, *Institutiones juris ecclesiastici*, ed. 2, p. 568, n° 759, Friburgi-Brisg, 1908.

(3) *Rit. Rom.*, tit. VI, cap. 2, n° 8.

juris communi, merito a jure particulari additum est ut ille recursus semper fiat, si per tempus licet, dum ex negatione sepulturæ difficultates prævideantur orituræ (1). Tunc Episcopi erit judicare num absolute deneganda sit sepultura ecclesiastica aut permittenda sed absque pompis et solemnitatibus exsequiarum, quando v. gr. in casu dubii solemnia funera moverent admirationem plebis. Ipsius erit etiam declarare, casu quo ecclesiastica sepultura negari non possit *sine gravi incommodo*, tolerari posse mortuum efferre ritu catholico eique solemnia funerum solvere, dummodo hæc non extorqueantur in contemptum Ecclesiæ, et dummodo defunctus non efferatur, signis massonicis feretro aut vexillo appositis (2).

4° Curandum sane est ut cuncta ad normam canonum fiant, in defensionem societatis religiosæ delictis læsæ et ad exemplum fidelium, sed ita tamen, ne forte nimio rigore excitentur turbæ, aut nimia benignitate fideles scandalizentur et Ecclesia contemnatur (3). Certe, hodie temporum, totus rigor legis ecclesiasticæ sæpius servari nequit, ob frequentiam casuum, ob defectum fidei et religionis, ob erectionem cœmeteriorum municipalium et introductionem funerum mere civilium (4). Inde ratio habenda est locorum, adjunctorum, personarum, dispositionis plebis christianæ ad videndum quid exigat bonum societatis, ut applicatio canonum in ædificationem potius quam in destructionem redundet. Ubi viget religio, denegatio sepulturæ ecclesiasticæ sæpe id efficiet ut boni in fide confirmentur et deterreantur ab imitatione eorum qui indigni sese præbuerunt ritibus

---

(1) *Pastorale Brugen.* de exequiis ap. *Coll. Epist. Past.*, t. II, p. 303; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 777, p. 104.

(2) Pius IX ad Archiepisc. Parisien., 26 oct. 1865 ap. Bargilliat, *Prælectiones jur. can.*, ed. 22, n° 1334, ubi alia responsa romana hac de materia adducuntur.

(3) Wernz, *o. c.*, n° 782.

(4) Berardi, *De parocho*, n° 553 s., Faventiæ, 1888; Alberti, *o. c.*, p. 11.

funerum christianorum et ut mali ad resipiscentiam efficaciter provocentur.

A. De Meester.

VI

Q. *Au Dimanche de la Passion la rubrique du Missel dit:* « ante Vesperas cooperiuntur cruces et imagines ». *De quelles croix et images s'agit-il? Comment faut-il les voiler? Quelle semble être la raison de cette prescription?*

R. I. La rubrique du Missel citée dans la question est répétée, mais d'une façon plus déterminée dans le Cérémonial des Évêques (l. II, c. xx, n. 3): « Ad primas autem Vesperas Dominicæ quæ de Passione dicitur, cooperiantur, antequam officium inchoëtur, omnes cruces et imagines Salvatoris Nostri Jesu Christi per ecclesiam; et super altare nullæ ponantur imagines Sanctorum ».

II. Tout le monde n'est pas d'accord sur l'**étendue** de l'obligation imposée par le double texte cité.

Il est certain et universellement admis que la rubrique vise:

1° en ordre principal les croix — c'est-à-dire les *crucifix* — et *images de Notre-Seigneur*, qu'elles se trouvent sur l'autel ou dans la nef de l'église;

2° les *images* et *statues de Saints placés sur les autels.* La rubrique du Cérémonial, il est vrai, ne le dit pas explicitement: mais elle suppose sans doute que l'autel n'a pas d'autre décor que la croix et les chandeliers: elle se contente en conséquence de défendre d'exposer les images de saints qu'on place parfois entre les chandeliers à d'autres époques de l'année. Quoiqu'il en soit, l'usage et le décret du 4 août 1663, *Dalmatiarum*, n. 1275[2], ne laissent aucun doute au sujet des statues des autels.

« An, in primis Vesperis Dominicæ Passionis, *non solum*

cruces et imagines Salvatoris, sed etiam imagines Sanctorum quæ super altaribus reperiuntur, tegi debeant? »

R. « Debent tegi *omnes imagines* in primis Vesperis. »

3° Les termes de cette réponse, de même que ceux de la rubrique du missel s'étendent-ils dans leur généralité aux images et *statues de saints placées en dehors des autels?*

Quelques auteurs répondent négativement (1). Il nous semble cependant que cette opinion peut difficilement se concilier avec la jurisprudence suivie par la S. Congrégation, notamment en ce qui concerne la statue de S. Joseph.

La S. Congr. avait déjà décidé que la fête du Patron, du Titulaire ou de la dédicace d'une église n'est pas une raison pour ne pas couvrir les images (2) (n. 926, 2-3). Mais voici que S. Joseph est proclamé patron de l'Église universelle: en se basant sur ce fait, on demande si la statue du Saint peut être découverte quand sa fête tombe dans la semaine de la passion. Et la S. Congr. répond « negative » en se basant sur le décrets antérieurs (926) (3). Malgré ce refus, les Pères Jésuites reviennent bientôt à la charge (4):

« XI. An occasione primæ communionis puerorum, vel ob devotionem erga S. Joseph mense martio possint altaria ornari floribus et pulsari organa etiam tempore Quadragesimæ? — An idem dicendum, *si effigies S. Joseph sit extra altare posita?* — et an, *in hoc ultimo casu, possit relinqui discooperta tempore Passionis?*

R. ad XI. « Ad primam partem, affirmative; ad secundam partem: provisum in primo; ad tertiam partem, *consulat probatos auctores.* »

---

(1) *Ephem. liturg.*, 1897, p. 461-454; *Nederlandsche Kathol. Stemmen*, 1906, p. 92-93.

(2) Décr du 16 nov. 1649. *Januen.*, n. 926.

(3) Décr. du 3 avril 1876, *Bonaëren.*, n. 3396.

(4) Décr. du 11 mai 1878, *Societatis Jesu*, n. 3448, 11 (num. ancien: 5728, 16).

Le décret fut inséré ainsi dans la première collection de Gardellini (n. 5728, ad XVI), mais voici que dans la dernière édition la réponse est changée : « ad tertiam partem, *tolerari* potest » (n. 3448, 11). La résistance avec laquelle cette « tolérance » est accordée prouve assez clairement que le décret n. 3448, 11, ne sanctionne pas une règle générale, mais établit une *exception* et indique un fléchissement de la règle qui semble encore demander que *toutes les statues* soient voilées (1).

Il convient toutefois de remarquer que seules doivent être voilées les croix ou images qui sont exposées pour être l'objet d'un culte, mais nullement celles qui — peintes ou sculptées — sont destinées seulement à orner l'église, à instruire les fidèles et à les entretenir dans des sentiments pieux. Ainsi on ne doit pas voiler les tableaux du chemin de la croix (décr. n. 3638, 2), ni les croix de consécration de l'église, ni le petit crucifix qui surmonte le tabernacle, ni les scènes pieuses ou les figures de saints représentées dans des peintures murales, des vitraux, des panneaux d'architecture, etc. (2).

III. **Comment** voiler les croix et images? Le but de la prescription est évidemment de les couvrir, de les cacher à nos yeux « cooperire, tegi » (3). C'est donc à juste titre que les auteurs proscrivent le voile transparent de gaze pour exiger un *tissus opaque*.

De l'avis unanime des rubricistes, la couleur du voile doit être *violette*. C'est la couleur liturgique du temps ; c'est celle qui est, si pas prescrite, au moins supposée

---

(1) Voir encore le décr. du 11 févr. 1892, *Calaguritana*, n. 3767, ad XXIX, n. 9. Toutefois le décret du 4 juin 1874, *Lisbonen.* n. 3332 ad IV, a toléré les statues non voilées dans les solennelles processions qui se font en certains pays au temps de la Passion.

(2) Voir Van der Stappen, *De celebratione S. Missæ*, q. 57, nota II; *Ephem. liturg.*, l. c.

(3) Un décret de la S. Congr. in *Veronen.* ad 10, et 11, du 7 sept. 1850, confirme tout à fait cette manière de voir. Mais le décret n'a pas été inséré dans la collection de Gardellini ; on peut le trouver dans la *Correspondance de Rome*, t. II, p. 261, édit. de Liége.

partout dans les rubriques et les décrets (1). Il n'y a d'exception que pour la croix du maître-autel qui doit être voilée de blanc pendant la messe solennelle du Jeudi-Saint (2). Le violet répond d'ailleurs le mieux à

IV. **la raison** et **la signification** de cette cérémonie. Les liturgistes semblent unanimes à voir dans les croix et images voilées un signe de tristesse. Mais l'accord cesse dès qu'il s'agit de préciser davantage le motif et le caractère de cet air d'affliction et de pénitence.

La plupart des auteurs cherchent à trouver un rapport entre les crucifix voilés et la *passion du Sauveur*. Et ce rapprochement est tout naturel, si on ne tient compte que de la pratique actuelle qui ne voile les images que durant le temps de la *passion*, pendant lequel l'Église invite ses enfants à méditer les souffrances de son divin Époux, en attendant qu'elle leur mette devant les yeux sa mort sur la croix.

« Dans l'attente de cette heure terrible, dit Dom Guéranger (3), la sainte Église manifeste ses *douloureux pressentiments* en voilant par avance l'image de son divin Époux. La croix elle-même a cessé d'être accessible aux regards des fidèles ; elle a disparu sous un voile sombre. Les images des saints ne sont plus visibles ; il est juste que les serviteurs s'effacent quand la gloire du Maître s'est éclipsée. Les interprètes de la sainte Liturgie, nous enseignent que cette austère coutume de voiler la croix au temps de la passion exprime *l'humiliation du Rédempteur* réduit à se cacher

---

(1) Voir les décrets nn. 926, 4 ; 2524, 4 ; *Cæremoniale Episcop.* II, XXIII, 10 ; *Memoriale Rituum*, t. IV, a. I, n. 2 ; et surtout ibid. tit. IV, art. II, § 4 ; n. 10 : après le dépouillement des autels au Jeudi-Saint, la rubrique dit (n. 10) : « primus clericus amovebit a cruce altaris majoris vestem albi coloris, remanente CONSUETA veste *violacea* ». Voir *Nouv. Rev. Théol.*, t. XIII, p. 658 ss.

(2) Voir les textes de la note précédente, et *Memor. Rituum* IV, art. I, n. 1.

(3) *L'Année liturgique, La passion*, ch. II (fin). Voir encore DE HERDT *S. Lit. praxis*, t. III, n. 21 ; VAN DER STAPPEN, *l. c.*

pour n'être pas lapidé par les Juifs, comme nous le lirons dans l'Évangile du dimanche de la Passion ».

Mais si l'on veut donner une base solide à l'explication d'une cérémonie, il est toujours utile de consulter l'histoire du rite au moins autant que sa propre imagination. Les premières origines de l'usage en question nous échappent. Mais dès le XIIe siècle (1) plusieurs liturgistes nous parlent de l'usage de voiler les croix et les images comme d'une habitude existante (2). Leurs témoignages contiennent certains points qu'il importe de noter: a/ l'action de voiler les croix fait partie d'un rite plus général qui consiste à dépouiller l'église de tout ornement; b/ elle se rattache intimement à l'usage du voile ou *drap de carême* qu'on suspendait entre l'autel et le chœur dans les collégiales, ou entre le chœur et la nef dans les églises ordinaires, de façon à cacher complètement aux fidèles la vue du sanctuaire ou « sancta sanctorum »; c/ enfin ces usages étaient caractéristiques du carême et pas du temps de la passion (3): les voiles étaient attachés dans certaines églises à partir du mercredi des cendres, dans la plupart le premier dimanche du carême, l'ancien « initium quadragesimale » (4).

---

(1) Il paraît que déjà Hartnot, abbé de Saint-Gall († 895) aurait doté son monastère d'un voile de carême.

(2) Par exemple RUPERT DE TUY, *De divinis officiis*, l. V, c. 9; l. VI, c. 20, 21; HONORIUS D'AUTUN, *Gemma animæ*, l. III, c. 44, J. BELETH, *Rationale divinorum officiorum*, c. 85. Voir d'ailleurs un excellent article, bourré de faits, de citations d'auteurs et d'archives dans *Le Beffroi*, t. II (1864-65) p. 38-51: *Drame liturgique: cérémonies du Carême* par J. WEALE; *Kirchenlexikon*, v° *Fastentuch* par HEUSER.

(3) Voici le texte de BELETH, *l. c.*: « omnia illa quæ ad ornatum pertinent, tempore quadragesimæ debere abscondi, vel removeri, vel etiam contegi. Nec crux quoque illo tempore nisi cooperta in ecclesia portari debet. Duo tamen vela retinentur, quorum alterum ponitur per chori circuitum, alterum suspenditur inter altare et chorum, ut non appareant quæ sunt intra sancta sanctorum. Quo quidem significatur mentibus infidelium divinarum scripturarum intelligentiam nondum esse apertam. Hæc duo vela diebus dominicis complicantur, quod hi dies ad tempus Paschatis pertineant ».

Quoad numismata-scapularia prodierunt nuperrime (1) et *decretum generale,* quod authentice statuit disciplinam in hac materia deinceps sequendam, et *declarationes* circa indulta particularia olim concessa et numismata vi illorum hucusque benedicta.

A/ Decretum.

Prius advertas quod dicitur initio decreti: SS. D. N. Pius Pp. X *vehementer exoptat* ut scapularia, quo hucusque modo consueverunt, fideles deferre prosequantur. Unde, etsi omnibus fidelibus suffragetur privilegium, non est tamen usus sufficiendi numisma sacris scapularibus spargendus indiscriminatim apud omnes. Suadeatur potius gestatio scapularium generatim omnibus, utpote magis significativa atque nata « ad fidelium devotionem fovendam sanctiorisque vitæ proposita in eis excitanda » magis conferre; gestatio vero numismatis reservetur illis, qui sine aliquali incommodo non valent deferre scapularia, quales sunt milites ac operarii bene multi (2).

Advertas etiam quod mutatio inducta attingat *solam obligationem gestandi scapularia:* scilicet nihil mutatur quoad primam impositionem (3).

Exponitur nova disciplina.

Omnibus fidelibus licet pro uno vel pluribus scapularibus rite impositis gestare unicum numisma in hunc finem rite benedictum.

1° Intelliguntur *omnia scapularia proprie dicta* atque

---

(1) Vide textum ap. *Collat. Brug.*, hoc t. XVI, p. 148 ss.; A. A. S., t. III (1911), p. 22 ss.

(2) Vide incommoda pro locis missionum exposita apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 364.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 365.

a Sancta Sede probata, non vero illa quæ *Tertiorum Ordinum sunt propria* (1).

2° Numismati conjunguntur favores omnes spirituales, *sabbatino privilegio* scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, circa quod nonnulli moverunt dubium, non excepto, omnesque indulgentiæ singulis scapularibus adnexæ, dummodo serventur leges cujusque eorum propriæ. Ita ut quis fruatur privilegio sabbatino requiruntur duæ conditiones speciales, ut nempe a/ castitatem pro suo statu coluerit; b/ si legere sciat, quotidie recitaverit parvum Officium B. M. V.; si vero legere nesciat, servaverit jejunia ab Ecclesia præscripta et insuper abstinentiam a carnibus singulis feriis quartis et sabbato (2).

3° *Quoad numisma.*

a/ *Materia et forma.*

De materia nihil aliud dicitur quam quod debeat esse *ex metallo;* neque *de forma* aliud, quam quod numismatis *pars recta* debeat referre *imaginem SS. D. N. Jesu Christi*, et quidem *suum sacratissimum Cor ostendentis*, pars autem *aversa* quamlibet *imaginem B. V. Mariæ* (3).

b/ *Benedictio numismatis.*

1. Licet uni vel pluribus scapularibus substituere *unicum* numisma, at hoc oportet sit *benedictum tot distinctis benedictionibus quot sunt scapularia regulariter imposita*, quibus, pro lubitu petentium, suffici velit. Singulæ benedictiones impertiri possunt *unico crucis signo,* absque formula aut aqua benedicta.

Itaque, si verba decreti recte intelligamus, dicendum videtur quod requirantur *tot signa crucis distincta quot sunt scapularia* quibus suffici velit numisma; saltem hæc praxis securior erit, donec aliter declaret S. Sedes. Res tamen satis mira apparet ac parum conformis

(1) Cf. *Collat. Brug.*, *l. c.*

(2) Cf. *Collat Brug.*, t. VI, p. 540 ss.

(3) Notetur mutatio nunc inducta: cf. *ibid.*, t. XV, p. 366 et 491.

doctrinæ et praxi in materia benedictionis cum applicatione indulgentiarum (1): ita pro quinque scapularibus, quinquies efficere successive debeo signum crucis, neque confuso modo, sed aliquali intentione deputando suum cuique scapulari signum (2). Nonne mirum saltem hoc, quod sacerdos habens facultatem specialem (3) *unica formula* benedicendi ac imponendi quatuor scapularia (SS. Trin., Passionis, Imm. Conc. et septem Dolorum B. M. V.) debeat efformare quatuor signa crucis distincta, dum juxta præsentem legem facultas benedicendi numisma habeatur tamquam corollarium potestatis imponendi scapularia (4)? Hac inspecta œconomia novæ disciplinæ, nobis præplaceret hæc sententia: signa crucis multiplicari debent juxta indolem facultatum quibus pollet sacerdos. Si possit plura simul benedicere scapularia, valet unico signo crucis benedicere numisma quod suppleat ista scapularia plura.

Dubitari tamen nequit quominus unico signo crucis plura possint benedici numismata, sufficienda uni scapulari a pluribus personis rite adscriptis.

3. *Tempus benedictionis.*

Benedictio numismatis fiat « vel in ipso adscriptionis actu, statim post absolutam regularem scapularis impositionem, vel etiam serius, pro petentium opportunitate ».

Unde dicendum videtur benedictionem non posse fieri *ante receptionem scapularis*, cui numisma substituatur. Neque sunt benedicenda magno numero numismata, saltem sufficienda scapularibus adhuc recipiendis; si vero destinarentur substituenda scapularibus jam

---

(1) Hactenus non erat dubium quod v. g. sacerdos competens posset unico signo crucis benedicere objectum pium, cum intentione applicandi simul indulgentias Apostolicas et S. Birgittæ. Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 403; t. X, p. 388.

(2) Cf. Vermeersch, *Periodica*, t. V (1911), p. 269.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 389.

(4) *Infra*, sub 4.

receptis ante tempus benedictionis, modus iste agendi, etsi non omnino improbandus, non esset tamen consulendus (1). Consultius erit, si sequamur indicatam viam in textu : benedictio fiat in ipso actu adscriptionis, vel postea, quando adscripti id petunt. Ni fallimur, hoc etiam loco insinuatur satis aperte mentem non esse Sanctæ Sedis ut usus numismatum indiscriminatim spargatur apud fideles, neglecto more antiquo gestandi ipsa scapularia.

Connexio tamen illa cum ipsa adscriptione non est nimis stricte intelligenda. Declarat enim decretum benedictiones non esse faciendas eodem ordine ac adscriptiones (ita v. g. prius benedictio dari potest in ordine ad scapulare SS. Trinitatis, deinde Montis Carmeli, quamvis hoc fuerit prius impositum); eas fieri posse quantolibet tempore post impositionem, et a sacerdote, etiam ab adscribente distincto.

4. *Facultas benedicendi.*

Habet eam quivis sacerdos, « qui respectiva scapularia benedicendi sive ordinaria sive delegata facultate polleat ». Eo ipso igitur quod sacerdos polleat facultate benedicendi (2) scapularia, habet facultatem benedicendi numisma, sed in ordine dumtaxat ad scapularia illa quæ benedicere legitime valet. Insuper facultas benedicendi numisma restringitur iisdem limitibus, clausulis et conditionibus, ac primitiva facultas benedicendi scapularia. Sic ordinarie recurrit hæc limitatio, quod facultas imponendi scapularia non possit exerceri in locis in quibus existit conventus religiosorum ad quos pertinent respectiva scapularia: exempli causa Brugis pro scapulari Montis Carmeli (3).

---

(1) *Nouv. rev. théol.*, 1911, p. 94.

(2) Sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem *benedicendi* scapularia, habet eo ipso facultatem ea *imponendi* Christifidelibus, et eosdem adscribendi confraternitatibus a S. Sede approbatis (*Decr. auth.*, n. 428, ad 1). Inde intelligitur decretum præsens indiscriminatim loqui vel de benedictione, vel de impositione, vel de adscriptione.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 388. — Ne pietas fidelium frustretur,

4° *Modus gestandi numisma.*

Tenentur fideles illud *seu ad collum seu aliter, decenter tamen, super propriam personam, deferre.*

Iterum attendatur mutatio facta : olim satis erat « non ad collum et super pellem, sed quovis modo apud se habitualiter gerere » (1); nunc oportet illud deferre super propriam personam, etsi non necessario ad collum, et, cum omittatur vox *habitualiter*, videtur continuo deferendum super propriam personam, proinde etiam noctu (2). Modus tutus ac magis practicus suaderi potest, videlicet numisma conjungatur rosario, quod pii Mariæ filii collo impositum gerere noctu solent.

B/ Declarationes.

Hæ declarationes respiciunt numismata jam ante præcedens decretum benedicta, et indulta particularia antea concessa necnon numismata in posterum vi eorumdem indultorum benedicenda.

1° *Numismata jam rite benedicta.*

Quoad ista, sive jam distributa sive non, nihil est mutatum : ea non attingit decretum superius, puta quoad imagines requisitas vel modum repræsentandi, quoad scapularia quorum loco numismata gestari possunt, quoad modum quo gestari possunt (3).

Dicitur : numismata *jam benedicta*, np. ante præsentem declarationem *promulgatam*. Promulgatio autem facta est in commentario officiali S. Sedis die 16 januarii 1911. Regula enim generali decretum aut declaratio incipiunt valere a tempore promulgationis authen-

---

necesse est sedulo examinemus utrum et quousque polleamus facultate benedicendi varia objecta pia, indulgentiis ditanda.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t XV, p. 367.

(2) Attamen non debet attendi interruptio quædam brevis, sicut nec pro ipso scapulari. *Nouv. rev. théol., l. c.*, p. 96.

(3) Manent igitur quoad ista in vigore suo quæ exposuimus ap. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 364 ss., coll. 490 s.

ticæ (1). Ceterum declaratio ad 3 satis insinuat hanc esse mentem SS^mi^.

2° *Indulta anterius concessa.*

Cessabit facultas omnis *quinquennio ab illa obtenta transacto;* ac statim post promulgationem Decreti et Declarationum (16 januarii 1911) cessat facultas *subdelegandi.* Satis in aperto est fore ut, expleto quinquennio, indulta hujusmodi jam non renoventur.

« *Quæres* num *omnes* antea factæ facultates per quinque annos perseverent? Ut jura inter se conciliemus, respondemus eas tantum perseverare quæ secundum præceptum, motu proprio 7 april. 1910 *Cum per apostolicas* datum, S. Officii recognitioni oblatæ fuerint. Nihil autem officit easdem a S. Officio non fuisse expresse confirmatas. Videtur enim S. Officium præsenti generali declaratione se onere eximere voluisse de singulis facultatibus respondendi (2) ».

3° *Quoad numismatum benedictionem post 16 januarii 1911.*

Currente quinquennio poterunt sacerdotes, ad normam sui indulti particularis, benedicere numismata, *etiamsi scapularia respective benedicendi non polleant facultate;* et quidem *ubilibet*: ita posset indultarius uti sua facultate in locis ubi existit conventus religiosorum, ad quos pertinet scapulare, dum ordinarie, vi decreti generalis, de quo supra, non posset (3).

At de cetero numismata ista post 16 januarii benedicta, attingit decretum supra explicatum: quoad eorum imagines et ceteras conditiones, puta benedictiones distinctas, tempus benedictionis (4), modum gestandi.

H. Mahieu.

(1) Const. *Promulgandi* 29 Sept. 1908, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 605. Ita interpretamur cum *Nouv. rev. théol.*, *l. c.*, p. 97 in nota.

(2) Vermeersch, *l. c.*, p. 271, ubi etiam notat permanere facultatem subdelegatam ante 16 jan. 1911, quamdiu durat facultas illius qui subdelegavit.

(3) *Nouv. rev. théol.*, *l. c.*, p. 98.

(4) Attamen non auderemus dicere quod aliquis non posset legitime gestare numisma, *vi indulti particularis* benedictum antequam ipse recepisset scapulare respectivum.

S. Congregatio de Sacramentis

Instructio ad Ordinarios circa statum liberum ac denunciationem initi matrimonii (1).

Perlatum haud semel est ad hanc S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, in quibusdam regionibus parochos matrimoniis adsistere, præsertim advenarum, non comprobato rite ac legitime statu libero contrahentium, ejusque rei causa non defuisse qui alteras nuptias attentare sint ausi.

Haud pauci præterea Ordinarii conquesti sunt, initorum notitiam connubiorum, quæ vi decreti: *Ne temere*, editi a S. C. Concilii die II mensis Augusti anno MDCCCCVII, transmittenda est ad parochum baptismi conjugum, sæpe omni fidei testimonio esse destitutam debitisque indiciis carere.

Ad hæc incommoda removenda E^mi^ Patres hujus S. Congregationis in generali conventu habito in ædibus Vaticanis die VII mensis Februarii MDCCCCXI, præscribenda censuerunt ea quæ sequuntur:

I. In memoriam redigatur parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio, *nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de jure servandis:* (Cfr. Decr. *Ne temere*, n. V, § 2); iidemque præsertim moneantur ne omittant baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic alia in parœcia fuerit illis collatus.

II. Ut autem quæ n. IX, § 2 memorati Decreti præscripta sunt rite serventur, celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, conjugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secumferat, ætatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adjecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurata indicet parœciam, diœcesim, oppidum seu locum baptismi conjugum, et ea quæ ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

(1) *Acta Apost. Sedis*, III (1911), p. 102 s.

III. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis, de quibus n. I, baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis jam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii.

IV. Ordinarii sedulo advigilent ut hæc præscripta religiose serventur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis pœnis.

Ex Ædibus ejusdem S. C. die 6 Martii 1911.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

Adnotationes.

In memoriam revocatur norma juris in Decreto *Ne temere* inserta, sub art. V, par. 2, parocho nempe non licere ut adsistat quorumcumque matrimonio, nisi « constito sibi legitime de libero statuto contrahentium ». Ad hoc autem ut acceleretur et securius fiat inquisitio circa statum liberum, et in specie circa præsentiam vel absentiam ligaminis, decrevit idem laudatum Decretum, sub art. IX, par. 2, omnia et singula matrimonia esse adnotanda in libro baptizatorum, ad marginem inscriptionis baptismi, addita dispositione peculiari pro casu quo conjux alteruter vel uterque extra parochiam matrimonii fuerit baptizatus: tunc scil. « matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi, sive per se sive per curiam episcopalem (1), transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur ». Et sane, si hæc sedulò servata fuerint, sufficiet inspectio registri baptismalis vel extracti ex illo desumpti, ut illicò appareat utrum et quandonam sponsi nuptias ambientes matrimonio fuerint juncti (2).

(1) Monet Ep. Brugensis, in Congr. Prosyn. anni 1908, ut transmissio illa *semper* fiat mediante curia episcopali, quotiescumque parochus baptismi ad alienam diœcesim pertinet. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 430.

(2) Conferet etiam hæc adnotatio ut facilius delegatur impedimentum affinitatis legitimæ.

Porro hucusque nondum existebat præscriptio juris communis, obligationem inducens pro parocho ut, antequam sponsos in aliena parochia baptizatos ad matrimonii celebrationem admittat, prævie exquirat extractum baptismale, cum inscriptione marginali si detur. Quæ præscriptio, in diœcesi Brugensi jure particulari jam inducta (1), in præsentis Instructionis tenore, ad 1m, providè inserta habetur.

Hæc dispositio opportunè complet et perficit statutum Decreti *Ne temere* circa inscriptionem matrimonii in registro baptizatorum; hanc insuper habet utilitatem ut ita parocho matrimonii securius innotescat baptismatis locus, ad quem matrimonii denuntiatio est transmittenda.

Ulterius, sub hujus Instructionis nº IIº, quædam disposuit S. Congr. de Sacram. in ipsa notitiæ matrimonialis confectione ac transmissione accuratè observanda, ne debitis indiciis careat neve necessario fidei testimonio destituatur (2).

Nonnullæ forsitan aliæ moderationes possent huic disciplinæ afferendæ proponi: nimirum a/ ut statuatur *recens* exquirendum esse extractum baptismale (3);

(1) Congr. Prosyn. anni 1908, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 602.

(2) In hunc sensum complenda est formula quæ proponitur apud De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 2a, p. 600 (ed. 1a, p. 547) et ita ponatur:

Rev. Dome Pastor. — Reverentiam vestram certiorem facio N. N., ætatis..., filium (filiam) N. N. et N. N. in parochia tua..., die..., mensis... anni.. baptizatum (baptizatam), coram me infrascripto (vel: coram N. N. a me specialiter delegato et duobus testibus N. N. et N. N., die... mensis... 19.... legitime contraxisse matrimonium cum N. N.. ætatis.. , filia (filio) N. N. et N. N. Quod matrimonium dignetur Reverentia Vestra in baptismi librum referre.

N. N., parochus in N.
Veneranter subscribo.

X. ., die..., mensis.. 19... (Sigillum parochiale).

(3) Id jam viget in diœcesi Metensi, ubi statuit Episcopus ut extractum non sit antiquius tribus mensibus. Cf. *Rev. eccl. Metz*, 1908, p. 303 s. In eumdem cæteroquin sensum disponit jus civile Gallicum, juxta Planiol, *Traité élémentaire de droit civil*, 5e éd., Paris, 1908-1909, I, n. 718: « Une

b/ ut transmissio notitiæ matrimonialis infra determinatum temporis spatium sit peragenda; utque c/ in matrimonii denuntiatione dies baptismatis inseratur, eum in finem ut parochus baptismi facilius reperiat locum registri, ad quem in margine adnotatio sit facienda (1).

Nota. Sub n. III° Instructionis, præ oculis habet S. Congr. casum parochi qui, accipiendo matrimonii denuntiationem in registro baptizatorum inscribendam, comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis esse alligatum: debet dictus parochus rem *quantocius* significare parocho attentati matrimonii.

Tandem sub n. IV graviter monentur Ordinarii ut præscriptorum observationi sedulò invigilent, utque transgressores ad officium revocent vel etiam severè puniant.

A. De Smet.

S. Congregatio Rituum.

RATISBONEN. (2).

De edendis Propriis cantum Liturgicum continentibus.

Fridericus Pustet, Sanctæ Sedis Apostolicæ et S. Rituum Congregationis typographus, de consensu R^mi sui Ordinarii

mention de mariage doit être inscrite dans un court délai en marge de l'acte de naissance des futurs époux. Les extraits d'acte de naissance portent la date du jour où il sont délivrés, et quiconque veut se marier doit produire à l'officier de l'état civil un acte de fraiche date de son acte de naissance: cet extrait ne doit pas avoir plus de trois mois ».

(1) Utramque ultimam moderationem jam induxit Episcopus Brugensis, in Congreg. Prosyn. anni 1908, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 430: « Ad obviandum oblivionis periculo statuimus ut ista transmissio fiat *infrà biduum* a contracto matrimonio,... atque in omni notitia matrimonii transmittenda notetur dies baptismi suscepti ».

(2) *Acta Apost. Sedis*, 1911, p. 105.

Ratisbonensis, humiliter expetivit a Sacra Rituum Congregatione, ut ipsa declarare dignaretur, quis modus servandus sit de expetenda approbatione Propriorum alicujus Diœcesis vel Ordinis ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanæ editionis, et præsertim:

I. Utrum Propria, quæ exhibent cantum gregorianum, indigeant approbatione Sacræ Rituum Congregationis pro prima editione?

II. Et quatenus affirmative ad I, utrum etiam pro sequentibus editionibus?

III. Et quatenus negative ad II, utrum præter licentiam Ordinarii loci, in quo prædicta Propria evulgantur, requiratur insuper licentia Antistitis respectivi Ordinis vel Diœcesis?

IV. Qua approbatione indigeant illa Propria ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanæ editionis, quæ exhibent cantum gregorianum notis modernis transcriptum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita Commissionis Liturgicæ sententia, una cum voto Præsidis Commissionis de musica et cantu sacro, reque sedulo perpensa ac discussa, ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative:* et singula cujuslibet Proprii seu novi Officii aut Missæ folia, apud quemlibet typographum composita, in triplici exemplari vel singillatim vel simul sumpta ad Sacram Rituum Congregationem pro revisione et definitiva approbatione transmittantur; præhabita quidem licentia illius Ordinarii loci vel Moderatoris supremi Ordinis sive Instituti, in cujus usum paratur editio, quæ veluti typica pro futuris editionibus inserviet.

Ad II. *Negative,* dummodo subsequentes editiones cum prima typica editione sive Proprii sive novi Officii aut Missæ fideliter concordent; prouti Decretum Sacræ Rituum Congregationis sub die 11 Augusti 1905, quod Instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium exhibet, omnino declarat et jubet.

Ad III. Requiritur pro subsequentibus editionibus tam approbatio Ordinarii Diœcesis vel Moderatoris Supremi Ordinis seu Congregationis, in cujus usum ipsæ editiones parantur, quam licentia Ordinarii loci, in quo hujusmodi editiones conficiuntur et evulgantur.

Ad IV. Requiritur et sufficit approbatio Ordinarii Diœcesis vel Moderatoris Ordinis sive instituti, atque licentia Ordinarii illius loci, ubi tales editiones parantur sive evulgantur, prouti in responsione ad dubium III superius indicatur.

Declarat autem Sacra Rituum Congregatio, tum Decretum approbationis a se dandum primæ editioni alicujus Proprii sive novi Officii aut Missæ cantum gregorianum liturgicum exhibenti, cum approbationem Ordinarii Diœcesis aut Moderatoris Supremi Ordinis sive Instituti atque licentiam Ordinarii loci, ut supra, in scriptis prævie ab editoribus expetendam et obtinendam, omnino debere integre et fideliter in principio vel in fine Proprii vel Officii novi aut Missæ publicari.

Atque ita rescripsit, die 24 Februarii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

Notæ Bibliographicæ

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum Cleri De vita Jesu Christi.* Editio altera, Brugis, C. van de Vyvere-Petyt, 1910, in-18, 540 p. Pr. 2 fr.

Sacerdos debet esse *alter Christus*, non una sane potestatis communicatione, quæ fit ex opere operato, sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem præferat (1), quæque potissime fit ex opere operantis. *Inspiciat* igitur in meditatione et oratione, et deinde *faciat juxta exemplar* (Exod. XXV, 40).

Huic scopo maxime utiles sunt hæ meditationes, uti jam constat experientia multorum, qui hunc libellum quasi librum manualem adhibent usu assiduo. Has enim, ut testatus erat Rev^mus^ Episcopus Brugensis, *solida doctrina commendatissimas, suavemque in Deum pietatem redolentes* repererunt, atque aptissimas quibus Cordis Jesu virtutibus indui et affectibus inflammari discant. Quare hanc alteram editionem bene multis adhuc profuturam speramus, optamus.

H. M.

(1) Pii Pp X, *E supremi* 4 oct. 1903 (*Collat. Brug.*, t. VIII, p. 587).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

Exhibe varias metaphoras sub quibus in Epist. quæ ad Ephesios inscribitur designatur Ecclesia Christi; hujusque Ecclesiæ proprietates essentiales ex eadem Epistola describe.

II

Quomodo intelligi potest dolorem sensibilem ab igne corporeo causari in hominibus damnatis per resurrectionem factis incorruptibilibus.

III

Indica præcipuas formas sub quibus, in variis Europæ regnis, inductum est regimen matrimonii civilis.

IV

Indica quomodo Ecclesia dijudicat matrimonium civile et quasnam normas agendi respectu illius servandas proponit.

V

Faites connaître la situation politique des Papes dans l'empire décadent jusqu'à l'intervention de Pepin-le-Bref dans les difficultés romaines. Montrez en même temps comment cette situation favorisa la formation des États Pontificaux.

VI

Interpretare hanc præscriptionem *Rit. Rom.*, tit. VI, cap. II, nº 6 « negatur ecclesiastica sepultura... iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint sacramenta Confessionis et Communionis in Pascha et absque ullo signo contritionis obierunt ».

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Camerlynck. *Compendium Introductionis Specialis in S. Sam.* Pars prior, XII-128 p. Fr. 1,75.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje* (onder druk).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Disquisitio dogmatica

de unione justorum cum Deo tum in hac vita tum in vita æternum beata.

Auctore G. J. WAFFELAERT, S. T. D. Episcopo Brugensi.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVI, pag. 241).

89. Jam ad exitum vergit disquisitio nostra de mirabili unione beatorum cum Verbo incarnato gloriose sedente ad dexteram Patris. Hanc unionem illustravimus ex analogia quæ existit eamdem inter et unionem justorum hac in vita cum persona Spiritus sancti eosdem inhabitantis, eamque dein ex doctrina S. Scripturæ et Patrum comprobavimus.

Porro, manifestum est deiformitatem ac filiationem adoptivam vitæ præsentis, sicuti efficacia, ita et natura, non tantummodo gradu, differre a deiformitate ac filiatione in patria. Hæc est immediate ex conformitate cum imagine consubstantiali Patris seu unione cum Verbo ; illa vero ex conformitate cum imagine Filii, ut unanimiter loquuntur Patres græci, seu unione cum Spiritu sancto (1). Itaque, cum adoptio semper dicat habitudinem ad Filium natura, Unigenitum, cui aliquo modo assimilamur, et ad Patrem, respectu cujus dicimur et sumus adoptivi : alia tamen est habitudo hæc in adop-

(1) Neque obstat quod in S. Scriptura et apud Patres dicamur etiam hac in vita: « Christum induere, Christo inseri », quodque « dicatur Christus nos inhabitare » ; nam id fit, ut addere solent, per Spiritum sanctum, quemadmodum supra explicavimus. Nec magis officit « Verbum nos ad adoptionem promovere », ut aliqui loquuntur ; etenim rursus per Spiritum sanctum intellige, aut etiam de causa meritoria, sicut dicimur quoque « per Filium adoptari. »

tione terrena minusque perfecta, alia in cœlesti atque perfecta; rursumque in utraque adoptione, habitudo, quæ est ad Verbum idque incarnatum, est diversa.

90. Hæc omnia, quasi ex medulla Scripturæ exprimentes, explicant Patres, adeoque complent argumenta nostra e fontibus fidei deprompta. Ita Augustinus ostendit nos per adoptionem illam cœlestem fieri *unum Christum* ascendentem in cœlum: « Fit, *ait* (1), credibilior fides ex incredibilioribus creditis. Si enim divina substantia, longe distantior atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret.... quanto credibilius alii homines sancti et fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus, ut omnibus per ejus hanc gratiam societatemque ascendentibus, ipse unus Christus ascendat in cœlum, qui de cœlo descendit? Sic et Apostolus ait: Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum est corpus; ita et Christus. Non dixit: Ita et Christi, id est, corpus Christi, vel membra Christi; sed: Ita et Christus, unum Christum appellans caput et corpus. »

91. Quemadmodum multi Patres censent ex hoc demonstrari Christum esse unum perfecte Dei Filium natura, quod per gloriosam resurrectionem absorpta quasi sit humanitas, mortalitas nempe ac passibilitas omnis, a divinitate (2); sic quoque nos ultra adoptionem hujus vitæ provehendos esse ad filiationem quamdam adoptivam excellentiorem in futuro sæculo, pluries asserunt.

Sic Augustinus: « Adoptio... plena filiorum, *inquit* (3), redemptione fiet etiam corporis nostri. Primitias ergo

---

(1) *De pecc mer.*, l. I, c. 31.

(2) Vid. v. g. Greg. Nyss. *contra Appollinarem;* Hieron., *in Ps. 98*, quem et refert Paulinus Aquileiensis, *l. III c. Fel.;* Cassian., *l. III de Incarn.*, c. 3 et 4; Hilar., *in Ps. 2.*

(3) *De pecc. mer.*, l. II, c. 7 et 8.

Spiritus nunc habemus, unde jam filii Dei reipsa facti sumus; in cæteris vero spe sicut salvi, sicut innovati, ita et filii Dei; re autem ipsa, quia nondum salvi, ideo nondum plene innovati, nondum etiam filii Dei, sed filii sæculi..... Proficimus ergo in renovationem justamque vitam, per quod filii Dei sumus, et per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filii sæculi sumus, per hoc enim et peccare adhuc possumus. Ita fit ut et qui natus est ex Deo, non peccet; et: si dixerimus quia peccatam non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Consumetur ergo quod filii carnis et sæculi sumus, et perficietur quod filii Dei et Spiritu renovati sumus. Unde idem Joannes: Dilectissimi, inquit, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Quid est hoc: sumus et erimus, nisi quia sumus in spe, erimus in re? Nam sequitur et dicit: Scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc ergo ei et similes esse jam cœpimus, primitias habentes Spiritus; et adhuc dissimiles sumus per reliquias vetustatis. Proinde, in quantum similes, in tantum regenerante Spiritu filii Dei; in quantum autem dissimiles, in tantum filii carnis et sæculi. »

Quæ quidem S. Doctoris verba præclaram paraphrasin constituunt textus S. Joannis, Ep. I, c. III, supra a nobis explicati.

Egregia pariter sunt quæ habet Origenes (1): « Libertas quæ nunc sanctis præstatur, nondum plena libertas est; sed velut per speculum et in ænigmate; et ideo sancti servos se esse dicunt in comparatione illius libertatis, quæ facie ad faciem tribuitur. Quomodo enim potest in carne quis positus adipisci libertatem integram, ut in nullo jam serviat carni; sicut nec adop-

(1) In *Ep. ad Rom.*, c. I, et cf. THEODORETUM, in eamd. Epist.

tionem filiorum quis in corpore positus habere ex integro potest ».

92. Unum nobis restat in probationem nostræ sententiæ argumentum, idque validissimum, breviter tamen exponendum, cum istius argumenti elementa non admitti fere non possint ab omnibus ut certa.

Argumenti summa in hoc est quod, cum in sacra communione nobis datur pignus futuræ gloriæ, ut canit Ecclesia, unio sacramentalis hominis cum Verbo incarnato apparet media inter unionem filiorum adoptivorum cum Spiritu sancto in vita præsenti, et unionem beatificam cum Verbo incarnato futuram in patria; ita ut ex relatione et convenientia perfecta ad invicem istius triplicis unionis rursum veritas nostræ opinionis confirmetur, et præprimis ex figura et pignore declaretur realitas unionis supremæ cum Verbo, qualem descripsimus.

Re quidem vera 1° agnoscunt omnes panem eucharisticum esse panem filiorum, non mittendum canibus, et accessum ad sacram communionem non patere nisi filiis adoptivis. Expresse jam Justinus Martyr in prima sua Apologia dicebat: hunc cibum apud nos vocari eucharistiam, neque eidem participare permitti nisi iis qui credunt doctrinam nostram esse veram, quique simul cum remissione peccatorum novam acceperunt nativitatem in baptismo, ac vivunt prout docuit Christus. Et S. Joannes Chrysostomus: « Quando sacerdos, *ait* (1), publice proclamat: Sancta sanctis, hoc significat: Si quis non est sanctus, non accedat ad hanc mensam. Non dicit: Si quis non est mundatus a peccatis, sed: si non est sanctus; quia non sola remissio peccatorum nos sanctos efficit, sed præsentia Spiritus sancti in anima nostra, et abundantia bonorum operum. » Quod S. Cyrillus Alexandrinus iisdem fere verbis inculcat (2).

(1) *Homil. 17 in Epist. ad Hebr.*

(2) *In Joan.*, l. III, c. VI, in v. 35.

93. 2° Ex omnium rursus consensu, in sacra communione fit unio intima totius personæ humanæ cum Verbo incarnato, qua totus homo secundum animam et corpus disponitur et præparatur ad futuram gloriam : est enim Eucharistia simul et sacramentum per excellentiam augmenti gratiæ et charitatis seu sanctificationis animarum, simulque alimonia immortalitatis corporum, uti ab antiquo docuerunt unanimiter Patres. Ignatius Martyr eam vocat « verum remedium ad obtinendam nobis immortalitatem, et antidotum salutare, nos liberans a morte donansque vitam æternam per Jesum Christum (1). »

Porro, eadem unio sacramentalis est personæ humanæ ad personam Verbi incarnati, sicut in sacramento vere personaliter præsens est Christus : quamquam enim ubi persona Christi est cum natura sua divina et humana, ibi quoque, cum una sit natura divina trium divinarum personarum, est et Pater et Spiritus sanctus ; non tamen eadem sacramentali præsentia in Eucharistia sunt et personæ Patris et Spiritus sancti, sicut Verbum incarnatum ; neque in sacra communione eadem est unio sacramentalis cum aliis divinis Personis, sicut cum Verbo incarnato.

Hanc unionem intimam cum persona Christi in Eucharistia eloquenter describunt Patres ; ut S. Cyrillus Hierosolymitanus dicens : nos per communionem fieri concorporeos et consanguineos Christi (2). S. Cyrillus Alexandrinus Christum ait etiam corporaliter inhabitare in nobis ; et figuram adhibet ceræ quæ cum alia cera igne liquescit in unam massam (3).

Equidem sacramentum corporis et sanguinis Christi

---

(1) *Ep. ad. Smyrn.* et *Ad Ephes.* Vid. etiam IRENÆNUM, lib. IV, c. 32, 34, l. V, c. 2 ; CYR. ALEX., l. IV *in Joan.*, in v. 55 ; CHRYSOST., *hom. 24* in *1 Cor.*; GREG. NYSS., *Orat. catech.*, c. 37 ; AMBROS., *lib. de initiandis*, c. 9 ; aliosque multos.

(2) *Catech. mystagog. 4.*

(3) In Joan., l. IV, et lib. X, c. 2.

verus cibus et verus potus est, quibus alimur in vitam æternam. Et eloquia Patrum ipsismet verbis Christi, præcipue Joan., c. VI, niti nemo ignorat.

94. Igitur convivium eucharisticum, non tantummodo figura est sed et pignus convivii cœlestis, in quo saturabimur ipsa divinitate, in Verbo et per Verbum, seu, ut loquitur Augustinus (1), incommutabili Veritate seu Verbo, quo saginantur Angeli. Neque ergo erit nobis in vita immortali alius cibus quam Verbum incarnatum, idem quo nunc nutrimur ad vitam in cœna eucharistica. Præclare idem Augustinus: « Non enim, *inquit* (2), aliunde vivit homo et aliunde vivit angelus: ipsa est Veritas, ipsa est Sapientia, ipsa est Virtus Dei. Sed quo modo ea perfruuntur angeli, tu non potes. Illi enim quomodo perfruuntur? Sicuti est. In principio erat Verbum... et Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia. Ut autem panem angelorum manducaret homo, creator angelorum factus est homo. »

Erit proinde in cœlis unio sanctorum cum Verbo incarnato intima, qualis est cibi relate ad vegetandum corpus, qualis est Veritatis et Sapientiæ respectu intellectus, ita ut et anima et postea corpus, tota persona sancta cum persona Christi gloriosi arctissimo vinculo sit constringenda. Quo autem vinculo, nisi in ordine morali seu intentionali realis dependentiæ humanæ personæ a persona Verbi incarnati, qua fiat unio et assimilatio quam perfectissima cum Verbo incarnato, seu deiformitas excellens etiam ultra adoptionem præsentem nos evehens? Atque, tota mutatio cum fiat in altero termino, creato, efficiendo istam mirabilem unionem Deus influet vitam gloriosam tum in animam, tum in corpus: communicando cum corpore dotes corporis gloriosi Christi, animam capacem reddendo divinæ

(1) Vid. supra cit. n. 86.

(2) In Ps. 134 et cf. in Ps. 143, et Ps. 77, quo loco alii Patres multi similiter interpretantur verba: *Panem angelorum manducavit homo.*

visionis, subjective quidem per infusionem luminis gloriæ, objective vero per ipsum unitum esse cum Verbo supplente speciem, quippe quod ipsum est species, imago vitalis, perfecta, consubstantialis Patris, quemadmodum suo loco explicavimus.

Hæc analogia inter unionem sacramentalem cum Christo et unionem hinc quidem justorum cum Spiritu sancto in hac vita, inde vero sanctorum cum Verbo incarnato in patria, nobis videtur adeo fundata ac perfecta, ut illustre argumentum præbeat solidæ probabilitatis opinionis a nobis expositæ.

CONCLUSIO.

95. Quæ scripsimus de unione justorum hac in vita cum Spiritu sancto, deque unione beatifica sanctorum in patria cum eodem Spiritu et Verbo divino, non ea mente, quæso, legantur, qua nec scripta sunt, ut mere theoretico ac frigido intellectu considerentur ; sed, quemadmodum sancti Ecclesiæ Patres omnesque animæ contemplativæ id fecerunt, eo animo atque studio ut jam in præsenti vita nos evehant ad amorosam ac delectabilem contemplationem divinorum arcanorum, donec aspiret dies æternitatis et fugentur umbræ hujus sæculi, plenaque lux affulgeat visionis facie ad faciem divinæ essentiæ, divinarum processionum, individuæ Trinitatis personarum, Verbi incarnati gloriose sedentis ad dexteram Patris.

O beatam animam, quæ « elongavit fugiens, et mansit in solilitudine » (1) ; scilicet fugiens turbam tumultumque, tum foris, mundi vanitatumque ejus, tum intus, passionum et affectuum humanorum ; et mansit in solitudine Dei, omnium suique ipsius oblita, Deo soli, uni ac trino, veluti immersa et absorpta ! Beatum virum apostolicum, qui, etsi medio in mundo propter necessi-

(1) Psalmo 54.

tatem salutis animarum detentus, nihilominus defixo mentis oculo in Deum ex hausta inde abundantia sapientiæ et charitatis divinæ, nihil subtrahens vitæ contemplativæ sed addens huic activam vitam, in alios effundit thesauros divini luminis divinique amoris !

Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, nimirum pennas simplicitatis et puritatis: simplicitatis, ne duplici domino serviam, Deo et creaturæ, sed uni Deo intentus maneam ; puritatis, ut mundo corde Deum videam ; *et volabo,* supergrediens creata omnia, meque ipsum, *et requiescam*, nempe in eo qui solus est finis meus ac beatitudo mea, Deus meus et omnia ! (1)

(1) Id. Ps. 54.

Prospectus generalis in theologiam mysticam

SEU

Manuductio ad praxim unionis contemplativæ cum Deo.

NOTATIO PRÆVIA.

1. In olim scriptis « Meditationibus theologicis », *objectum* contemplationis exposuimus, ascendendo nempe ad Deum, tum ratione, per creaturas, tum fide ac fidei scientia, per revelationem positivam Dei et doctrinam theologicam; considerando quoque æternam prædefinitionem divinam totius ordinis, cum naturæ tum gratiæ, divinaque opera ad extra. Etiam *subjectum* contemplationis generatim descripsimus, scilicet justum, gratia sanctificante, virtutibus theologalibus cæterisque annexis donis instructum, per inhabitantem Spiritum sanctum filium Dei adoptivum effectum, exspectantem supremam cum Verbo unionem, qua capax fiat contemplationis finalis ac beatificæ Dei in æternum.

Hæc vero omnia ex proposito mentis nostræ conducere nos debent ad conclusionem practicam, quam nunc subjiciemus. Videlicet hæc omnia contendere voluimus in finem practicum, quo in vita præsenti nobilior, præcelsior atque beatior nullus esse potest, in finem vitæ perfectæ seu unionis contemplativæ cum Deo, quæ ipsa principium est, præparatio et prægustatio contemplationis perfectæ seu visionis beatificæ Dei æternæ in cœlis.

Hujus vitæ perfectæ activitas præcipua et suprema est ut contemplemur Deum, tum in operibus suis, tum præprimis in seipso, simul conscii facti, constanter et quantum fieri potest continuo, unionis amorosæ et filialis

qua Deo conjungimur utpote filii ejus adoptivi. Nulla activitas est quæ hanc contemplationem præstantia ac valore, utilitate ac fructu, jucunditate ac delectationis suavitate adæquare possit. Et cum soli contemplationi vacare, propter necessitates vitæ præsentis tum nostras tum proximi, non valemus, hæc eadem contemplativa activitas principium et radix est atque lex directiva omnis reliquæ activitatis externæ, quæ ad vitam quam vocant activam pertinet. Etenim ex plenitudine vitæ contemplativæ, ex abundantia luminis et charitatis inde hausta, oportet exercere tum vitam apostolicam, quæ directe ad salutem ac sanctificationem proximi tendit, tum virtutes christianas generatim, quæ sunt ad alterum, per opera misericordiæ spiritualia atque corporalia.

2. Itaque « Meditationes theologicæ » nos conduxerunt ad limen theologiæ mysticæ, cujus objectum est supremus gradus orationis late sumptæ, id est, commercium intimum cum Deo, complectens tum contemplationem Dei rerumque divinarum, quod intellectualem activitatem attinet, tum unionem amorosam ac filialem cum Deo, ex parte voluntatis.

Mysticæ porro theologiæ non hos limites ponimus, quos Auctores quidam, ut solummodo agat de statu quarumdam animarum electarum, quibus Deus donis extra ordinem concessis, gratiis quas vocant gratis datis favet, et quas Deus cui vult, quando et quomodo vult dispensat providentia speciali extra ordinem communis providentiæ supernaturalis, quin necessariæ sint ad sanctificationem et perfectionem. Absque illis, omnis homo sanctificari potest ac debet, omnisque justus ac filius Dei adoptivus, absque illis gratiis gratis datis, conscius fieri deberet suæ cum Deo in Spiritu sancto unionis, atque consequenter, auxiliante gratia gratum faciente, quæ nulli deest, totam activitatem sui intellectus convertere ad divinam contemplationem, totumque voluntatis nisum dirigere ad unionem in dies intimiorem cum Deo, per charitatem efficacem, id

est per observationem perfectam mandatorum, juvante quoque, pro diverso statu vitæ, consiliorum evangelicorum impletione.

Neque enimvero vitæ perfectio illorum tantummodo est qui statu vitæ ad perfectionem obligantur speciali titulo, perfectionis acquisitæ, aut acquirendæ, aut suscepti ordinis ac officii, ut sunt episcopi, religiosi, sacerdotes, sed justus omnis ad perfectionem vocatur, quocumque in statu exteriori vitæ divina Providentia eumdem collocaverit.

Igitur « Mysticam » non sensu restricto de commercio extraordinario cum Deo accipimus, sed, hoc non excluso, activitatem contemplativæ unionis cum Deo, via potius ordinaria, consideramus. Quæ quidem activitas plane supernaturalis est ex auxilio gratiæ gratum facientis, nempe sanctificantis et actualis, quæ æque necessariæ sunt in illo statu, in quo Deus non necessarias addat gratias gratis datas.

Hanc igitur vitam mysticam seu contemplativæ unionis cum Deo considerabimus, ita ut ad praxim ejusdem manuducamus, et prospectum generalem exhibeamus theologiæ mysticæ, cujus elementa frequenter apud Auctores reperiuntur hac illac dispersa. Hæc agendo, tum immediate utilitati animarum ad perfectionem aspirantium provisuros nos confidimus, tum gratum atque acceptum facturos dilecto clero nostro virisque religiosis, qui tum suæ, tum aliorum perfectioni eo alacrius allaborare poterunt, quo totius theologiæ mysticæ prospectum ejusque elementorum nexum et ordinem ante oculos habuerint.

CAPUT I.

Perfectio vitæ in quo consistat.

§ I. Generaliter loquendo, perfectio interior sita est in perfectione charitatis.

3. Audiamus Doctorem angelicum : « Unumquodque

dicitur esse perfectum, inquantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis : quia *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, ut dicitur 1. Jo., IV. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianæ vitæ (1). »

« Importat autem perfectio quamdam universalitatem, quia... perfectum est cui nihil deest. Potest ergo triplex perfectio considerari. Una quidem absoluta, quæ attenditur non solum secundum totalitatem ex parte diligentis, sed etiam ex parte diligibilis, prout scilicet Deus tantum diligitur quantum diligibilis est. Et talis perfectio non est possibilis alicui creaturæ, sed competit soli Deo, in quo bonum integraliter et essentialiter invenitur. Alia autem est perfectio quæ attenditur secundum totalitatem absolutam ex parte diligentis, prout scilicet affectus secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum; et talis perfectio non est possibilis in via, sed erit in patria.

Tertia autem est perfectio quæ neque attenditur secundum totalitatem ex parte diligibilis, neque secundum totalitatem ex parte diligentis, quantum ad hoc quod semper actu feratur in Deum, sed quantum ad hoc quod excludantur ea quæ repugnant motui dilectionis in Deum..... Et talis perfectio potest in hac vita haberi. Et hoc dupliciter. Uno modo, inquantum ab affectu hominis excluditur omne illud quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale. Et sine tali perfectione charitas esse non potest, unde est de necessitate salutis. Alio modo, inquantum ab affectu hominis excluditur non solum illud quod est charitati contrarium, sed etiam omne illud quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur ad Deum, sine qua perfectione charitas esse potest, puta in incipientibus et proficientibus (2). »

---

(1) 2. 2, q. 184, art. 1, in corp.
(2) 2. 2, q. 184, art. 2 in corp.

Hæc igitur tertia perfectio charitatis hic a nobis attendenda est, et juxta quidem alteram modum, qui solus perfectorum est, secundum quem excluditur non solum quod contrarium est charitati, sed etiam quodcumque impedit ne affectus charitatis totaliter feratur in Deum.

4. Porro, charitas ut vera probetur, efficax sit oportet servando mandata, juxta verbum Christi, Jo. XIV, 15: *Si diligitis me, mandata mea servate.* Inde quæstio: utrum perfectio consistat in præceptis, an in consiliis.

Primo responsum audiamus S. Thomæ, quod, cum difficultatem habere videatur, dein breviter interpretemur.

« Perfectio, *ait S. Doctor* (1), dicitur in aliquo consistere dupliciter. Uno modo, per se et essentialiter; alio modo, secundario et accidentaliter. Per se quidem et essentialiter consistit perfectio christianæ vitæ in charitate: principaliter quidem secundum dilectionem Dei; secundario autem, secundum dilectionem proximi, de quibus dantur præcepta principalia divinæ legis..... Non autem dilectio Dei et proximi cadit sub præcepto secundum aliquam mensuram, ita quod id quod est plus sub consilio remaneat, ut patet ex ipsa forma præcepti, quæ perfectionem demonstrat; ut cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Totum enim et perfectum idem sunt..... Et cum dicitur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Unusquisque enim seipsum maxime diligit. Et hoc ideo est, quia finis præcepti charitas est... In fine autem non adhibetur aliqua mensura, sed solum in his quæ sunt ad finem..... Sicut medicus non adhibet mensuram quantum sanet, sed quanta medicina vel diæta utatur ad sanandum. Et sic patet quod perfectio essentialiter consistit in præceptis. Unde Augustinus dicit in lib. de perfectione justitiæ: Cur ergo non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat?

(1) Ibid., art. 3 in corp.

Secundario autem et instrumentaliter perfectio consistit in consiliis, quæ omnia sicut et præcepta ordinantur ad charitatem, sed aliter et aliter. Nam præcepta alia a præceptis charitatis ordinantur ad removendum ea quæ sunt charitati contraria, cum quibus scilicet charitas esse non potest; consilia autem ordinantur ad removenda impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur, sicut est matrimonium, occupatio negotiorum sæcularium et alia hujusmodi. »

5. Difficultas in eo est, quomodo sit concilianda hæc doctrina S. Thomæ, cum supra recitatis numero præcedente ex eodem S. Doctore.

In his, postquam demonstravit, quod agnoscere debent omnes, perfectionem vitæ generatim consistere in charitate, deinde distinguit in perfectione hujus vitæ, adeoque et in charitate quosdam gradus. Et ponit gradus inferiores, incipientium et proficientium, excludentes tantummodo quæ sunt contraria charitati.

In ultimo vero loco recitato, hæc contraria ait excludi per observationem mandatorum.

Gradum superiorem, qui perfectorum est, supra reponit in eo quod excludantur, non solum contraria charitati, sed impedimenta *actus* charitatis, quæ obstant ne affectus totaliter dirigatur in Deum. Hæc autem removeri nunc dicit per consilia.

Unde videretur dicendum perfectionem vitæ et charitatis seu gradum in hac vita supremum perfectionis seu ipsam tandem perfectionem, non in præceptis tantum servandis, sed et potius in consiliis sequendis consistere.

Ut difficultas solvatur, distingue primo inter præcepta duo principalia legis divinæ, quæ sunt de ipsa charitate, Dei principaliter, proximi secundario, et alia præcepta, quæ ordinantur ad præcepta charitatis ut ad finem. Attende de his solis dici a S. Thoma quod ordinantur ad removenda ea quæ sunt contraria charitati, unde eorum observatio essentialis est ad perfectionem, etiam ad infimum ejusdem gradum.

Quod autem ipsum charitatis præceptum attinet, qui cætera ab illo diversa mandata, modo licet non perfecto, observat adeoque removet omnia charitati contraria, jam non est transgressor præcepti charitatis, sed illud observat saltem in infimo gradu perfectionis. Cum tamen hoc præceptum sit finis cæterorum, et in fine non sit mensura, modo magis perfecto potest observari (1). Via autem et instrumentum ad hunc gradum perfectum, non essentialem sed accidentalem, sunt consilia evangelica, quæ removent impedimenta actus charitatis, ipsam charitatem non excludentia.

Remanet tamen difficultas in hoc, quod saltem ad gradum supremum perfectionis in hac vita possibilis, qui nempe non incipientium nec proficientium tantum, sed perfectorum est, præter observationem mandatorum, requiri videtur consiliorum observatio. Atvero adverte a S. Thoma consilia dici quidem instrumenta quædam illius perfectionis, nuspiam vero instrumenta necessaria. Porro aperte S. Doctor indicat perfectionem non consistere in consiliis, sed in sequela Christi, quæ est per charitatem. Et ita resolvit objectionem, l. c. ad 1m, ex textu: Si vis perfectus esse, vende..... et sequere me; dicendo viam ad perfectionem esse in consiliis, sed addi in quo perfectio consistit, scilicet: Sequere me. Unde Hieronymus ait non sufficere tantum relinquere, ideo Petrum adjungere quod perfectum est, id est: Secuti sumus te.

6. Itaque perfectio vitæ in charitate consistit, et supremus gradus hujus perfectionis, de quo nunc agere præprimis volumus, quique perfectorum est, consistit in ea charitatis perfectione, quæ excludit, non solum quæ contraria sunt charitati, sed et impedimenta actus charitatis, quæ obstant ne affectus charitatis totaliter feratur in Deum.

Hæc impedimenta removentur per observationem

---

(1) Cf. l. cit. ad 2m et 3m.

consiliorum evangelicorum, quæ idcirco ad statum exteriorem perfectionis seu statum religiosum pertinet; sed et removeri possunt alia via, puta æquivalenter et affectu eadem consilia sequendo, pro iis qui in statu exteriore vitæ, in quo positi sunt, re et facto eadem exsequi nequeunt; aut quocumque tandem modo affectum charitatis totaliter dirigendo in Deum, quod quidem ne fiat, nihil, si volumus, prohibere potest. Semper enim valemus mandata servare modo magis magisque perfecto, puta ex charitate in Deum, eaque actu in finem charitatis dirigendo.

Sic ducimur ad distinctionem valde attendendam inter statum interiorem seu potius gradum perfectionis ac charitatis, et statum exteriorem vitæ perfectum aut minus perfectum.

(Continuabitur).

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Interpretare Col. I, 15-17.*

R. **Paraphrasis.**

15 Qui est imago Dei invisibilis,

primogenitus omnis creaturæ;

16 quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt:

17 et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.

Quanta est Christi excellentia! Ipse enim, quantum ad naturam suam divinam, eminet super omnia creata. 15. Ipse enim est imago absolutissima et substantialis Patris illius qui perfectione sua omnem captum humanum in infinitum transscendit; ipse omnibus creaturis præexistit omnesque dignitate et dominio antecellit (— vel: ipse genitus est a Patre, antequam ulla creatura fieret): 16. Revera ipse est causa exemplaris juxta quam creata sunt omnia, cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, entia corporea et entia incorporea seu spiritus, quocumque tandem nomine isti vocentur, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; omnia illa per ipsum tanquam causam efficientem, et ad Ipsum tanquam causam finalem, creata existunt. 17. Et ipse tempore (dignitate?) omnia præcedit, et omnia in conservatione sui ab ipso dependent.

Interpretatio.

In parte dogmatica Epist. suæ ad Coll., eminentiam Christi sui tuetur Paulus adversus errores pseudo-doctorum, qui in munere creationis et redemptionis, angelos juxtaponebant, imo forte præponebant Christo. Quare docet Paulus *Christum* in utroque ordine, naturæ et gratiæ, super omnia, et in specie super angelos, eminere, *Christo* esse serviendum ipsique qua capiti adhærendum, a *Christo* omnem gratiam et omne donum esse derivandum, *Christum* ipsis undequaque sufficere.

Etsi autem infra tantum (II, 18) ex professo acturus sit de doctrina pseudo-doctorum, ab initio tamen, post gratiarum actionem et orationem pro lectoribus, eminentiam Christi proclamat: I, 15-20, duplici sectione distincta (1): 1ª (15-17) Christum describit eminentem *super omnia creata,* quatenus ipse est imago Dei invisibilis et primogenitus omnis creaturæ; 2ª (18-20) eum describit eminentem *super ecclesiam* redemptorum, quatenus est caput Ecclesiæ et primogenitus ex mortuis. In 1ª sectione prædicat de Christo ea quæ ipsi secundum naturam *divinam*, et in 2ª sectione ea quæ ipsi secundum naturam *humanam* competunt.

In sequentibus explicamus varios titulos quos Christo tribuit Paulus secundum vitam suam divinam.

Est **imago Dei**, scil. Patris, **invisibilis** (2). Εἰκὼν τινος dicitur is qui refert alicujus imaginem, is in quo alicujus imago cernitur (3), quemadmodum *vir* dicitur εἰκὼν Θεοῦ, propter imperandi facultatem (I Cor. XI, 7). Denotat proin ad minus *aliquam similitudinem* cum archetypo; attamen quum imago alicujus rei possit esse, quod similitudinem et reproductionem spectat, plus minus perfecta, ipsa notio *imaginis Dei* non importat, *de se*,

---

(1) Utraque sectio eodem modo grammaticali procedit: singula vice primo thesim enuntiat (v. 15 et v. 18), eamque deinde probat: ὅτι ἐν αὐτῷ (v. 17 et v. 19).

(2) Intellige: non tantum invisibilis oculis corporeis, sed et *incomprehensibilis* intellectui naturali. Cfr. I Tim. VI, 16.

(3) Grimm, *Lexicon Græco latinum in libros Novi Testamenti* (Lipsiæ, 1903), vº εἰκών.

absolutissimam illam similitudinem quæ sit *identitas* naturæ. Attamen totus contextus, ut infra patebit, demonstrat Divinitatem Christi, et proinde merito antiquitas christiana expressionem « *imago Dei* » intellexit qua significantem æterni Filii perfectam æqualitatem cum Patre, quantum ad substantiam, potentiam et æternitatem (1).

In hac explicatione Verbum, qua imago Dei, est æque *invisibile* et incomprehensibile ac Pater; qua Verbum enim *nobis* non est magis manifestum quam Pater (2). Nonnullis tamen videtur vox εἰκὼν usu significare non meram similitudinem (quod ὁμοίωμα diceretur), sed insuper repræsentationem et manifestationem (3); et inde sensum proponunt sequentem: Deum (Patrem), illum invisibilem (4), Christus nobis manifestum facit (5), et sic, — ea esset Pauli intentio, — vobis, christianis, præstitit quod nullus angelus vobis

---

(1) « Filius est imago vivens, naturalis, et nullatenus discrepans Dei invisibilis, totum in se ferens Patrem, omnimodam habens cum eo identitatem, ac hoc solo discrepans quod sit a principio » (S. Joannes Damascenus, *De imag.*, I, 1). Cfr. S. Hilarius, *De Synodis*, § 73; S. Athanasius, *Contra Arian.*, I, 20 s. — In hunc sensum etiam Grimm, *o. c.*, « Christus dicitur imago Dei, Patris, propter naturæ suæ divinitatem et absolutam virtutis præstantiam. » — Cfr. II Cor. IV, 4; Hebr., I, 3.

Quæstioni cur Paulus notet Patrem esse *invisibilem*, varie respondent, puta: in oppositione ad Filium qui per Incarnationem visibilis factus est (Ceulemans. *Commentarius in Epistolas S. Pauli*, h. l.); vel ut connotetur Patris *Paternitas*, quum Patri proprium sit quod mittat alias Personas, ipse vero ab aliis non mittatur (Prat, *Théologie de S. Paul*, t. I, p. 397); — vel, magis obvie forte, ut magis elevet excellentiam Christi, quasi diceret: Christus tam excellens est ut ipse sit, ipseque solus, imago substantialis Dei illius qui perfectione sua omnem captum humanum in infinitum transscendit (cfr. I Tim. VI, 16).

(2) Ἡ τοῦ ἀοράτου εἰκὼν καὶ αὐτή ἀόρατος καὶ ὁμοίως ἀόρατος. (S. Chrysost.).

(3) Revera bene sic intelligeretur oppositio: Deum *invisibilem* Christus *manifestum* fecit.

(4) Τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου.

(5) Quoad sensum proinde Paulus h. l. idem diceret quod Jo., I, 18: Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Idem etiam quod Jo. XIV, 9: Qui videt me, videt Patrem.

præstare potest, revelationem np. Dei perfectam quæ a nullo alio revelatore, puta ab angelis, perfici indiget (1).

Est **primogenitus omnis creaturæ**. Satis dissentiunt AA. in his verbis interpretandis (2); ast Paulus ipse indicare videtur sensum quo Christum dicit primogenitum omnis creaturæ: ipse enim assertum statim probat et evolvit: quoniam in ipso omnia creata sunt...., omnia per ipsum, et in ipsum creata sunt: et ipse est ante omnia et omnia in ipso constant.

In ipso condita (3) **sunt universa**. Unde præexistentia Christi ante omnem creaturam fuit quasi conditio cur omnia creata sint: omnium creatio quasi fundamentum suum in Christo invenit (4). Quod, juxta interpretationem Patrum, significat Christum, utpote Verbum, esse omnium rerum *causam exemplarem* et archetypum, in ipso Verbo esse ideas æternas omnium rerum, seu Patrem in Verbo ab æterno contemplari formas exemplares secundum quas in tempore res universas creavit (5).

---

(1) Ita HAUPT, *Die Gefangenschaftsbriefe* (Krit.-exeg. Kommentar über das Neue Testament, begründet von H. MEYER. Göttingen, 1902). — Cfr. ABOTT, *The epistles to the Ephesians and to the Colossians.* (The International critical commentary. Edinburg). Huic interpretationi obstare videtur quod tantum in altera sectione Paulus locuturus est de relationibus Christi ad Christianos.

(2) Juxta alios Christus est primogenitus omnis creaturæ, quia, sicut primogeniti V. T. dominabantur fratribus suis, ita Christus prioritate dignitatis antecedit omnem creaturam; — juxta alios vero quatenus et *prioritate temporis* (utpote existens ab æterno), et simul prioritate dignitatis omnes antecedit; — juxta alios quatenus ipse est genitus a Deo, et quidem ante omnes creaturas, dum alia omnia sunt *creata*.

(3) Ἐκτίσθη, creata sunt, notat ipsum *factum historicum* creationis: alles werd geschapen; tout fut créé; — ἔκτισται quod occurrit in fine v. 16, denotat *permanentem relationem* inter Creatorem et creaturam ex facto illo exortam: creata existunt, alles is geschapen. Agi hic de creatione originali non vero de renovatione spirituali, totus contextus probat.

(4) Cfr. Eph. I, 4: Deus *in Christo nos elegit* ab æterno.

(5) Hæc interpretatio etiam a nonnullis Protestantibus (LIGHTFOOT, SCHLEIERMACHER, OLSHAUSEN, etc.) adoptatur; aliis videtur sensus esse Deum omnia creasse quasi regnum in quod Verbum dominaretur, quem-

Universa (τὰ πάντα, collective) illa P. enumerat, insistendo in eo quod *omnia* omnino sint in Christo creata, et sic nitide opponendo *Christum* toti ordini creatorum, adeoque ejus Divinitatem urgendo:

Omnia, **in cœlis et in terra,** seu in omni regione ubi adsunt entia finita, sen in toto universo (1); **visibilia et invisibilia,** seu ea entia quæ sunt puri spiritus et ea quæ tales non sunt (2).

Intentio Pauli præcipue in hos spiritus ferebatur: illi enim erant quos in munere creationis pseudo-doctores juxtaponebant, imo forte præponebant Christo: quare eos aliquo modo enumerat: **sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates** (3).

Omnia (4) **per ipsum** δι' αὐτοῦ **creata sunt.** Verbum igitur est *causa efficiens* creationis; minime tamen dicitur causa instrumentalis ordinis inferioris (5); nam

---

admodum cunctos fideles elegit quasi regnum Christi supernaturale, quasi corpus cujus Christus foret caput. — Ast sic, ni fallimur idem esset sensus: omnia *in ipso* et: omnia *in ipsum* creata sunt.

(1) Nimis patet ex toto contextu Paulum hac expressione etiam includere ipsum cœlum et terram.

(2) Hic sensus apparet ex enumeratione qua ipse P. ulterius invisibilia determinat; sunt enim omnes angeli et spiritus. — Quare *homo* etsi etiam anima constans, inter visibilia intelligitur. Cfr. II, 10; Eph. I, 21; III, 10; Rom. VIII, 38.

(3) Hisce verbis designari non malos, sed *bonos* angelos manifestum est: Christum enim super *malos* angelos eminere nimis patere debebat quam ut pseudo-doctores id negare ausi fuerint et Paulus in illud insistere voluerit et debuerit. — Cfr. I Pet. III, 22.

Ex his verbis apparet Paulum admittere existentiam angelorum, eorumque certo ordine hierarchico inter se se habentium: non magnam enim vindicaret P. præstantiam Christo, affirmando Eum super entia quæ mera figmenta essent imaginationis eminere. Confirm. ex Eph. III, 10, ubi Paulus ipse, suo nomine, duos ordines recitat. Cfr. Rom. VIII, 38. — Non tamen deduci potest quot ordines et quinam et qualis hierarchia angelorum detur: *Hoc* enim P. docere non intendit: varia nomina accumulat id unice intendens: Christum super omnia illa entia eminere! Quod confirmatur ex loco parallelo Eph. I, 21, ubi *alio ordine* angelos recitat, et alium gradum addit: *virtutes,* imo formula generali addat: et *omne nomen,* quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.

(4) Τὰ πάντα, omnia hucusque enumerata.

(5) Id olim Ariani ex hoc textu deducere volebant.

etiam de Patre dicitur (Rom. XI, 36) δι' αὐτοῦ esse omnia (1).

Omnia in ipsum (Vulg. *in ipso*) **creata sunt** (2). Verbum igitur, sicut et Pater (3), est *causa finalis* totius universi: Quasi dominatori supremo omnia ipsi subduntur, omnia ipsius honori et gloriæ inservire debent (4).

Et ipse est ante omnia (5). Ipse igitur Christus (αὐτός), et non alius, tempore (6) omnia præcedit, existit ante omnem creaturam, seu ab æterno existit. S. Paulus æque dicere potuisset: Et ipse *erat* ante omnia; præsens *est* indicat immutabilem et absolutam existentiam: ita nempe opponit Verbum, quod utpote Deus semper *est*, creaturis quæ *factæ sunt* (7).

Et omnia in ipso constant. Christus igitur est totius universi principium conservationis, sine quo in ruinam et in nihil omnia redirent: non tantum eorum esse seu creari (supra), sed et eorum conservari ab ipso pendet (8).

Ex præmissis jam potest intelligi quonam sensu Christus a Paulo dicatur **primogenitus omnis creaturæ**: Nimirum Christus (in præexistentia sua divina qua Verbum) omnibus creaturis præexistit, adeoque ab æterno, omnesque sibi subditas et a se dependentes habet: signatur nempe ad minus prioritas Christi tum *existentiæ* tum *dignitatis* et auctoritatis (9), qualis sub

---

(1) Verbum tamen, utpote a Patre procedens *aliquo sensu* dici potest causa instrumentalis Patris; est tamen cum Ipso æternus co-agens. Cfr. I Cor. VIII, 6: Omnia *ex* Patre, omnia *per* Filium. Cfr. Jo. I, 3, 10.

(2) Ἔκτισται. Vide supra, p. 332, *nota* (3).

(3) I Cor. VIII, 6.

(4) Cfr. Matt. XXVIII, 18; Hebr. II, 18; Apoc. XXII, 13.

(5) πρὸ πάντων. Vulg. vertit: ante *omnes*, ast quæ præcedunt et quæ sequuntur (πάντα) probant et hic sensum esse neutrinum.

(6) Eminentia *dignitatis* diceretur potius: ἐπὶ, ὑπὲρ. Ita communiter explicant AA. Attamen πρὸ dicitur etiam de illo qui *loco* præcedit, imo et de præstantia: Jac. V, 12; I Pet. IV, 8 et inde h. l. forte et de dignitatis præstantia dici posset: quatenus æmulum aut superiorem non habet.

(7) S. Basilius Cæs., *Adv. Eunom.* IV. Cfr. Ex. III, 14; Jo. VIII, 58.

(8) Cfr. Hebr. I, 3.

(9) Hinc genitivus πάσης κτίσεως, non est genitivus *partitivus*, quasi

V. T. conveniebat filio ætate adultiori super omnes fratres.

Hic sensus optime quadrat scopo Pauli, volentis np. Christum suum tueri adversus pseudo-doctores qui angelos ipsi juxtaponebant aut forte præponebant; — bene colligitur, ut explicavimus, ex interpretatione quam ipse P. adducit; — bene iterum congruit usui S. Scripturæ voce πρωτό-τοκος sæpe significantis eminentiam temporis et dignitatis (1), in specie ubi de Christo agitur (2).

Utrum vero Paulus dicendo πρωτό-τοκος intenderit significare Christum esse a Patre *genitum,* dum reliqua omnia fuerunt *creata*, ex ipso textu et scopo Pauli certo determinari nequit (3).

A. Vander Heeren.

II

Q. *Distinctas expone notiones* mali, doloris, tristitiæ, pœnæ, *pœnæ tum* concomitantis *tum* exterius inflictæ: *illasque illustra exemplis desumptis ex pœnis Inferni.*

R. 1. a) *Malum*, formaliter consideratum, est *privatio boni*, scilicet carentia alicujus boni in subjecto cui hoc bonum debetur (4).

Christus poneretur primogenitus *inter* creaturas, quasi una ex ipsis, sed genitivus *comparationis,* dependens a voce πρωτος quæ in πρωτότοκος includitur (cfr. Jo. I. 15): Christus, comparatus ad omnes creaturas, omnibus antecellit. — Christum præexistentem non poni *inter* creaturas, (ut olim voluit Baur, *Das Christenthum der drei ersten Jahrh.*, p. 295), apparet ex integro contextu, quum P. continuo et iteratis expressionibus Christum opponat *omnibus* omnino creaturis.

(1) Ps. LXXXIX, 28; Exod. IV, 22.

(2) Rom. VIII, 29; Hebr. I, 6. — Cfr Grimm, *o. c.*, h. v°.

(3) In hunc sensum S. Justinus hæc verba interpretatur, adeo ut Paulus non tantum præxistentiam in tempore Christo tribueret, sed etiam, conformiter ad totum contextum, distinctionem a genere creaturarum. — Nonnulli Patres (Athanasius, Greg. Nyss., Cyrillus) hæc verba intellexerunt de Incarnatione Christi, ob abusum quem Ariani hujus textus instituebant, Verbum ponentes inter creaturas.

(4) Cf. S. Thomas, 1, q. 48, a. 1, a. 5 ad 1. — Quomodo subjectum

b/ In inferno, ipsa carentia possessionis ultimi finis, quicumque sit, est malum: quia damnatus est in statu termini in quo deberet possidere ultimum finem. Præterea dolor omnis et tristitia, requirunt malum in subjecto in quo sunt, ut statim explicabitur.

2. a/ *Dolor,* in sensu proprio et stricto, est appetitus sensitivi motus seu passio consequens mali conjuncti apprehensionem a sensu *externo,* et specialiter *tactu* (1). Quando corpus animale læditur, v. gr. laceratur vel virgis, vel unguibus vel cultro, vel alio modo amovetur a convenienti seu bona dispositione, hæc læsio percipitur sensu tactus et tunc sequitur *dolor* (2).

Dolor corporalis et *perceptio* læsionis realiter distinguuntur ab ipsa læsione: patet v. gr. ex hoc quod mediis quibusdam, v. gr. chloroformio, impeditur perceptio læsionis ac dolor dum adest læsio ipsa.

Dolor consequitur perceptionem mali conjuncti sicut delectatio consequitur perceptionem boni conjuncti: quædam tangimus ad quorum tactum exsurgit delectatio sensibilis de ipsa *grata* sensatione; quædam tangimus ad quorum tactum exsurgit dolor sensibilis de *ingrata* sensatione (3).

Sicut ad sensationem *tactus* consequitur quandoque dolor, ita ad alios sensus *externos* consequitur quando-

---

bonum sit *per accidens* causa mali explicatur 1, q. 49, a. 1. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 462 ss.

(1) Doctrinam S. Thomæ exponimus: 1-2, q. 35, a. 2, 7; 3. q. 15, a. 5 et 6; *De anima*, a. 18. Cf. etiam in III, dist. 15, Q. 2, a. 3 sol. 2: sed in *Summa theologica* clarius quam in *Commentario in libros Sententiarum* exponitur differentia inter dolorem et tristitiam.

(2) Dolor est passio *corporalis* per oppositionem ad passionem *animalem*. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 157. Dolor qui consequitur apprehensionem *tactûs* est de malo *corporis*, de laceratione vel disconvenienti dispositione in corporis organis vel partibus inducta: ideo dolor iste (sicut delectatio ipsi contraria) est maxime *materialis*.

(3) Sensus externus est facultas *apprehensiva;* sed singulis sensibus externis correspondet facultas *appetitiva: dolor* et *delectatio* sunt in *appetitiva* facultate. Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 383. Perceptio seu apprehensio est causa immediata delectationis vel doloris.

que *displicentia* quædam: etenim quosdam videmus colores, quosdam audimus sonus, quosdam olfacimus odores, quosdam gustamus sapores, qui nobis sunt ingrati et excitant *displicentiam* in appetitu sensitivo correspondente: hæc displicentia causatur immediate ab apprehensione objecti ingrati; attamen hæc ratio *ingrati* non consistit in læsione organi, sed in aliqua *disconvenientia* inter objectum sensus et ipsum sensum (1): quæ disconvenientia est malum appetitui et ipsi repugnat.

b/ In inferno, post resurrectionem, erit in hominibus damnatis *dolor* sensibilis ex apprehensione *tactus*, quatenus homo tanget ignem (2); præterea ut videtur, ex ipsa tristitia sensibili, de qua statim loquemur, erit in corpore, nempe in capite et oculis perturbatio quæ apprehendetur sensu tactùs et producet dolorem sensibilem (3). Tandem, ut videtur, sensus externi diversi a tactu, percipient sensationes ingratas de quibus erit displicentia in appetitu sensibili correspondente.

3. a/ *Tristitia* est passio quæ consequitur ad apprehensionem *internam* mali *præsentis* seu conjuncti subjecto. Dico *internam:* nam tristitia consequitur ad malum apprehensum vel ab imaginatione vel ab intellectu (4), non autem a sensibus externis. Dico mali

---

(1) Organa sensuum externorum omnium possunt lædi aut lacerari: hæc læsio percepta producit dolorem qui ad sensum *tactus* pertinet: ita possum in oculo, in aure, etc., affici *dolore* sensibili; sed hic dolor bene distinguitur ab illa alia passione quæ consistit in *displicentia* videndi colores ingratos, audiendi sonus ingratos, etc. Et similiter dicendum de delectatione: habetur delectatio propria sensus tactus et habetur delectatio propria aliorum sensuum externorum: tum delectatio, tum displicentia consequentes ad sensus externos diversos a tactu sunt minus materiales, quam delectatio et dolor consequentes ad tactum. Cf. S. Thomas, 1-2, q. 35, a. 7.

(2) Difficile explicatur quomodo ignis aget in corpora *incorruptibilia:* de hac re loquemur in alia responsione.

(3) Cf. S. Thomas, *Supplem.*, q. 97, a. 3.

(4) « Sola... illa delectatio quæ ex *interiori* apprehensione causatur, gaudium nominatur... et similiter ille solus dolor qui ex apprehensione

præsentis: nam tristitia est de malo quod apprehenditur ut hîc et nunc afficiens subjectum. — Porro tristitiæ est *duplex species:* tristitia *sensibilis,* quæ est de malo sensibili ab *imaginatione* apprehenso; et tristitia *rationalis,* quæ est de malo *immaterialiter ab intellectu* apprehenso.

b/ In inferno est rationalis tristitia, in voluntate, et erit etiam sensibilis tristitia, in appetitu sensitivo, apud homines damnatos post corporum resurrectionem: etenim tristitia *rationalis* summa consequetur immediate ex cognita privatione visionis beatificæ; tristitia etiam erit ex recordatione peccatorum commissorum (1), ex societate dæmonum ac aliorum damnatorum, ex cognita æterna duratione omnium suppliciorum, etc.

Sensibilis tristitia consequetur ad diversa mala apprehensa in *imaginatione,* nominatim dolorem sensibilem tactus, aliorum sensuum displicentias, etc.

4. a/ *Pœna* (2) est privatio boni delectabilis quam ratione culpæ, contra naturalem appetitum suæ voluntatis, creatura rationalis patitur.

Dicitur: a/ *privatio boni,* inde omnis pœna est malum subjecti in quo est; non, e converso, omne malum est pœna; b/ boni *delectabilis* per oppositionem ad bonum honestum (3), inde hîc sub nomine boni delectabilis intelligendum est etiam bonum *utile;* c/ *ratione culpæ:*

---

interiori causatur, nominatur *tristitia* ». S. Thomas, 1-2, q. 35, a. 2. S. Thomas tristitiam vocat dolorem *interiorem:* cf. ib., a. 7. — De differentia inter tristitiam et alias passiones, quæ etiam ad apprehensionem *interni* sensus consequuntur, cf. S. Thomas, 1-2, q. 22 et ss.; De Jaegher, *o. c.*, n. 384.

(1) Hæc tristitia est remorsus conscientiæ: cf. S. Thomas, in IV, dist. 50, Q. 2, a. 3, sol. 2; Lessius, *De perfectionibus divinis*, L. XIII, c. 29; Jungmann, *De novissimis*, n. 35.

(2) Cf. S. Thomas, 1, q. 48, a. 5 et 6; 1-2, q. 46, a. 6, ad 2; S. Bonaventura, in II, dist. 36; Scotus, in II, dist. 37, Q. 2; Polmanus, *Breviarium theologicum*, Pars I-II, n. 482; *Collat. Brug.*, t. VII, p. 464; t. VIII, p. 44; t. IX, p. 689; Billot, *De personali et originali peccato*, Romæ, 1910. p. 76 ss.

(3) Privatio boni *honesti* est *culpa*.

malum enim quod patitur subjectum independenter a culpa non habet rationem pœnæ proprie dictæ; d/ contra *naturalem* appetitum suæ voluntatis: agitur de appetitu seu motu voluntatis *ut naturæ* (1); ad rationem pœnæ sufficit, sed requiritur, ut sit contra voluntatem ut naturam, etsi forte consentiat voluntas ut ratio, sicut cum in recompensationem culpæ præteritæ aliquis sibi pœnam spontaneus assumit, vel etiam a Deo illatam patienter sustinet (2). Etiam considera hîc agi de appetitu vel *actuali*, sicut quando quis cognoscit se privari bono; vel *habituali*, sicut quando ignoranti subtrahitur bonum aliquod de cujus ablatione doleret si hanc cognosceret (3).

Pœna porro dividitur in *concomitantem* et *exterius inflictam* (4): *concomitans* dicitur illa boni privatio quæ *ab intrinseco connaturaliter* sequitur ex peccato; *exterius* vero *inflicta*, quæ *ab extrinseco*, nempe a judice infertur (5).

b/ In inferno, dolor sensibilis qui, post corporum resurrectionem, causatur ab igne, est pœna *exterius inflicta;* idem dicendum de displicentiis ex apprehensione aliorum sensuum externorum; idem de tristitia quam animæ separatæ, ante resurrectionem, et dæmones patientur ex detentione in igne; e contrario pœna *concomitans* est privatio visionis beatificæ et tristitia

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 371 ss., 409 ss., VAN DER MEERSCH, *Tractatus de divina gratia*, Brugis, 1910, n. 269 ss.

(2) Ita BILLOT, *o. c.*, l. c. Cf. S. THOMAS, in IV, dist. 21, Q. 1, a. 1, sol 4.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 691 s.; S. THOMAS, *De Malo*, Q 1, a. 4.

(4) Cf. S. THOMAS, in II, dist. 27, Q. 1, a. 5; *De Malo*, Q. 1, a. 4 ad 5.

(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 689; t. X, p. 26. Pœna *inflicta* est malum quod inducitur subjecto ex actione alterius, vel ex cessatione actionis alterius influentis bonum. Ita v. gr. pœna inflicta est flagellatio inducta propter culpam; etiam retentio partis salarii propter culpam. — De pœna *concomitante* agit BALMÈS, *L'art d'arriver au vrai*, ch. XXII, § 33: « L'harmonie de l'univers protégée par le châtiment ».

quæ ex ista privatione consequitur; idem dicendum de tristitia ex recordatione peccatorum (1).

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Quomodo agendum est cum pœnitente qui in confessione detegitur divortium civile, stante matrimonio canonicè valido, illicitè impetrasse, sive ad nova vota transire attentaverit sive non?*

R. 1° *Si non contraxit nec contrahere intendit novum matrimonium civile:* oportet ut pœnitens de peccato commisso, in quantum fuit formale, sincerè doleat. Præterea debet, si fieri potest, cum derelicta comparte reconciliari ac consortium maritale reinstaurare (2).

Quodsi hæc reconciliatio impossibilis aut inopportuna judicetur, urgendus est pœnitens ut scandalum forte provocatum efficaciter reparet ac parochum moneat de separatione tecti instituta, et per eum, ubi opus est, sententiam obtineat judicis ecclesiastici: nimirum, ex jure nostro diœcesano, semper consulendus est parochus ubi agitur de separatione a toro et cohabitatione; parochus autem, extra casum adulterii certi ac notorii, rem deferre debet ad Ordinarium qui sententiam ferat, ac separationem illam permittat vel prohibeat (3).

Hisce præstitis, nihil jam obstat quominus ad sacramenta etiam publice admittatur pœnitens; posset etiam

(1) In præsenti Providentiæ ordine, omne malum quo afficitur homo habet rationem pœnæ, saltem propter peccatum originale. Cf. S. THOMAS, *De Malo*, Q. 1, a. 4; *Collat. Brug.*, t. VII, p. 470.

(2) Vi articuli 295 Codicis civilis, per legem 8 Febr. 1906 moderati, possunt, in Belgio, conjuges divortio separati ad invicem reconciliari, nova interposita celebratione nuptiali. Cf. *Collat. Brug.*, t XI, p. 318 ss.

(3) Notum est etiam, in diœcesi Brugensi, *Decanum* posse *provisorie* permittere « pro fidelibus sui districtus separationem a toro et cohabitatione, cum relatione ad Ordinarium, si *infra duos menses* non fuerint reconciliati ».

absolvi seria facta promissione de dictæ obligationis futura executione.

2° *Si ad alia vota transire attentaverit, novo inito matrimonio civili cum tertia persona:*

Optanda solutio foret ut, impetrato divortio civili ab hoc altero pseudo-vinculo, cum legitima comparte reconcilietur cum eaque vitæ conjugalis consortium reassumat (1).

Si ad hanc solutionem deveniri nequeat, urgendus est pœnitens ut saltem, reparato scandalo, a concubinatu recedat, etiamsi vinculum civile perseveret ac civili divortio disrumpi nequeat: vult quidem lex civilis ut cohabitent conjuges, sed in praxi vix unquam ad cohabitationem coget judex civilis (2). Profectò non potest pœnitens ad sacramenta publicè admitti antequam concubinatum cum effectu abruperit, nec etiam ad solam absolutionem sufficeret, regulariter et extra casum urgentem, sola promissio de futura concubinatus abruptione.

Ulterius, abrupto concubinatu ac reparato scandalo, incumberet pœnitenti ut, juxta dicta sub 1°, moneret parochum et sententiam judicis ecclesiastici obtineret super separatione a tecto. Quibus omnibus peractis potest pœnitens, supposita resipiscentia, ad sacramentorum participationem admitti: posset etiam sacramentaliter absolvi sub promissione dictam clausulam exequendi.

Aliunde supponitur pœnitens non incurrisse *excommunicationem;* secus absolutio a censura deberet præ-

---

(1) Etiam novæ unioni civili inter conjuges divortio disjunctos adhuc locus est, coram nova legislatione Belgica, postquam novum successit matrimonium et alterum divortium. Hoc non permittit lex Gallica anni 1884. Cf. *Collat. Brug.*, l. c.

(2) Cf. PLANIOL, *Traité élémentaire de droit civil*, Paris, 1908-1909, I, n. 894; THIRY V., *Cours de Code civil annoté au point de vue de la doctrine et de la jurisprudence belges et françaises par Georges Thiry*, Liége, 1892-1893, n. 327; PASICRISIE, 1910, III, p. 268 s., coll. 1907, IV, p. 53 s.

cedere absolutionem sacramentalem. Porro posset fieri quod ex facto attentati novi matrimonii, excommunicationem contraxerit, sive vi dispositionis juris communis (1), sive vi dispositionis juris particularis (2).

IV

Q. *Proles illegitimæ (sive simpliciter naturales sive incestuosæ aut adulterinæ), quanam habitudine respectu parentum naturalium sese habent, juxta dispositiones codicis nostri civilis per legem diei 8 Aprilis 1908 moderatas* (3)?

R. **Prænotanda.**

1° Proles *illegitimæ,* coram foro nostro civili, sunt proles quæ nec conceptæ nec natæ sunt in matrimonio (4), vel, si conceptæ aut natæ in matrimonio, legaliter repudiatæ fuerunt a marito matris (5).

---

(1) Potest pœnitens, attento anathemate lato contra illos qui putant licere christianos duas uxores habere (Conc. Trid., Sess. XXIV, can. 2), *hæresim* incurrisse ac adnexam censuram.

(2) Ita in Concilio Baltimorensi III (anno 1884), n. 124, inducitur excommunicatio latæ sententiæ Ordinario reservata contra conjuges qui, divortio civili obtento, novum matrimonium attentare ausi fuerint.

(3) Lex 8 Aprilis 1908 mutationem induxit in dispositionibus art. 337, 338, 340, 341 et 342; novi articuli 340, 340 et 341 notantur nunc: art. 340a, 340b, 340c, 340d, 340e, 340f; 341a, 341b, 341c; 342a et 342b.

(4) Proles censetur *concepta* tempore matrimonii si nascitur post diem 180m inde a contracto matrimonio et ante 300m diem inde a conjugii dissolutione.

(5) Quod spectat jus marito competens *repudiandi* prolem quam uxor peperit:

a/ Si proles nata est quidem tempore matrimonii sed *non concepta,* utpote nata ante 180m diem nuptias consequentem, potest maritus eam repudiare *per simplicem declarationem non-paternitatis,* excepta triplici hypothesi inserta art. 314, nempe « s'il a eu connaissance de la grossesse avant le mariage; s'il a assisté à l'acte de naissance, et si cet acte est signé de lui ou contient sa déclaration qu'il ne peut signer; si l'enfant n'est pas déclaré viable ». Cf. PLANIOL, *Traité élémentaire de droit civil,* Paris, 1908-1909, I, n. 1366, 1417 s., 1559, 1429 et 1439 ss.

b/ Si proles *concepta* est in matrimonio, *regulariter* non potest eam repudiare maritus, nisi *physica impossibilitate constet* prolem ex alio patre

Sunt *simpliciter naturales*, si parentes, tempore legalis conceptionis, nulli impedimento dirimenti existebant obnoxii; sunt autem *incestuosæ* aut *adulterinæ*, si natæ sunt ex parentibus qui, tempore legalis conceptionis, erant, infra gradus prohibitos, ad invicem cognati, absque prævia dispensatione, aut quorum alteruter erat cum tertia persona civili matrimonio junctus.

2° Proles *simpliciter naturales* vel sunt *legaliter agnitæ* vel *non agnitæ*.

Nimirum legaliter agnosci possunt a parentibus, vel ab alterutro eorum, sive per spontaneum actum ipsorum (1), sive per sententiam judicis (2), actione scil. coram judice inducta in recognitionem paternitatis vel maternitatis, aut utriusque: quæ actio conceditur infra limites a lege anni 1908 ampliatos (3).

---

esse genitam, nempe si probet vir « que, pendant le temps qui a couru depuis le trois-centième jusqu'au cent quatre-vingtième jour avant la naissance de cet enfant, il était, soit pour cause d'éloignement, soit par l'effet de quelqu'accident, dans l'impossibilité physique de cohabiter avec sa femme ». Art. 312. *Exceptionaliter*, juxta art. 313, in casu scil. uxoris adulteræ et natam sobolem occultantis, potest maritus prolem repudiare, licet *moralem* dumtaxat impossibilitatem suæ paternitatis invocare possit. Cf. Planiol, o. c., I, n. 1435 ss.; Arrêt de la Cour de Gand, 3 Janv. 1908, *Pasicrisie*, 1909, II, p. 371 ss.

Juvat hic notare a Senatu Belgico, die 16 Martii 1911, adoptatam fuisse propositionem legis, ab Al. Braun introductam, in eum finem ut ad art. 314 adderetur sequens dispositio: « En cas de jugement ou même de demande en divorce ou en séparation de corps, le mari pourra désavouer l'enfant né trois cents jours après la décision qui aura autorisé la femme à avoir un domicile séparé et moins de cent quatre-vingts jours depuis le rejet définitif de la demande ou depuis la réconciliation. L'action en désaveu ne sera pas admise si la femme prouve qu'il y a eu réunion de fait entre les deux époux ». *Annales Parlementaires* — Sénat, Séance du 16 Mars 1911, p. 244, coll. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 329 s.

(1) A. 334: « La reconnaissance d'un enfant naturel sera faite par un acte authentique, lorsqu'elle ne l'aura pas été dans son acte de naissance »; potest contra illam agnitionem fieri oppositio (a. 339), et proli non prodest agnitio nisi respectu parentis eam agnoscentis (a. 336).

(2) « Le jugement qui déclare la filiation naturelle produit les mêmes effets que la reconnaissance ». A. 341c.

(3) Quod spectat *paternitatem*: vi legis 1908, art. 340a « la recherche de la paternité est admise... 1/ s'il y a possession d'état d'enfant naturel

Proles non agnitæ, quæ nempe non recognoscuntur sponte, et quibus non conceditur actio in recognitionem judiciariam, ulterius duplicem speciem constituunt : dantur namque inter illas quibus, favore novæ legis anni 1908, sub art. 340b, agnoscitur jus in *pensionem alimentariam,* quatenus ex parte prolis naturalis, supposita probata filiatione matris, admitti potest actio, quam vocant, alimentaria, erga virum qui « a eu des relations avec sa mère, pendant la période légale de la conception », i. e. inter 300m et 180m ante nativitatem (1).

Quod attinet proles *adulterinas* et *incestuosas:* non possunt legaliter agnosci, neque spontaneo actu (a. 335), neque per sententiam judicis (a. 342a), nec possunt actionem alimentariam inducere (a. 342a) (2); disponit

---

dans les conditions prévues par l'article 321 ; 2/ si, pendant la période légale de la conception, il y a eu enlèvement par violence, ruse ou menace, détention, séquestration arbitraires ou viol ».

Quoad *maternitatem :* « la recherche de la maternité est admise 1/ s'il y a possession d'état dans les conditions prévues par l'art. 321 ; 2/ si l'accouchement de la mère prétendue et l'identité du réclamant avec l'enfant dont elle s'est accouchée sont rendues vraisemblables par un commencement de preuve par écrit conforme aux dispositions de l'art. 324, ou par les énonciations de l'acte de naissance », a. 341a . Circa paternitatis inquisitionem et novam nostram legem anni 1908, cf. LECLERCQ, *Loi du 6 Avril 1908 sur la Recherche de la Paternité et de la Maternité de l'enfant naturel,* Bruxelles 1908 ; PLANIOL, o. c., I, n. 1520 ss.; *Rev. cath. de droit,* 1908-1909, p. 277 ss.; PASICRISIE, 1909, III, p. 404 ss., coll. GIGOT, *La Séduction et la Recherche de la Paternité,* apud *Réforme sociale,* t. 43 (1902), p. 189 ss.

(1) Ibidem additur : « La *preuve* de ces relations ne peut résulter que de l'une des circonstances suivantes : 1/ de leur aveu dans les actes ou les écrits émanés du défendeur ; 2/ de leur caractère habituel et notoire ; 3/ de l'attentat à la pudeur, consommé sans violence sur la personne d'une fille de moins de 16 ans accomplis ; 4/ de la séduction de la mère par promesse de mariage, manœuvres frauduleuses ou abus d'autorité ».

(2) Hanc legalis agnitionis prohibitionem sic intellige : proles scil. ex adulterio vel incestu conceptas non posse agnosci nec filiationis declarationem exquirere, quotiescumque agnitio illa vel filiationis declaratio importat manifestationem filiationis adulterinæ aut incestuosæ; nihil autem impedit quominus agnoscatur vel a judice declaretur eorum filiatio respectu alterutrius parentis, in quantum illa agnitio non importat filiationem incestuosam vel adulterinam. Unde rarissime, et nonnisi

tamen art. 342b quod « les prohibitions des articles 335 et 342a ne concernent pas les enfants nés de personnes parentes ou alliées, entre lesquelles le mariage pouvait être autorisé par dispense ».

Quibus prænotatis, melius intelligetur **solutio :**

A. *Proles* **simpliciter naturales,**

1° *legaliter agnitæ*, coram lege nostra civili reputantur cognatæ patris vel matris aut utriusque parentis, a quo respective fuerunt recognitæ ; nullum autem cognationis vinculum contrahunt cum patris matrisque cognatis, salvis dispositionibus art. 161 et 162 codicis civilis, circa prohibitiones matrimoniales, necnon dispositione art. 766 circa successionem in bonis filii illegitimi (1).

Erga patrem et matrem habent easdem obligationes ac proles legitimæ ac æque subsunt auctoritati paternæ ; ex alia parte non sunt hæredes parentum sensu legali, sed successores dumtaxat irregulares (art. 756 Cod. civ.) infra limites in art. 757 ss. delineatos, adeo ut, ad tramites art. 908, nihil ulterius recipere valeant.

2° *Non agnitæ legaliter :*

a/ illæ quibus a judice concessa est, vi art. 340b, annua alimentaria, jus habent recipiendi « une pension annuelle pour leur entretien et leur éducation jusqu'à

---

accidentaliter, constare potest de filiatione adulterina vel incestuosa qua tali, nempe : « au cas où un mariage se trouve annulé pour inceste ou bigamie ; et etiam in casu « où une action en désaveu est exercée par le mari : si le juge déclare que l'enfant né d'une femme mariée n'a pas pour père le mari, la décision rendue se trouve constater une filiation adultérine ». Crémieu, *Des Preuves de la Filiation non reconnue,* Paris, 1907, p. 178 ; Claeys-Boúúaert, apud *Collat. Gandav*, II, p. 282 s., collata etiam decisione Tribunalis (Verviers) 23 Febr. 1910, apud *Pasicrisie,* 1910, III, p. 265 s.

(1) Cf. Cremieu, o. c., p. 81 ss. ; cf. tamen Leclercq, o. c., p. XXVIII s. ; item a. 337a. Juxta novum codicem Germanicum « l'enfant naturel est considéré comme n'ayant pas de père... ; au contraire, dans ses rapports avec la mère et avec les parents de sa mère, l'enfant naturel a la même position juridique que l'enfant légitime, et il porte son nom de famille ». Planiol, o. c., I, n. 1469.

l'âge de 18 ans accomplis » (1). Hoc autem jus non est exclusivum, adeo ut ipsis non applicetur dispositio art. 908, ac possint ipsis a parentibus liberalitates concedi sive per viam donationis inter vivos sive per viam testamenti.

De cætero non habent coram foro civili titulum filii respectu viri ad annuam solvendam coacti, licet ipsis applicentur, sic disponente art. 341c, sub alinea 2°, prohibitiones matrimoniales art. 161 et 162; ipsis potius agnoscere videtur legislator filiationis verosimilitatem, in qua nitatur legale jus alimenta impetrandi (2).

b/ Reliquæ proles reputantur, coram nostro foro civili, tanquam mere extraneæ respectu parentum, si forte cognoscantur (3), nec ab hisce quidquid exigendi jus legale habent. Ex alia parte fruuntur dispositionibus juris communis, adeo ut ipsis fieri possint a parentibus donationes inter vivos ac post mortem, quin obnoxiæ sint dispositioni exclusoriæ art. 908.

B. Proles **adulterinæ** vel **incestuosæ** jus habent a

---

(1) « La quotité de cette dette alimentaire n'est pas fixée par la loi. Le mot *pension* a été préférée au mot *contribution*, pour bien marquer que parfois le père pourra être condamné à fournir la totalité du coût de l'entretien. Dans la détermination, les tribunaux devront surtout s'inspirer des conditions et des exigences du milieu social où l'enfant est destiné à vivre et à grandir ». Claeys-Boúúaert, l. c., p. 277.

(2) Sunt jurisperiti qui hanc legalem obligationem viro injunctam alimenta præbendi aliunde derivandam censeant: quasi scil. ad illud a lege cogeretur in sanctionem et pœnam actionis illius qua se exposuerit discrimini paternitatem incurrendi; est hæc theoria *théorie du risque-paternité* nuncupata, cui inter alia minus favet invocata illa dispositio art. 341c, 2° alinea. Cf. Leclercq, o. c., p. VI, XXXI ss. et XLV s.; Claeys-Boúúaert, l. c., p. 276 s.

(3) Attende proles hujusmodi erga neminem habere filiationis relationem, etiamsi in registro nativitatem referente matris nomen inseratur. Etenim, uti notatur apud *Pasicrisie*, 1910, III, p. 243, « la filiation naturelle n'existe que lorsqu'elle est constatée par une reconnaissance. L'acte de naissance d'un enfant *naturel* ne prouve qu'une chose, c'est que l'enfant est né; il ne prouve pas sa filiation ». Dispositio art. 319 circa valorem probativum registri status civilis respectu filiationis, spectat unicè prolem *legitimam*.

parentibus exigendi *alimenta* (art. 762); sed, attenta dispositione art. 908, ipsis applicanda, non possunt quid ultra accipere, per modum liberalitatis, adeo ut, in odium adulterii et incestus (1), priventur beneficio juris communis (2). Sunt autem obnoxiæ dictæ proles prohibitionibus matrimonii, de quibus in art. 161 et 162.

A. De Smet.

V

Q. *Indica nonnulla subsidia ad nutriendum spiritum fidei.*

R. I. **Imprimis oportet removere impedimenta.**

Impedimenta præcipua sunt :

1° *Vita mala aut sensualis.*

« Habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, *circa fidem naufragaverunt* » (1 Tim. I, 19, et cf. 2 Petri II, 12 ss.). — « Radix omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes *erra-*

---

(1) Profectò severa est lex nostra erga hujusmodi miserandas proles, ipsis ex una parte sola alimenta indulgendo, eisque ex alia parte omne jus denegando, uti vidimus, provocandi legalem agnitionem ex parte parentum, aut etiam actionem inducendi de qua sub art. 340b .

Non defuerunt quidem oratores coram comitiis publicis, sub discussione legis anni 1908, qui faverint mitiori disciplinæ in codice Germanico nuper inductæ ; sed contraria solutio prævaluit, invocato motivo ordinis publici. « Le principal motif, uti notat laudatus Claeys-Boúúaert, l. c., p. 282 s., qui milite contre l'assimilation des enfants incestueux ou adultérins avec les enfants simplement illégitimes, réside dans la nécessité de défendre les familles et l'ordre social. Le respect dû à l'institution du mariage, la sauvegarde de la foi jurée, la paix et l'honneur des familles sont hautement intéressées à ce que la loi ne favorise aucune mesure qui puisse être interprétée comme une admission, fût-elle incomplète, des fruits de l'inconduite au foyer domestique ».

(2) Ex prænotatis liquet rarò locum esse applicandæ huic severæ disciplinæ, cum rarissimè legaliter constet de filiatione adulterina vel incestuosa qua tali : proles reipsa natæ ex adulterio vel incestu, sed qua tales non legaliter recognitæ, tractantur sicut proles simpliciter naturales, ad tramites dictorum sub A.

verunt a fide » (1 Tim. VI, 10). — « Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei » (1 Cor. II, 14).

Et Dominus ipse dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Mt V, 8). Cfr. *Imit. Christi,* L. II, c. 4.

2° *Consortia periculosa cum personis aut libris.* Cf. 2 Cor. VI, 14 s.; 2 Tim. IV. Signanter quoad libros, hodie præsertim, sectanda est severitas relate ad nos ipsos et ad alios (1).

3° Quædam indicat Pius Pp. X in Encyclica *Pascendi* 8 sept. 1907: videlicet causæ morales remotæ Modernismi (qui est collectus omnium hæreseon) sunt *superbia et curiositas* (2). Ex superbia oritur nimia libertas cogitandi, loquendi ac scribendi. Causa vero intellectualis ejusdem erroris est *ignorantia maxime philosophiæ scholasticæ* (3).

Hæc quæ dicimus de removendis impedimentis rectæ fidei conservandæ et augendæ confirmantur exemplo Scribarum et Pharisæorum tempore Christi, necnon hæreticorum et apostatarum omni fere tempore Ecclesiæ (4).

II. **Subsidia positiva.**

1° *Oratio.*

Imprimis *petitio: Adauge nobis fidem* (Lc XVII, 5, coll. Mc IX, 23). In specie urgeatur gratia Baptismi (illuminatio) et Confirmationis (firmitas); imo Ordinis, ut rite fungamur ministerio doctrinæ.

Deinde *oratio mentalis.* Hæc, uti manifestum est, multum conducit ad nutriendum spiritum fidei (5):

---

(1) De cautione adhibenda in lectionibus agit Pii Pp. X *Exhortatio ad Clerum catholicum* (in ed. a nobis parata ap. Beyaert, 1908, p. 56); contra scripta Modernistarum encycl. *Pascendi* ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 679 ss., coll. *Motu proprio* 1 sept. 1910, *ibid.*, t. XV, p. 551 ss. et cf. p. 713.

(2) Cf. Mt XI, 25; *Imit. Christi*, L. IV, c. 18.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 672, et encycl. *Communium rerum* 21 aprilis 1909, *ibid.*, t. XIV, p. 320 ss.

(4) Lege A. Roelandts, S. J. *Brief aan M. F. Bonte, gewezen Aalmoezenier.* Antwoord op *Van Fabel tot Waarheid.* Rousselare, De Meester, 1909.

(5) Oratio mentalis ordinarie complectitur tum considerationem mentis

meditatio enim assidua mentem implet principiis fidei atque convictionem producit intimam (1); *pars affectiva* multum juvat fidem: nam *charitas omnia credit* (1 Cor. XIII, 7), et ipse Dominus dixit: « Qui diligit me, diligetur a Patre meo: et ego diligam eum, *et manifestabo ei meipsum* » (Jo. XIV, 21); denique *proposita* præparant vitam conformem principiis fidei (2).

Meditationi addantur studium pium et lectio spiritualis (3).

2° *Devotio erga Ecclesiam.*

Tria sunt quæ impugnantur a Modernistis: « Scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum » (4). Ne deficiat fides nostra, ut vero potius firmetur ac augeatur, illa tria amplectamur ac foveamus, et potissime discamus in omnibus *sentire cum orthodoxa Ecclesia*, ut ait S. Ignatius de Loyola (5).

3° *Exercitium virtutis fidei.*

Hoc exercitium fit frequentando actus fidei tum explicitos tum implicitos (6). Signanter exerceamus nos ad vitam fidei: judicia et cogitationes, sermones et actiones regamus juxta principia fidei (7).

---

seu meditationem proprie dictam, tum affectus cordis, tum proposita voluntatis. H. Mahieu, *Probatio charitatis*, Brugis, Beyaert, 1910, p. 431; *Het Brood des Levens*, 3de uitg. (1910), bl. 158; *Le Pain de Vie*, 2e éd. (1911), p. 209.

(1) Hic applicatur lex psychologica, de qua *supra* hoc t. XVI, p. 268, nota (3).

(2) De meditatione quotidiana vide Pii Pp. X *Exhortationem cit.* (in edit. nostra cit., p. 40).

(3) De lectione pia cf. *ibid.*, p. 52.

(4) Encycl. *Pascendi*, ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 674.

(5) Cf. H. Mahieu, *Probatio charitatis*, p. 245. — Sane ipse Modernismus suo modo confirmavit necessitatem auctoritatis doctrinalis in Ecclesia Christi; quam necessitatem etiam affirmarunt recentius quidam Protestantes conversi, ut Krogh-Tonning in Scandinavia, von Ruville in Germania et R. Hugh Benson in Anglia.

(6) Puta in recipiendis vel ministrandis Sacramentis, et generatim in omni exercitio cultus sacri.

(7) Cf. *supra* hoc t. XVI, p. 266 ss. — Valde utile examen circa vitam

Ut patet, hujusmodi exercitium non est opus unius diei, sed institui debet ex professo per tempus satis diuturnum, ita ut fiat vera *probatio* (1); ac deinde post habitum acquisitum renovatio identidem fieri debet per meditationem et examen particulare.

Quoad vitam fidei ducendam assumi potest regula practica, quam proponebat suis alumnis S. Vincentius a Paulo: Quid nunc cogitaret, sentiret, loqueretur, ageret ipse Christus?

Notare adhuc juvat ad nutriendum spiritum fidei bene utilem esse *zelum propagandi fidem*.

H. Mahieu.

VI

Q. *Interpretare hanc legem Ritualis Romani « negatur... ecclesiastica sepultura seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat), nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ ».*

Prænotanda.

« Suicidæ, in laqueum diaboli incidentes, gravissimam injuriam Deo auctori vitæ ac Domino irrogant, semetipsos exponunt manifesto et immediato æternæ damnationis periculo, cognatis et notis diram afflictionem et proximo perniciosum exemplum præbent, propriumque nomen et memoriam fœdissima infamiæ nota deturpant » (2).

Ideo, juremerito, suicidium voluntarie patratum a societate christiana ut crimen est habitum et in odium tanti facinoris pœna vindicativa privationis sepulturæ ecclesiasticæ punitum (3).

---

fidei invenies apud H. Van den Berghe, *Ordo Missæ*, Brugis, 1900, p. 193 ss.; lege etiam Ill. ac Rev. Waffelaert, *Alloc. prosyn.* a. 1905 (*Collat. Brug.*, t. X, p. 409), et a. 1907 (*ibid.*, t. XII, p. 377).

(1) Quid sit probatio et quomodo instituenda sit exposuimus in opere cit. *Probatio charitatis*, p. V ss. et p. 7 s.

(2) *Conc. Americ.-Latin.*, 1899, can. 760, Romæ 1901; *Catechismus Romanus Trid.* Pars III, ad V præceptum Decalogi, nº 11.

(3) Quoad historiam hujus pœnæ, tum in jure civili tum in jure

Jam in antiquitate pagana honore funerum censebantur indigni, qui, injuriam facientes in naturam et in jus Status, sibi mortem ascivere. Dum, tempore medii ævi, concordes incedebant Status et Ecclesia, legislatio ecclesiastica sancita fuit a legibus civilibus, additis pœnis severioribus. Ceteroquin, usque ad sæculum XIX suicidæ, æque ac homicidæ, ut publici criminosi fuerunt a jure civili habiti, eorumque fama probrosa sepultura fœdata. Sed ab illo tempore, adeo invaluerunt falsus humanitarismus, erroresque circa libertatem humanam et imputabilitatem suicidii, ut hoc crimen fere in omnibus regionibus (1) e codice pœnali fuerit erasum, vitatumque fuerit quidquid in dedecus tam suicidæ quam ejus familiæ vergere posset (2).

Ecclesia, intendens horrorem hujus facinoris in dies magis crebrescentis (3) fidelibus injicere, simulque prospiciens honori eorum qui inculpabiliter vitæ suæ vim inferrent, merito inscriptam in jure retinuit pœnam irrogatam a *Rit. Romano* contra eos qui sibi vitam arriperent ex desperatione, non vero si id ex insania accidat (4).

Quoad hujus legis interpretationem (5) applicanda

---

ecclesiastico, cf. M. Inhofer, *Der Selbstmord, histor.-dogmat. Abhandlung*, Augsburg, 1886; *Archiv für katholischen Kirchenrecht*, t. LXI, p. 225 ss.; LXII, p. 386 ss.; LVI, p. 3 ss., 201 ss.; *Stimmen aus Maria-Laach*, 1882, t. XXIII, p. 273 ss.; *Staatslexikon*, 2 édit., v° Selbstmord, t. IV, col. 1379 ss.; Lex, *Das kirchliche Begräbnisrecht*, p. 310 ss., Regensburg, 1904.

(1) Exceptis Hispania, Bavaria, Anglia.

(2) Cf. *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 1909, t. LXXXVIII, p. 377 ss.; *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 387 ss.; *Collat. Namurc.*, 1905-1906, t. V, p. 11 ss.

(3) Circa frequentiam suicidiorum, cf. *Staatslexikon, l. c.*, col. 1389; *Theologisch-praktische Quartalschrift*, 1909, t. LXII, p. 55.

(4) Etsi Ecclesia ab initio suicidium *voluntarium* tantummodo puniebat, mitiusque in suicidas quam Status procedebat, exceptionem insaniæ in *Rit. Rom.* prima vice expressit. Hanc exceptionem admiserunt dein Concilia particularia plura, cf. Lex, *o. c.*, p. 322 s. Multa ad hæc justificanda afferri possunt; ita: praxis mitior præcedens legislationem, ignorantia artis medicæ circa morbos mentis, opinio vigens quod amentes habendi essent ut obsessi a dæmone, cf. *Archiv. f. kath. Kirchenr.*, 1891, t. LXVI, p. 202 s.

(5) *Collat. Brug.*, t. I, p. 535 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 785; Capellmann, *Medicina pastoralis*, ed. lat. 4, p. 61, Bruxelles, 1900; Lex, *o. c.*, p. 329 ss.; Hollweck, *Die kirchlichen Strafgezetse*, p. 253, § 164, Mainz 1899; Alberti, *De sepultura*

veniunt principia superius tradita circa negationem sepulturæ ecclesiasticæ (1).

I. Suicidium debet esse *publicum* seu notum communitati.

II. Ut hæc pœna vindicativa et probrosa et proinde *strictissimæ interpretationis* juste applicari valeat, debet constare de facto specifico in lege notato et de ejus certitudine.

Proinde occisio sui, actione aut omissione perpetrata, debet esse *certa*, *de se completa*, *graviter culpabilis*, *directe intenta*, *nec signis pœnitentiæ reparata*.

A. *Certa*. Oportet ut suicidium materiale et formale indubium sit, seu ut sit constitutum quod aliquis sciens et volens, propriis manibus sibi vitam eripuit. Si quis ergo in flumine vel mari (2) submersus, laqueo suspensus aut ferro confossus reperiatur, non est privandus sepultura ecclesiastica, nisi evidentibus indiciis suicidium probetur, cum in dubio nemo hoc crimine reus præsumatur.

B. *De se completa,* effectu secuto, ita ut mors ex actione sui occisiva sequatur. Hanc pœnam proinde non incurreret qui, intendens ictu sclopeti ad mortem sese ferire, se tantum graviter vulneraret, et postea, sequelis operationis chirurgicæ ad plumbeam glandem extrahendam necessariæ, moreretur.

C. *Graviter culpabilis*.

Ideo requiritur ea scientia et libertas quæ adesse debet ut peccatum mortale sit plene deliberatum. Pro

---

ecclesiastica, p. 1 ss , Romæ 1901; CAVIEZEL, *Zwei Selbstmörder* in *Theol.-praktische Quartal-Schrift,* 1909, t. LXII, p. 55-74.

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 269 ss.

(2) Cf. *Acta Congreg. Prosynod.* 1866, art. 1: « Non est cur recedatur a regula in diœcesi vigente juxta quam illa tantum naufragorum corpora e mari jecta terræ sanctæ mandari possunt, quæ aliquod saltem catholicæ religionis indicium præ se ferunt vel fundatam præsumptionem ingerunt. » Cf. *Coll. Ep. Pastor.*, t. XI, p. 139; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, nº 789 bis; *Theol.-prakt. Quart.-Schrift, l. c.*, p. 71. Cf. postea dicenda de casu dubii.

foro externo tamen indeliberatio debet probari. Ita, v. gr., ex defectu scientiæ (1) excusaretur a pœna incurrenda suicida neoconversus, qui, uti factum narratur in regionibus missionum, audierat missionarium dicentem melius esse mori quam fœdari, optimum esse putavit sese interimere ut omne peccatum vitaret (2). Item, ex defectu voluntatis insufficienter deliberatæ, excusare possunt, juxta adjuncta concreta casuum, vis et metus (3). Hac de causa frequentius excusabuntur pueri, puellæ, milites qui ad vitandas injustas vexas sibi a superioribus moleste incussas sese occidunt (4).

Tollit voluntarium *insania*, iique morbi qui usum rationis præpediunt, non vero generatim *desperatio* vel *iracundia*.

Hodierna die, multi medici, moralistæ et juristæ, falsæ philosophiæ placitis decepti, negant regula generali imputabilitatem suicidii eo quod homo adeo natura feratur ad vitam conservandam et instinctive abhorreat a cruciatibus, præprimis propria manu inflictis, ut suicidium semper in statu insanæ mentis commissum dici debeat (5). Jure merito hanc theoriam rejicit Ecclesia. Ipsa, admittens exceptionem insaniæ, merito judicat ipsos infelices, qui ex iracundia aut desperatione sibi manus inferant, frequenter agere ex malitia aut ignavia culpabili voluntatis et indolis, cum illæ animi depressiones dici nequeunt causa motus, cui resisti non possit, adjuvante præsertim religione, fiducia in Deum, fide in immortalitatem animæ, in futuræ vitæ æterna præmia aut supplicia (6).

Hinc, in foro externo, suicidium generatim imputabi-

---

(1) *Collat. Brug.*, t. IV, p. 36 ss.; XII, p. 719 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1376.

(2) *Theol.-prakt. Quart.-Schrift, l. c.*, p. 60.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1377.

(4) *Theol.-prakt. Quart.-Schrift, l. c.*, p. 63 ss.

(5) *Staatslexikon, l. c.*, col. 1380; *Collat. Brug.*, I, p 535.

(6) Capellmann, *o. c.*, p. 61 ss.

tur ad pœnam illi, qui ob honorem læsum, jacturam bonorum, amorem vesanum et infelicem, tædium vitæ ex libidinosis passionibus deceptis, vel ad scandalum vitandum, justitiam humanam effugiendam, graves corporis dolores finiendos, propria actione aut omissione sibi mortem conscivit. Excipiendus foret casus, certis indiciis probandus, quo quis desperatione aut iracundia arreptus, sese interimeret ex motu irresistibili (motus primo primus) qui omnem reflexionem impediret.

E contra, suicidium proveniens ex morbosis aut hereditariis corporis aut animæ dispositionibus, ex insania, melancolia, idæis fixis, monomania suicidii, tabe hereditaria, ebrietate perfecta, non secum traheret inflictionem pœnæ ecclesiasticæ (1).

Jam vero ad dignoscendum, modo concreto (2), utrum suicidium procedat ex causa culpabili aut inculpabili varia sunt consideranda:

a/ Motiva subjectiva quæ impulerunt suicidam ad actum; num fuerit amissio fortunæ, famæ, effrenata libido, morbus etc.;

b/ Anteacta vita suicidæ; si probe et religiose vixerit aut vita ejus dissipata ansam dederit crimini;

c/ Modus quo suicidium patratum fuerit. Quo crudelior et incertior mors, eo minor admittenda videtur deliberatio;

d/ Morbi et tabes per hereditarias successiones tradita et adaucta;

e/ Testimonium consultativum medici catholici de statu mentis sano vel insano. Hoc prudenter insertum reperitur in legibus particularibus: « Parochus.., habet Instructio Pastoralis Eystettensis (3), nisi ipse ex adjunctis personarum et locorum vel ex testibus fide dignis suum judicium efformare possit, a medico testi-

(1) *Ibid.; Theol.-prakt. Quart.-Schrift, l. c.*, p. 65 ss.
(2) *Ibid.*, p. 69 ss.
(3) n° 150, 5°, p. 143 s., Friburgi-i-Br., 1902.

monium exigat, quo præcise confirmetur, quod suicidium in casu aut sit aut non sit ea cum præmeditatione commissum, quæ sufficiat, ut actus moraliter possit imputari. Juxta tenorem hujus testimonii, quod semper strictis et præcisis verbis imputabilitatem aut non-imputabilitatem supradictam continere debet, parochus ecclesiasticam sepulturam aut negabit aut concedet. »

Quodsi judicium de insana mente suicidæ natum est provocare admirationem plebis, publicandum est (1).

D. *Directe intenta.* Eo quod a plerisque (2) requiritur intentio sese occidendi seu suicidium in se voluntarium, non incurrit pœnam, qui absque prædicta intentione in manifestum vitæ periculum sese conjiceret et ita periret. Hæc enim actio, utut peccaminosa ex gravi temeritate et non verificata causa sufficienti, non vocari potest suicidium stricte dictum. Nec sufficeret quod causa irresponsabilitatis sit voluntaria et graviter culpabilis, absque intentione suicidii; si, v. gr., amens sese jugularet, dum amentia procedit ex vita luxuriosa quæ vires corporis et animi fregit; ille non esset privandus sepultura ecclesiastica, nisi probaretur ipsum intendisse morbum ad suicidium.

Etsi theoretice fingi posset casus illius qui, ex mala vita morbum mentis et ex hoc suicidium prævideret, ita ut actus suicidii sic prævisus dici possit voluntarius in causa; tamen practice conditiones imputabilitatis suicidii ægre verificabuntur, cum sit actio omnino transiens, et difficulter in foro externo constituentur.

E. *Nec signis pœnitentiæ reparata.* Nec requiritur ut

---

(1) Cf. decretum 4 Congr. Prosynod. anni 1888: « Ad incutiendum suicidii horrorem, quantumvis constare videatur de indeliberatione admissi criminis, sepultura ecclesiastica suspendatur, donec Episcopus intervenerit. » *Collect. Epist. Pastor.*, t. XV, p 19 s.

(2) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 785; *Collat. Brug.*, t. I, p. 535; *Theolog.-prakt. Quart.-Schrift, l. c.*, p. 60; *Pastorale Brugense:* « Qui sana mente *ex intentione* seipsos occiderunt » v. *Collect. Epist. pastor.*, t. II, p. 303. — Contra Lex, *o. c.*, p. 331 ss ; *Pastor Bonus*, t. XII, p. 22.

moribundus pœnitens sacra exeuntium sacramenta recipiat; nec sufficit concessio absolutionis conditionatæ suicidæ destituto sensibus, quin dederit signa pœnitentiæ.

III. Frequenter remanet *dubium*, num aliquis propria aut aliena manu occisus fuerit; num adsint causæ sufficientes excusationis a culpa et a pœna ex capite metus aut vis; num suicidium sit ex desperatione aut amentia; in hoc casu, juxta *Rit. Rom.* et statuta particularia (1) consulendus est Episcopus, qui, inspectis regulis juris et adjunctis facti, judicabit num negari aut permitti possit sepultura ecclesiastica, et si permittatur, num concedenda sit cum consuetis solemnitatibus aut absque pompis exsequiarum (2). Juxta antiquos canonistas, decreta plurium Conciliorum particularium et decisiones Romanas (3), sepultura ecclesiastica dari debet absque solemnitatibus funerum, quando dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit *ob desperationem vel insaniam*. In aliis casibus idem modus agendi adhibebitur, quoties ex concessione sepulturæ ecclesiasticæ timetur scandalum aut admiratio plebis, dum insufficienter pandi queunt rationes hujus concessionis.

A. De Meester.

---

(1) Cf. *Collat, Brug.*, t. XVI, p. 270 s.

(2) Quoad sonitum campanarum, numerum sacerdotum, copiam luminum missam exsequialem.

(3) Cf. Lex, *o. c.*, p. 324 ss.; Alberti, *o. c.*, p. 2 s.; *Theol.-prakt. Quart.-Schrift, l. c.*, p. 71; *Instructio Eystetten., l. c.*, p. 124; Conc. Amer.-Latin., can. 923; Causa S. C. Epp. et Regg. 7 aug. 1835, ap. Bizzari, *Collectanea in usum secretariæ S. Congreg. Epp. et Regg.*, p. 58 ss., Romæ 1863; Causa 16 maii 1866, ap. Collectanea S. C. de Prop. Fide, nº 1605, Romæ 1893.

Sacra Congregatio de Religiosis

Decretum quoad Laicos Ordinum Religiosorum (1).

1 Januarii 1911.

Sacrosancta Dei Ecclesia Ordines Religiosos decorandos voluit solemnitate votorum, quo status prosequentium in eis evangelica consilia fieret æstimatione et effectu in christiana societate stabilior. Ad quæ vota solemniter profitenda eos quoque admittit, qui nulla Sacerdotii Christi participatione donati, Conversi seu Laici vocantur.

Quum vero per votorum solemnitatem prorsus irrevocabili, arctissimo et publico nexu mancipetur homo divino servitio coram Ecclesia et fidelibus universis, decet omnino, ut qui, hac ratione, Christi vestigia se propius ac perpetuo secuturos spoponderunt, ii fideliter in sua promissione perseverent. Quod præsertim de Laicis seu Conversis dicendum est, quos nonnisi admiratione summa et scandalo cernerent fideles, post solemnem professionem ad sæcularia vota redire, nullo a se vitæ prioris signo distinctos.

Spiritus autem temporum, qui omnimodam libertatem infausto vindicat hominibus, sancta quoque Monasteriorum septa est furtim prætergressus; idque etiam effecit, ut cum desiderio vitæ humilioris, absconditæ in Christo, qualis Conversorum solet esse in Cœnobiis, propositi perseverantia simul imminueretur, in iis præsertim Laicis, quos forsan religiosos potius fecerat necessitas, quam voluntas, vel quos Superiores absque debitis cautelis exceperant, vel quos acceptis a Deo beneficiis abuti contigerat. Hos, parvi facientes verba Sancti Augustini: *Nec ideo te vovisse pœniteat, imo gaude jam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus et dicta imple factis; ipse adjuvabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit* (S. Aug., *Ep.* 127, 8), mater Ecclesia, studens minori malo, licet non sine magna commiseratione, aliquando permisit abire.

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis*, 1911, t. II, p. 29-37.

Ut igitur dignitas votorum, quæ etiam Laici solemni ritu promittunt, in laude, qua in Ecclesia merito gaudent, perseveret, et ad sanctum vocationis propositum impensiore cura provehendum, nostra difficillima ætate, hæc Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium præposita, rem attentissime in Domino consideravit, discussis sedulo causis, propositisque mediis ac remediis; sententiamque expetivit quum Moderatorum Generalium præcipuorum Ordinum, tum plurium ex suis Consultoribus. Quæ omnia Emi Patres Cardinales Sacri ejusdem Consessus, in Plenario Cœtu, die 29 Juli anno 1910 ad Vaticanum habito, diligentissime perpendentes, quædam statuenda rati sunt, quæ Laicorum ingressum, tyrocinium, institutionem, votorum emissionem in posterum opportune moderentur.

Hæc igitur erunt apprime servanda ab omnibus Religiosis Familiis, apud quas a Conversis quoque solemnia vota nuncupantur, nimirum:

1. Moderatoribus Generalibus facultas fit permittendi toties quoties Superioribus Provincialibus, ut excipere valeant eos quoque juvenes, ad Laicorum munia destinatos, qui vix expleverint decimum septimum ætatis annum, servatis servandis.

2. Nemo ad Novitiatum admittatur, qui per duos saltem annos, vel per plures, si magis diuturnum experimentum Constitutiones Ordinis præscribant, postulatum non expleverit, sub pœna invalidæ postea professionis.

3. Novitiatus ante vigesimum primum ætatis annum initium non habeat, ad tramitem juris vigentis; isque unum vel etiam duos annos perduret, juxta proprii Ordinis Constitutiones.

4. Expleto Novitiatu, servatisque quæ servanda sunt, Laici admitti possunt ad simplicem votorum professionem, quæ quidem, perpetua ex parte voventis, sit ad tempus sexennii ex parte Ordinis.

5. Absoluto sexennio votorum simplicium et expleto trigesimo ætatis anno ac non prius, sub pœna item invaliditatis, servatisque pariter servandis, Laici vota solemnia nuncupare poterunt.

6. Quæ in præcedentibus articulis respiciunt professionem votorum simplicium et solemnium erunt quoque servanda

quoad Laicos nunc in Cœnobiis viventes, qui solemnem professionem nondum nuncuparunt.

Spatium hoc sat diuturnum novem annorum sperandum est, fore ut quum Superioribus tum tyronibus opportunitatem det explorandi illinc voluntatem, hinc vitæ institutum, ad quod postea solemniter amplectendum, virtute firmior, potest homo maturius afferre judicium.

Hæc autem aliquam, non tamen omnino firmam darent perseverentiæ spem, nisi ea comitentur sequentes et aliæ id genus cautelæ et industriæ, quas Apostolica Sedes, decursu sæculorum, edixit vel adhibendas suasit, et observantiores Familiæ Religiosæ laudabili consuetudine et felici exitu expertæ sunt.

Et in primis quoad Conversorum receptionem, multæ sunt eæque sedulæ adhibendæ cautelæ et inquisitiones præmittendæ. Provincialis indaget oportet de legitimitate natalium, de morum honestate, de optima coram populo fama, de idoneitate tyronum, ac præsertim de natura finis, quo ipsi aguntur, amplectendi statum Religiosum. Plures enim sunt, qui Religionem ingressi, non videntur commoda dereliquisse, sed quærere; qui quærunt *in Monasterio quæ nec foris habere potuerunt* (*Reg.*, S. Aug., c. I, 3), quique facilem vitam curarumque expertem, immerito nominis honore, gerere cupiunt. Hi sane non sunt, quibus cum Sancto Augustino exclamare fas est: *Quam suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat!* (S. Aug., *Conf.*, l. 9, c. 1). Erunt quidem hi habitu Religiosi, non virtute, quos rectius fuerat in sæculo ambulasse per plana, quam ad altiora tendentes forsan in discrimen suam æternam vocare salutem.

Quos factæ, etiam secreto, inquisitiones et exhibita documenta serio commendaverint, ii tantum, præhabita de more majorum Superiorum licentia, ad Postulatum admittantur.

Satis exploratum est, habet Clemens VIII in Instructione *Cum ad regularem* (n. 22), super receptione et educatione Novitiorum, *perfectam educationem* Conversorum *tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus ædificationem, exemplum atque utilitatem afferre.* Necesse igitur est, ut statim ab ipso initio eorum animum spiritus Religiosus et Ordinis totum pervadat. *Qui disciplinam in novæ conversationis initio*

negligit, ad eam postmodum difficile applicatur, et formam, quam primo quis recipit, vix deponit (S. Bonaventura, *in Spec. Disc.*, prolog. n. 1).

Ad hoc assequendum præficiatur Postulantibus Pater, quem et ætas probaverit et vita, cui dicit sanctus Bernardus: *Zelum tuum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia* (S. Bernardus, Serm. 20, n. 4, Cant.), et de quo Sanctus Gregorius Magnus scripsit (*Reg. Past.*, p. 2 c. 6): *Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas et patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa... Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur.*

Sæpe ab ipsa civili educatione initium ducendum est; quum inferioris soleant esse fortunæ qui Laicorum numero petunt adscribi. Inurbanitas in agendi modis, in responsionibus dandis, in incessu, in ipsa corporis sumenda refectione, erit paulatim, sed omnino, evellenda. Sordidi habitus, quos sibi non amor humilitatis et contemptus mundi sollicite elegit, sed rudis negligentia fœdavit, non olent spiritum Christi, ideoque non semper bene de iis, quorum corpora tegunt, annuntiant. Corporis habitusque mundities, comite semper modestia ac simplicitate, erit summopere curanda. Quas item in mundo civilis educatio moderatas regulas constituit humani consortii, eas caritas quoque fraterna adhibendas suadet etiam in Cœnobiis, quum caritatis sit, quidquid proximum perturbare potest, attente defugere. Inurbanitas autem, quæ ex studio sui commodi procedit cum aliorum neglectu, non potest quin molestiam aliis inferat detque occasionem patientiæ.

Externe hæc sese habendi compositio viam sternit animo plenius educando, iis scilicet nobilibus sensibus infundendis, quibus mens trahitur ad aliorum levem quamque offensionem vitandam, desideria prævenienda, gratum animum facile demonstrandum, alios sibi præferendos.

Hæc tamen singula informet oportet, regat ac nobilitet caritas Christi, ita ut quidquid verbis, operibus, omissionibus nostris laudabile est ac proximo gratum, procedat ex corde pleno caritatis.

Quæ omnia, si Laicos decent, summopere eminere debent in Sacerdotibus et iis, qui ad sacerdotium erunt promovendi, quorum igitur Laici intuentes exempla, pertrahantur non solum ad virtutis, sed etiam ad modestæ urbanitatis tramitem prosequendum.

Monitis, hortamentis, patientia ac præsertim exemplo, rudiorum quoque non erit difficile in urbanos et amabiles ita convertere mores ac modos, ut, non multo post eorum ingressum in Religionem, de ipsis repetere liceat illud Sancti Bernardi: *Induerunt sibi faciem disciplinatam, et bonam totius corporis compositionem... sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum, quia hæc noviter cœpere, ipsa sui novitate flores censenda sunt et spes fructuum, magis quam fructus* (Serm. 63, in Cant. n. 6).

Fructus hos quidem gignet institutio spiritualis, cui toti sint cum Postulantibus Præpositus, et cum Novitiis Magister. Laicorum profectum in viam sanctitatis faciant ipsi opus et lucrum suum, opus et lucrum sane nobile et ingens.

Ad normam Decretorum Apostolicæ Sedis, eis explicent universam doctrinam christianam, præsertim quoad sacramenta confessionis et communionis rite et fructuose percipienda, præ oculis habentes Catechismum Concilii Tridentini ad Parochos. Simul eos doceant, quasnam obligationes secum trahat votorum professio, quid exigant votis respondentes virtutes. Eas quoque explanent Regulæ et Constitutionum partes, quæ ad Conversos pertinent.

Habeantur statis diebus collectiones seu sermones ad Laicos, non tantum vero ad novos, sed ad omnes, seniores quoque votorum professione et ætate; quibus collectionibus seu sermonibus argumentum sint non solum catechismus, vitæ spiritualis monita, Regulæ et Constitutionum explanatio, verum etiam normæ practicæ et exempla modestæ moderatæque urbanitatis.

Laicorum autem animum iis virtutibus ac præsidiis Superiores roborare satagant, quæ Laicorum status, præcipua quadam ratione, reposcit, nempe humilitate, obedientia, spiritu orationis ac sanctificatione laboris.

Et in primis, exteriorem et cordis humilitatem studeant assequi Laici. *Nec aliam tibi... viam munias, quam quæ munita est ab illo, qui gressuum nostrorum tamquam Deus vidit infirmitatem.*

Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas: et quoties interroges, hoc dicerem (S. Augustinus Ep. 118, n. 22). Nam, ut habet divus Bernardus (*De Cons.* l. 5, c. 14, n. 32): *Virtutum.... stabile fundamentum, humilitas...; si nutet illa, virtutum aggregatio nonnisi ruina est.* Quod ita explicat Sanctus Thomas: *Humilitas primum locum tenet, inquantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, et præbet hominem subditum et semper patulum ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ, inquantum evacuat inflationem superbiæ; ut dicitur* Jac. IV, *quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; et secundum hoc, humilitas dicitur spiritualis ædificii fundamentum* (II. II. q. 161, art. 5, ad 2)

Quum vero *ad veram humilitatem inducat frequens in despectis operibus exercitatio, dicente Sacra Scriptura quod numquam ad humilitatis virtutem perveniet qui opera humilitatis refugit* (B. Alb. M. *de Par. Animæ* c. 2), muneribus quibus funguntur, eo potissimum debent gaudere Laici, quod humilitatis exercendæ et augendæ veluti indeficientem habeant opportunitatem.

Excellat quoque in Laicis obedientia. Noverint in ea nullum esse peccandi periculum; cum ea, certissima est victoria, inexpugnabile tutamen, merita plurima, pax summa. Sit autem oportet munita supernaturalibus motivis. Juxta Sanctorum documenta, rectores nostri sunt vicarii Dei super nos. Et ideo debemus eis sicut Domino obedire et non sicut hominibus, quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subjacemus. Ac Sanctus Gregorius Magnus docet: *Vera namque obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit .... Qui obedientiæ bonum exsequitur, non injunctum opus debet considerare, sed fructum.* (In I. Reg. l. 2, c. 4, n. 11). Quapropter Sanctus Bernardus merito improperat eorum obedientiam, qui *non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et dijudicant, eligentes in quibus obediant imperanti.* (In conv. S. Pauli, Serm. I, n. 6); et quos constat, juxta eumdem Sanctum Bernardum, *nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas (De præc. et dispensat.* c. 10, n. 23). Huic exercendæ virtuti validissimum dent auxilium et animum verba et exempla Christi Jesu, qui non desiit asseverare: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam. Non quæro*

voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ego quæ placita sunt ei, facio semper. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. Pater mi,.... non sicut ego volo, sed sicut tu (Joan. 6, 38; 5, 30; 14, 31; 8, 29; 4, 34; Matth. 26, 39); quique *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Philip. 2, 8).

Spiritus quoque orationis erit magnopere provehendus. *Orandi diligentia tibi in primis necessaria est: impenetrabilis enim armatura, certum perfugium, securus portus, tutissimumque asylum est oratio. Hæc una et mala omnia depellit ab anima, et bona omnia in illam invehit. Ipsam animam purgat, pœnam peccatis debitam submovet, præteritas negligentias sarcit, divinam gratiam impetrat, pravas concupiscentias extinguit, effrenatas animi passiones domat, hostes prosternit, tentationes superat, calamitates lenit, mœrorem fugat, lætitiam infundit, pacem conciliat, hominem Deo conjungit, conjunctumque ad æternam gloriam sublevat. Precando impetrabis quidquid utile tibi fuerit* (Lud. Blosius, *Canon vitæ spirit.*, c. 17, n. 1). Clemens VIII ad Conversorum religiosam institutionem id quoque præscripsit: *Pro eorum capacitate et commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt* (*Instr. super rec. et educ. Novit.*, n. 22).

Curandum igitur est, ut bene noscant Laici virtutem et exercitium orationis; ut statis horis orationi quum mentali tum vocali fideliter vacent; ut tempus ad hoc statutum in Constitutionibus Ordinis unice orationi integrumque dicent; nec satis sit eos meditationi operam dare, quum Missis inserviunt. Indagent autem Superiores, præsertim postquam Laici tyrocinium absolverint, utrum meditationi et orationibus incumbant.

Brevium quoque orationum, quas jaculatorias vocant, sit ipsis usus continuus inter diem. Compendiosa est enim via ad consequendam animæ unionem cum Deo, ad merita augenda, ad rectam intentionem servandam, ad tentationes præripiendas et superandas, ad omnia sanctitate extollenda.

Manuale opus, quod in Cœnobiis est munus Laicorum præcipuum, pariter sanctificent, non ad oculum servientes, non laudis expetentes præmium, sed unice voluntatis Dei ac Superiorum solliciti. *Quam pudendum et dolendum* est, *si delectat labor, ut... cuppa et sacculus impleatur... et non delectat, ut Deus acquiratur* (S. August., *De bon. vid.* c. 21). *Quanta apud Deum*

merces, si in præsenti pretium non sperarent! Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur! Minori labore margaritum Christi emi poterat (S. Hieron. ad Nep., *de vita cler. et monac.* 6).

Habeant tandem præ oculis monita Sancti Bonaventuræ: *Continue mentem tuam ita habeas ordinatam cum Deo, quod omne opus tuum atque exercitium tam mentis quam corporis sit oratio, omniaque servitia, et maxime humiliora cum tanto facias caritatis fervore, ac si ea Christo corporaliter exhiberes. Quod certe debes et potes veraciter cogitare, quoniam ipse dixit in Evangelio: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. — Scias indubitanter, carissime frater, quod nisi perfecte abnegaveris temetipsum, sequi non poteris vestigia Salvatoris et sine sollicitudine continua et labore ejus gratiam adipisci nequibis, et nisi assidue pulsaveris portas ejus, ingredi non poteris ad pacem mentis, et nisi te instanter in timore Dei tenueris, cito domus tua corruet in profundum.* (*Memorial.*, n. 19 et 25 conclus.).

Ad quæ omnia consequenda Laici sacræ mensæ assidui sint per frequentem, imo etiam quotidianam SS^mæ^ Eucharistiæ sumptionem ad normam recentiorum instructionum Apostolicæ Sedis. Itemque omnino peculiarem colant devotionem erga Deiparam Virginem Mariam, quam ut suam amantissimam matrem semper invocare, honorare et imitari conentur.

Curent quoque Superiores, ut Sacerdotes et Laici mutuam sibi summamque observantiam et caritatem adhibeant. Revereantur Laici Presbyteros, a quibus ministeria ac mysteria maxima accipiunt. Honorent Presbyteri Laicos et *studeant... de pauperum fratrum societate gloriari* (*Reg.* S. Aug., c. I, 5). Id meminerint Sacerdotes, plurimos in Religiosis Ordinibus Laicos, ab humilioribus occupationibus, quibus per vitam functi fuerant, ad altarium honores evectos et inter beatos Cœlites post mortem adnumeratos fuisse. Illud igitur genus vitæ in Laicis pia colant observantia, quod tam frequenti et mirificæ sanctitati aditum patefecit.

Ne gravitate munerum exercendorum in Conventu Laici superbiant, animo efferantur et parvi faciant ipsos Sacerdotes, officia graviora cujusvis generis ne demandentur eis, nisi necessitate cogente, idque fiat semper sub omnimoda dependentia et obedientia alicujus patris gravioris ætatis et consilii, cui agendorum et gestorum ipsi rationem fideliter reddant.

Hæc sufficiant de plurimis pauca.

Ceterum hæc Sacra Congregatio smmopere confidit, fore ut Superiores Generales omnium Ordinum Religiosorum ad simile vitæ studium pro viribus provocare nitantur suos Laicos. Sic eorum vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina. Nam *nil tam fixum animo, quod neglectu et tempore non obsolescat* (S. Bern., *de Cons.*, l. 1, c. 2). *In hoc enim differunt laudabiles religiones et jam dilapsæ, non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quod nullus impune peccare sinatur, et peccandi aditus studiose præcludantur, et incorrigibiles et alios inficientes eliminentur, et boni foveantur et diligantur, ut perseverent et in melius semper proficiant.* (S. Bonavent., *De sex alis Seraph.*, c. 2, n. 13).

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ X relatis, Sanctitas Sua ea rata habere et confirmare dignata est, contrariis quibuscumque non obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die 1 Januarii 1911.

L. ✠ S. Fr. J. C. Card. Vives, *Præfectus.*
† Donatus Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

Libri de philosophia

1. **Beysens J.** *Logica of denkleer*, 2de uitgave. Leiden, Théonville, 1908. In-8, 319 bl. Fl. 2,00.

2. **Gredt J.**, O. S. B. *Elementa philosophiæ aristotelico-thomisticæ*. Edit. 2a. Vol 1um. Friburgi Br., Herder, 1909. In-8, xxv-426 p. Fr. 9,25.

3. **Willems C.** *Institutiones philosophicæ*. Duo vol. Treveris, ex officina ad S. Paulinum, 1906. In-8, xxvii-578, xxviii-662 p. Mk. 7 et 8.

4. **de Lapparent A.** *La philosophie minérale,* Paris, Bloud et Cie, 1910. In-16, 316 p. Fr. 3,50.

5. **Garcia,** O. F. M. *Lexicon scholasticum philosophico-theologicum in quo termini, distinctiones et effata*

a B. Joanne Duns Scoto exponuntur. Ad claras Aquas (Quaracchi), ex typographia Collegii S. Bonaventuræ, 1910. In-4, LIV-1055 p. Fr. 20,00.

6. **Balmès J.** *L'art d'arriver au vrai.* Traduit de l'espagnol par E. MANEC. Nouvelle édition avec une introduction par J. C. BROUSSOLLE. Paris, Téqui, 1910. In-16, XXXVI-262 p. Fr. 2.

7. **De Groot** (J. V.) O. P. *Denkers van onzen tijd.* Amsterdam, Van Langenhuysen, 1910. In-8, 328 bl. Fl. 2,90.

8. **O'Dwyer** (episcopus Limericensis in Hiberniæ), *Il cardinale Newman e l'enciclica « Pascendi ».* Roma, Ferrari, 1908. In-8, 48 p.

9. **Sentroul** (Mgr). *Qu'est-ce que la philosophie* (Collection « Science et Foi »). Bruxelles, Action catholique, 1910. Fr. 0,50.

Quædam ex periodicis indicantur.

In libro cujus titulus « Denkleer », expedita oratione disserit cl. **Beysens** de præcipuis rebus quæ tum in *Logica formali*, tum in *Logica materiali* communiter traduntur, excepta gravissima quæstione de veritate et de certitudine, qua de re conscripsit A. speciale opus (1). Materia circa quam versatur tractatio quam hîc dijudicamus non magnis controversiis, nostris saltem diebus, occasionem præbet; quædam tamen inter auctores vigent discrepantiæ, de quibus quædam notari non inutile ducimus.

Insufficienter, nec accurate, ut videtur, exponit B. analogiam terminorum (p. 72); nec assentiri possumus ipsi distinguenti materialem ac formalem *veritatem* in *ratiocinio* (p. 132 ss., 193) (quem loquendi modum admittit etiam D. Willems, o. c., t. I, p. 56): veritas enim formaliter inest *judicio*, non ratiocinio (2) (cui competit *rectitudo*); in ratiocinio porro distinguenda est *consequentia* formalis et materialis (3), inde

(1) *Criteriologia*, Leiden, 1903.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 659 s.

(3) REMER, *Summa Prælectionem Philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1895, t. I, p. 72, s.; DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 64.

etiam dici potest *argumentatio* formalis ac materialis (quemadmodum loquitur P. Gredt, o. c., n. 55 (1). Apud B., o. c., p. 259 ss., 265 s., minus clare ac profunde inspicitur tum notio scientiæ, tum præsertim specifica diversitas scientiarum: quæ optime tractantur apud Gredt, o. c., n. 206-214.

Hisce prænotatis circa generalem notionem et divisionem Logicæ, opus D. Beysens in hoc distinguitur ab aliis et valde est laudandum quod quædam tractationes particulares proprio studio optimisque exemplis elucidavit ac quæstionibus hodie agitatis bene accommodavit: maxime commendanda sunt quæ scripsit de valore inductionis, p. 167-179; de usu et abusu statisticæ, p. 218-227; de sophismatibus, p. 228-250; de hypothesibus in acquirenda scientia p. 293-302 (2).

R. P. **Gredt** in o. c. philosophiæ aristotelico-thomisticæ rationem ac disciplinam ita tradere intendit ut a discipulis, explanatione magistri præmissa, possit facile non tantum intelligi, sed etiam memoriæ mandari. Et revera opus cl. Auctoris, propter altam Scholasticorum doctrinæ perscrutationem ac comprehensionem, propter proprietatem sermonis, claritatemque in dividenda materia, egregium est quo discipulorum intellectus rite informentur ad philosophandum. Valde etiam opportune curavit A ut post singulas quæstiones minoribus typis excuderentur præcipui textus, tum Aristotelis tum S. Thomæ, qui rem expositam continent: nec parum utilitatis est alumnis in hoc quod S. Thomæ mentem in ipsius proprio sermone detegere assuescant. In dividenda et ordinanda Philosophia A. principiis peripateticis arctius inhærendo, in primo volumine, de quo hîc est sermo, Logicam exponit et Philosophiam naturalem, quæ complectitur cosmologiam ac psychologiam. Alterum volumen integram exhibebit Metaphysicam ac Ethicam; ad Metaphysicam reducit A. criteriologiam.

Ingens opus, magna refertum eruditione circa scripta

---

(1) Nonne simpliciter neganda est *consequentia* in exemplis quæ de syllogismo hypothetico traduntur a B., o. c. p. 186 ss.? Consequens seu conclusio: « Dus *kan* de evolutie-hypothese... » *non sequitur* ex præmissis.

(2) Non tamen admittimus *hylemorphismum* esse meram hypothesim.

philosophica præsertim hodierna, et etiam circa ea quæ ad disciplinas naturales spectant, conscripsit cl. **Willems**, dividitque in tria volumina, quorum primum continet *Logicam, Criticam, Ontologiam;* alterum vero *Cosmologiam, Psychologiam, Theologiam naturalem;* tandem tertium, *Philosophiam moralem* (1). Omnes revera quæstiones quæ ad hanc amplissimam cognitionis materiam pertinent exponit A., variasque refert opiniones tum antiquas, tum modernas. Generatim loquendo Suarezio potius quam S. Thomæ adhæret (2). In demonstrandis thesibus A. nimis multiplicat argumenta ita ut sæpe præcipuum non tota sua vi innotescat, et quædam sint invalida. Quædam etiam, præsertim circa notionem veritatis, falsa sunt vel saltem inaccurate dicuntur (3). In *Cosmologia* propugnat A. hylemorphismum, sed admittendo tamquam probabilem sententiam, quæ dicit elementa in composito remanere actu realiter ab invicem distincta, propriasque conservare qualitates, destruit id quod est præcipuum in sententia S. Thomæ, sc. unitatem formæ substantialis (4). — In *psychologia* bene agit A. de origine specierum viventium, (t. II, p. 195 ss.) et signanter de origine hominis quantum ad corpus (t. c., p. 420 ss.) (5); recte propugnat A. quinque

---

(1) De hac parte, cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 202.

(2) V. gr. quoad distinctionem inter essentiam et existentiam. t. I, p. 411; quoad possibilitatem multilocationis, t. II, p. 33; quoad possibilitatem existentiæ materiæ primæ absque forma substantiali, t. II, p. 114 s.

(3) Improbanda nominatim sunt sequentia: — « Ratione *quantitatis* demonstratio dividitur in deductivam et inductivam » (t. I, p. 80); distinctio inter veritatem *formalem* et *materialem:* « Critica est scientia de veritate *materiali* cognitionis mentis nostræ » (t. I, p. 93); « Opinio potest esse formaliter vera; i. e. rationibus bene fundata, et tamen materialiter in se falsa » (t. I, p. 122); « Veritas formaliter considerata consistit in specie quadam intentionali objecti eaque spirituali, ab intellectu et objecto simul producta » (t. I, p. 96. — Obscura etiam sunt quæ habet A. de libertate fidei (t. I, p. 126 ss.). De hac notione cf. VANDER HEEREN, *Gelooven* (Geloofsonderricht-Brugge) 1910, p. 23 ss.

(4) Cf. GREDT, *o. c.*, n. 358 ss. — Si diceretur corpora *non-viventia* esse tantum aggregata molecularum et istas atomorum, tunc dicendum foret ipsas atomos esse essentialiter compositas ex materia prima et forma substantiali.

(5) De hac re opusculum optimum conscripsit DAUMONT, *Le problème de l'évolution de l'homme*, Bruxelles, 1910.

tantum esse sensus externos hominis, sed forsitan non absque fundamento putat P. Gredt, o. c., p. 389, sensum tactus, generice unum, sub se tamen duas species continere: sensum *resistentiæ* et sensum *temperaturæ*. Censemus sensus *internos* esse *realiter* et *adæquate* ab invicem distinctos (1). — In *theologia naturali* non recte, ut videtur, exponitur notio de *immensitate* Dei (t. II, p. 530) (2), sed maxime oritur confusio quando A. ad demonstrandam immensitatem Dei utitur hoc argumento: « Existunt veritates quæ ubique sunt veræ... Atqui nisi Deus esset immensus, illæ veritates non possent esse universales et quidem semper omnique momento... » (t. II, p. 582). Quoad *scientiam* divinam tuetur A. Deum cognoscere omnes res finitas in sua essentia tamquam unico medio *subjectivo* scientiæ (t. II, p. 597), sed deinde propugnat (t. c., p. 600) Deum cognoscere res finitas etiam in *eis ipsis:* quam assertionem non admittimus et persuasum habemus Auctorem non recte interpretari sententiam S. Thomæ: hoc constat ex verbis quam A. ipse refert: dicit enim S. Thomas: « Deus cognoscit omnia contingentia... *prout* unumquodque eorum est *actu in seipso* ». Quod non significat a Deo cognosci res *in eis ipsis,* tamquam in medio cognitionis (3). In scholion (p. 629 ss.) circa concursum prævium et simultaneum, exponit A. doctrinam Thomistarum ac Molinæ et huic adhæret; sed silet de opinione quæ licet admittat concursum prævium seu præmotionem physicam, qua Deus *applicat ad agendum* (non tantum qua virtutem agendi tribuit), rejicit tamen *prædeterminationem* physicam ad ipsum actum *electionis* (4).

Licet titulus *Philosophie minérale* non sit probandus, com-

---

(1) Cf. Gredt, *o. c.*, n. 431 ss.; aliter docet Willems, *o. c.*, t. II, p. 297.

(2) Illa notionis explicatio connectitur cum notione loci et temporis, quam tradit A. in cosmologia, t. II, p. 13 ss., et cui assentiri non valemus. E contrario multum placent quæ de eadem re leguntur apud Gredt, *o. c.*, p, 262-279.

(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 439 s.; *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. I, p. 326 s.; Billot, *De Deo*, Romæ, 1893, thes. 21.

(4) De hac sententia cf. Remer, *o. c.*, t. II, p. 455 ss.; Pignataro, *De Deo Creatore*, Romæ, 1905, p. 508 ss.; Billot, *De Gratia*, Romæ, 1908, p. 15 ss.; Van der Meersch, *De Gratia*, Brugis, 1910, n. 262 ss.; *Collat. Brug.*, t. XV, p. 13, 33, 262.

mendando tamen libro inscribitur, quippe qui in unum colligit scripta quæ variis in ephemeridibus olim edidit eximius vir **de Lapparent**, in minerologia ac geologia eruditissimus. In laudato libro prima pars tendit ad ostendendum corpora anorganica constare ex moleculis ab invicem dissitis; secunda pars crystalla eorumque productionem describit: hac in parte (p. 119-122) sententiam S. Thomæ de forma substantiali confirmare intendit A., sed illam doctrinam non intellexit. In tertia parte, recto ratiocinio ad crisim revocat argumenta quibus quandoque statuitur antiquissimum esse ortum hominis hac in terra et concludit: « Nous voyons que les observations les plus consciencieuses concordent pour rajeunir, et non pour vieillir, relativement aux appréciations du début, les premières manifestations authentiques de l'activité humaine » (p. 313). Eleganti ac nitida oratione describit A. phænomena omniumque intellectui res accommodat, v. gr. descriptionem de *radioactivitate* (p. 17 ss.).

Illis qui profundiori de Scholasticorum doctrina studio operam dant, perutilis erit liber a R. P. **Garcia**, O. F. M. editus: in quo præmittitur disquisitio de vita, scriptis et doctrina B. Joannis Duns scoti (p. I-LIV) (1). Operis prima pars exhibet opusculum a Scoto conscriptum, cujus titulus: *Grammatica speculativa* (p. 1-50): ibi philosophice ac subtiliter disserit Scotus de ratione significandi partium orationis, nempe de substantivo, adjectivo, verbo, etc. et de illis partibus quæ, prout in phrasi positæ, sunt principium efficiens intrinsecum constructionis. Longior pars (p. 51-738) complectitur *distinctiones:* ordine nempe alphabetico ponuntur vocabula philosophica ac theologica, eorum sensus diversi explicantur, necnon formulæ traduntur et enucleantur in quibus idem vocabulum usu venit: v. gr. *æquivocum*, deinde: æquivocum *logicum-metaphysicum* (p. 79). Ultima libri pars exhibet *effata* (p. 739-1027): scilicet asserta præcipua quibus fundamentalia philosophiæ ac theologiæ principia exprimuntur. — Omnia verbotenus ex Scoti operibus desumun-

(1) Profundiorem ac præclara eruditione refertam invenies dissertationem de vita, scriptis ac doctrina Scoti conscriptam a P. Raymond apud Vacant, *Dictionnaire de théologie*, v° *Duns Scot.*

tur, citatis semper locis, ideo recta cognitio de Scoti doctrina acquiri potest, sed hæc non est communis Scholasticorum (1). Nobis videtur plura ac præsertim longiora loca fuisse relata, in parte quæ exhibet distinctiones: quædam vocabula quasi tractatum constituunt: v. gr. *accidens, analogia, angeli, privatio;* deinde non raro obscurior potius quam clarior fit Scoti mens ex juxtapositione locorum ex variis libris excerptorum. Usu facilius esset lexicon si præcipua tantum, præsertim quæ vocabulorum significationem spectant, explicite et verbotenus referrentur; quoad ulteriorem explicationem sententiarum satis fuisset indicare loca quæ quisque consulere poterit (2).

Elapsus annus erat centesimus a nativitate **J. Balmès** (1810-1848), sacerdotis, egregii philosophi: hac occasione de ejus vita, libris ac doctrina multi scripserunt (3); etiam nova facta est editio de versione gallica opusculi: *L'art d'arriver au vrai.* Hic liber non est tractatus de logica, sed continet monita quibus dirigatur homo in acquirenda arte

---

(1) V. gr. Fuse exponitur excogitata a Scoto *distinctio formalis ex natura rei* (p. 226); distinctio triplicis materiæ primæ (p. 391); etiam asseritur identitas gratiæ habitualis cum charitate (p. 140); dicitur: « Isti actus (volitio et intellectio) possunt formaliter distingui, licet non habeant objecta formaliter distincta » (p. 730). Philosophicam doctrinam Scoti sic dijudicat cl. De Wulf, *Histoire de la philosophie médiévale*, Louvain, 1900, p. 320: « C'est bien dans le *formalisme*, c'est-à-dire dans ce compromis entre le réalisme thomiste et le réalisme outré, qu'il faut chercher l'originalité et la clef de voûte du scotisme... Par là D. Scot ne prend pas seulement position contre S. Thomas, mais encore contre les représentants de l'ancienne école franciscaine. Enfin c'est le formalisme qui l'entraine dans ce luxe criant de rouages dialectiques auquel on fera de si vifs reproches, et qui le force à peupler son empyrée métaphysique d'entités fictives... ». Veram esse hanc sententiam persuasum habebit qui legerit *Lexicon*, de quo dicimus. — De oppositione doctrinali inter Scotum ac S. Thomam, cf. Del Prado, in *Revue thomiste*, 1910, t. XVIII, p. 228 ss.

(2) Sub hoc respectu præplacent duo opera alia, licet minus completa, nempe, *Thomas-Lexikon* von Dr Ludwig Schütz, Paderborn, 1895, *Lexicon-Bonaventurianum* opera PP. Antonii Mariæ a Vicetia et Joannis a Rubino, Venetiis, 1886.

(3) De philosophia Balmès bene disserit J. Zaraguëta, *La philosophie de Jaime Balmès*, in *Revue néo-scolastique*, 1910, t. XVII, p. 543 ss. Cf. etiam Palhoriès, *Jacques Balmès et le problème de la certitude*, in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1911, t. V, p. 26.

recte cogitandi, tum circa materiam scientiæ speculativæ, tum circa materiam scientiæ practicæ. Exponit A. quæ facienda sunt et præcipue quæ vitanda (1), ut acquiratur integra perfectio quæ sic describitur: « En cet homme la raison dirige; elle éclaire de son flambeau les réalités de la vie; l'imagination tient le pinceau et fournit les couleurs; le sentiment vivifie; la religion divinise » p. 252. Ubique elucet Auctoris serenitas animi, acumen intellectus, alta comprehensio rerum ac hominum, sanæ philosophiæ principia; sermo est limpidus, multisque exemplis asserta illustrantur; ita tandem ut prædicti operis lectio non solum sit utilissima sed et amænissima. Introductio, quam scripsit D. Broussolle, et præfatio interpretis optima sunt quibus melius Balmès cognoscamus illumque magni faciamus.

Opus *Denkers van onzen tijd* non parum momenti addit ad historiam philosophiæ et novo splendore profert in lucem peritiam, ubique jam notam, cl. P. **De Groot.** Quinque hominum, qui ipsorum vitæ tempore, et etiam postea, animos multum præoccupaverunt, præcipuam doctrinæ partem exhibet A. eo fine ut respondeatur huic quæstioni: « Wat hebben deze uitmuntende vernuften aan de menschheid geschonken voor de kennis der onstoffelijke, geestelijke, godsdienstige dingen? » (p. IX).

Magna cura et perspicaci judicio determinat et verbis exprimit A. primo quid docuerit scriptor, deinde quid veri vel falsi contineat doctrina, quidve valeat ad rectam cognitionem acquirendam de rebus immaterialibus et ad religionem pertinentibus.

Spencer (1820-1903) principium causalitatis admisit, existentiamque causæ primæ, infinitæ ac absolutæ; hanc vero ut in se *incognoscibilem* prorsus habuit, imo ut incogitabilem, eamque, ut videtur, censuit esse substantiam mundi universi. Agnosticismum hunc statuere conatus est Spencer ut fundamentum religionis. Contradictionem quæ Agnosticismo inhæret palam facit A. et ulterius ostendit quomodo *ope analogiæ*, impropriam quidem, veram tamen, possimus de prima causa acquirere cognitionem; quomodo agnosticismus sit invalidus cui nitatur religio.

Du Bois-Reymond (1818-1896) materialismum impugnavit quatenus per-

(1) Legantur præsertim: *Axiomes faux*, p. 91; *préjugés*, p. 100; *influence du cœur sur la raison*, 137; *l'esprit de sophisme et le bon sens*, p. 185.

spexit et strenue propugnavit actum conscientiæ psychologicæ humanæ, qui omnibus indubius est, non posse explicari solis viribus materiæ physicis aut chimicis, inde conclusit præter res materiales, aliquid esse cujus naturam semper *ignorabimus* et cujus rationem reddere non valebimus unquam. — Ostendit porro A. non ad hanc ignorantiam esse damnatam humanam rationem, sed valere ut ultra inquirat et inveniat rerum naturam, ope principii causalitatis.

In *Pasteur* (1822-1896) elucet quomodo rerum cognitio progredi valeat ex recto usu *inductionis*, cujus initium est ab aliqua hypothesi; quomodo *positivismus* sit rejiciendus; quomodo denique fides catholica non impediat quominus vir in naturalibus disciplinis summam acquirat peritiam, earumque progressus auctor sit.

Qualis fuerit apud *Brunetière* (1849-1906) theoria de fide inquirit A. et ostendit fidei notionem fuisse a Brunetière in ultima parte vitæ recte apprehensam, licet in suis opinionibus non omnia sint accurata (1); postea dilucide exponit A. veram et integram notionem fidei.

Tandem de *Newman* (1801-1890) studium instituitur nominatim circa sequentia: ejusdem sententiam de probabilitate et certitudine, circa id quod vocat *illative sense* (2), circa demonstrationem de existentia Dei, circa evolutionem dogmatum. Ostendit A. certitudinem circa Dei existentiam, aliaque præambula fidei, non fuisse, ad *rem* quod attinet, negatam a Newman, licet ejus modus loquendi et quædam etiam opiniones philosophicæ non sit probandæ; nec etiam firmam stare theoriam de *illative sense;* tandem, generatim loquendo, a Newman neglectam esse metaphysicam, nec satis perspectum valorem rationis recte ratiocinantis, proinde nimium fuisse concessum subjectivæ experientiæ.

Liber Patris De Groot omnino egregius est tum propter cognitionem historicam quam tradit de vita et scriptis quorumdam philosophorum, tum propter judicium æquum ac firmum quod fert de illorum doctrina, tum propter enucleatas notiones ac sententias in oppositione cum aliis.

Quum locuti simus de Newman, optimum hîc indicamus opusculum conscriptum a Reverendissimo Domino O'Dwyer, lingua italica versum, in quo exponit A. doctrinam Newman longe abesse a Modernismo nec damnari in encyclica « Pascendi »: abusi sunt multi quibusdam dictis a Newman (3), sed si in sensu ab auctoris intento sumuntur, ut

---

(1) Cfr. 211-212.

(2) « *Illative sense* is het vermogen om te oordeelen en te besluiten in de volkomenheid », bl. 266.

(3) Nominatim hoc quod malebat fidem ut fundamento niti congerie probabilitatum: quod assertum apud Newman non habebat eum sensum quo damnatum fuit in decreto « Lamentabili », prop. 25ª.

oportet, evidens fit a Newman non fuisse propugnatam impossibilitatem demonstrandi factum Revelationis, incognoscibilitatem Dei, mere *humanam* dogmatum evolutionem.

Ill^mus^ **Sentroul** quæstionem sibi propositam: *Qu'est-ce que la philosophie* (1) dividit in tres sequentes: 1/ qu'est-ce que la philosophie à la considérer selon son concept idéal et le plus général? 2/ Quelle est, parmi toutes celles qui sollicitent notre acquiescement, la philosophie vraie? 3/ Quels sont les rapports de cette philosophie vraie avec les *autres formes de la vérité* (la science dans l'ordre naturel, la foi dans l'ordre surnaturel) comme avec les *formes de l'erreur philosophique* et partant avec *l'histoire générale de la philosophie?* 1/ Primæ quæstioni respondet A. describendo philosophiam quatenus est humanæ scientiæ, generice spectatæ, ultima perfectio: hæc autem perfectio consistit in hoc quod philosophia radicitus se ad omnia cognoscibilia *extendit*, tribuit absolutam in cognoscendo *certitudinem* et ad ordinis *unitatem* reducit omnia cognita. 2/ Secundam quæstionem solvit A. exponendo Aristotelis philosophiam, quoad suam substantiam, auctam ac emendatam a S. Thoma, præbere id quod ad rectam philosophiæ rationem requiritur: quod maxime elucet comparanti Aristotelis doctrinam cum Kantii doctrina. 2/ Tertiæ quæstioni respondet A. a/ indicando rationem cur philosophia, qualis proponebatur sæculo XIII, non evertatur progressu cognitionum naturalium, et cur prædictus progressus utilis evadat ampliori cognitioni philosophicæ; b/ explicando cur necessarium sit studium historiæ philosophiæ; c/ indigitando tres genericas erroris formas: *scepticismum, positivismum, idealismum* ad quas reducitur *modernismus:* quæ refutanda sunt, æquo semper judicio animoque libero; d/ tandem philosophia in suo ambitu propriis oportet utatur principiis ac propria methodo: tunc illud munus adimplet quod ipsi competit erga fidem. Multum doctrinæ, acute cogitatum, nervose dictum, exhibetur paucis illis paginis, quarum lectio non minus amæna est quam utilis.

*
* *

(1) Opusculum prælaudatum continet concionem quam habuit A. aperiendo cursum philosophiæ in civitate S. Pauli, in Brasilia, die 18 Julii 1908.

R. P. **Cazes**, in *Revue Thomiste*, 1910, p. 183 ss., dilucide disserit de systemate philosophico Kantii quatenus est fundamentum philosophiæ Modernistarum.

In prælaudato periodico, t. c., p. 590 ss., R. P. **Richard** valde utilia scitu scripsit de natura *fidei*, præsertim de voluntatis influxu in actum credendi. Titulus articuli est: *Des causes de l'assentiment dans la croyance et l'opinion.*

Circa distinctionem realem inter essentiam et esse plura hoc tempore fuerunt scripta : studiosis commendamus notam confectam a R. P. **Garrigou-Lagrange**, sub titulo *La distinction réelle entre essence et existence et le principe d'identité* (1), et amplam dissertationem a R. P. **Del Prado** sub titulo: *La vérité fondamentale de la philosophie chrétienne* (2).

De eadem thesi *historice* egit R. P. **Mandonnet**, demonstrando non ab Ægidio Romano primo fuisse explicite propugnatam realem illam distinctionem, sed hanc doctrinam et a S. Thoma et etiam ante ipsum fuisse clare expositam (3) ; nominatim a Johanne de Rupella (Jean de la Rochelle), defuncto an. 1245 (vel paulo ante) prædictam doctrinam absque dubio traditam fuisse bene ostendit R. P. **Manser** (4).

J. Van der Meersch.

(1) *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1909, p. 308.

(2) *Revue Thomiste*, t. XVIII, 1910, p. 209, 240. In eodem periodico, p. 361, invenitur confutatio scripta a R. P. Gardeil de articulo R^di P. Chossat inserto in *Dictionnaire de théologie catholique*, v° *Dieu;* deinde. p. 495, responsio R^di P. Chossat, ac nova responsio a R. P. Gardeil, p. 521.

(3) *Revue Thomiste*, t. c., p. 741 ss.: « *Les premières disputes sur la distinction réelle entre l'essence et l'existence* (1276-1287).

(4) *Revue Thomiste* t. XIX, 1911, p. 87 ss.

Notæ Bibliographicæ

C. Couillaut *La réforme de la prononciation latine. Vers l'achèvement de la réforme liturgique.* Préface du Rév^me^ Dom Pothier. Paris, Bloud, 1911, in-16, XIII-174 p. F. 2,50.

Cette excellente publication, solidement documentée au point de vue des éléments de théorie et de fait, expose la nécessité scientifique et liturgiqué d'une réforme de la prononciation latine. Elle constitue un excellent plaidoyer en faveur du rétablissement de la prononciation classique. Celle-ci, dit l'auteur, est la seule bonne, la seule scientifique et il n'y a aucune objection de principe à élever contre elle. Toutefois au lieu de se prononcer pour son adoption intégrale et immédiate, M. C. s'arrête à une solution provisoire « s'acheminer vers la prononciation classique par l'intermédiaire de la prononciation italienne. » Le motif, c'est que l'extension de la prononciation italienne constitue indubitablement à à l'heure actuelle, là seule réforme en marche. La conclusion de M. C. ne plaira pas à tout le monde ; certains détails de sa dissertation seront discutés (1) ; mais quiconque la lira en tirera profit et y apprendra ne fût-ce que la manière de bien accentuer et de prononcer d'une façon délicate et soignée toutes les voyelles et toutes les consonnes. Et ce résultat sera considérable.

A. D. M.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (2).

Bossuet. *Exposition de la Doctrine de l'Eglise Catholique.* Bloud, Paris, 1911. In-16 (214 p.). Pr. 3 frs.

Burel J. *Isis et les Isiaques sous l'Empire Romain.* Collection : Etudes de Philosophie et de critique religieuse. — Paris, Bloud. 1911. In-16 — (63 p.). Pr. 1 fr.

Coune M. *De Godvruchtige Zanger in cijfermuziek.* Cortessem, J. Van Straelen-Coune, 1911, 510 bl. F. 1, per 50 ex., 0,75 fr., gebonden.

Id. *De Godvruchtige Zanger in notenmuziek*, Cortessem, J. Van Straelen-Coune, 270 bl. F. 2, gebonden.

Deze twee uitgaven bevatten 111 vlaamsche geestelijke liederen. De uitgave in cijfermuziek bevat daarenboven het gunstig gekend kerkboek « Stat van den Christen ». Muziek en tekst zijn ernstig en eenvoudig. Als handboek voor scholen en congregaties warm aanbevolen.

---

(1) L'observation de la quantité, exigée par la prononciation classique est-elle possible dans le chant, notamment des hymnes?

(2) Quelques-un des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Interpretare Philipp. II, 5-11.

II

Indica præcipuas catholicorum sententias de modo quo ignis inferni cruciet animas separatas a corpore.

III

Theoretice dijudica gravitatem actuum inconsummatorum luxuriæ a *sponsis* inter se admissorum.

IV

Practice determina modum agendi confessarii cum procantibus, relate ad materiam de sexto.

V

Racontez brièvement comment la souveraineté temporelle des papes devint définitive et tout à fait indépendante sous Etienne II, grâce à Pépin le Bref.

VI

Pour-quels offices liturgiques la couleur violette est-elle prescrite? Quelle est la signification de cette couleur?

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Camerlynck. *Compendium Introductionis Specialis in S. Sam.* Pars prior, XII-128 p. Fr. 1,75.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter.

PRIJZEN PER EXEMPLAAR. GEBROCHEERD: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

GECARTONNEERD: **met lustrine rugje,** per ex. 40 cent., per 50 ex. 35 cent., per 100 ex. 33 cent.

GEBONDEN: nº 1. Engelsche cartonnage zwarte percaline, roode sneê: per ex. 50 cent., per 50 ex. 45 cent., per 100 ex. 43 cent.

nº 2. Engelsche cartonnage percaline, gouden sneê met verguld platte, per ex. 66 cent., per 50 ex. 61 cent., per 100 ex. 59 cent.

nº 3. Leder Grenat, goude sneê, ronde hoeken, platte rijk verguld, lintje en étui: per ex. fr. 1,50, per 50 ex. fr. 1,40, per 100 ex. fr. 1,35.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. De Meester. *De la protection et propriété des objets d'art et des documents d'histoire conservés dans les églises.* — Extrait des *Collationes Brugenses,* t. XVI, 40 p.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Prospectus generalis in theologiam mysticam

SEU

Manuductio ad praxim unionis contemplativæ cum Deo.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVI, pag. 321).

§ II. De exteriori statu perfectionis, quomodo se habeat relate ad interiorem perfectionem.

7. Ut modo insinuabamus, ad gradum supremum charitatis seu statum interiorem perfectionis, quanta in hac vita possibilis est, ascendere potest unusquisque, quovis in statu vitæ exteriori, perfectionis sit ille status necne, eum divina Providentia collocaverit, sive religiosus sit sive non, sive clericus sive laïcus.

Idem observat S. Thomas dicendo: « Nihil prohibet aliquos esse perfectos, qui non sunt in statu perfectionis; et aliquos esse in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti (1). » Imo hi longe abesse possunt a perfectione, non servantes id ad quod se obligaverunt, neque adeo præsidiis utentes quæ sibi suus status offert.

8. Quid autem intelligitur per hujusmodi statum exteriorem vitæ, qui status perfectionis dicitur?

Respondet accuratissime Angelicus: « In statu perfectionis proprie dicitur aliquis esse, non ex hoc quod habeat actum dilectionis perfectæ (2), sed ex hoc quod

(1) 2. 2, q. 184, art. 4.

(2) In hoc vidimus consistere perfectionem interiorem, seu gradum in hac vita supremum perfectionis.

obligat se perpetuo cum aliqua solemnitate ad ea quæ sunt perfectionis (1). »

Hoc sensu duo sunt status perfectionis: prior est apostolatus, status qui fuit SS. Apostolorum, et est eorum successorum, seu episcopatus; alter est status religiosus.

Episcopus vi status obligatur ad hoc ut sit perfectus, imo sit perfector, quæ quidem obligatio suscipitur consecratione episcopali. Status iste dicitur nonnumquam perfectionis acquisitæ, siquidem habere perfectionem, quam apud cæteros promoveat, debet episcopus.

Religiosus vi status obligatur ad acquirendam perfectionem, quæ obligatio oritur ex triplici voto observandi consilia evangelica. Est igitur status religiosus perfectionis acquirendæ, idque præ cæteris per media determinata, nempe consilia evangelica, quæ vi votorum fiunt præcepta.

9. Quid autem de statu ecclesiastico seu de clero dicendum?

In clerico tria sunt attendenda: status vitæ stricte dictus ut supra, ordo sacer, et officium seu cura animarum.

Vi status, clericus nisi sit simul religiosus, aut sit episcopus, est sæcularis, neque vi ejusmodi status vitæ seu conditionis sæcularis tenetur speciali obligatione ad perfectionem.

Ordo sacer, præsertim si sit supremus gradus sacerdotii, dignitatem sacram illi confert atque potestatem actus quosdam sacros exercendi.

Et exercitium quidem horum actuum, si eos exercere vult et ut digne eos exerceat, requirit perfectionem interiorem, majorem quam requirat etiam religiosus status (2), sed non ponit virum ecclesiasticum per se in statu perfectionis; nisi quod, in Ecclesia occidentali,

---

(1) Eod. cit. loc.

(2) Ita S. Thomas, 2. 2, q. 184, art. 8.

qui majorem ordinem recipit, obligatur ad servandam castitatem, quod est unum e consiliis evangelicis, adeoque elementis status religiosi.

Tandem officium seu cura animarum non constituit statum perfectionis, quia non est obligatio permanens et perpetua, cum eidem clericus renuntiare possit consentiente episcopo, aut eam libere relinquere ut intret in religionem. Neque etiam clerico competit principalem curam subditorum habere, sicut episcopo (1).

Ast, sedulo attendatur quod jam diximus, unumquemque, quovis in statu vitæ, perfectionem adipisci valere. Et vir quidem ecclesiasticus, præsertim sacerdos, tenetur primo quidem ad unum elementum vitæ perfectæ, nempe castitatem servandam ; tenetur, quamquam minus universaliter, ad obedientiam suis prælatis, qua in re obedientiam religiosam optime imitari potest, spiritum reverentiæ et obedientiæ in omnibus servando; tenetur in exercitio munium sacrorum ad perfectionem interiorem summam ; ipsum tandem maximopere decet spiritum paupertatis fovere. Adeoque etiam habere potest, si voluerit, omnia præsidia vitæ religiosæ ; et, si curam animarum exercet, vitam apostolicam episcopi imitari ipsi licet et particeps esse illius perfectionis, et ipse perfector effectus, cum ex abundantia et plenitudine contemplationis, lumen et charitatem ex ea hausta cum proximo communicat.

Hinc sponte transimus ad aliam quæstionem : quomodo se habeat relate ad vitæ perfectionem, quam vidimus in perfectione charitatis consistere, vita contemplativa seu unionis contemplativæ cum Deo, quam etiam nomine vitæ perfectæ jam designavimus ; et quomodo se habeat ad vitam contemplativam, et ad vitam perfectam, vita activa.

---

(1) Ibid. et art. 6, ad 2m. — Hæc omnia latius exposita reperies apud S Thomam, hac ead. q. 184, a. 5 et sqq.

§ III. Quomodo se habeant relate ad perfectionem vita contemplativa, et vita activa.

10. Vita nostra præsens, humana, id est, intellectualis, adæquate dividitur in contemplativam et activam, « quia finis intellectivæ cognitionis vel est ipsa cognitio veritatis, quod pertinet ad intellectum contemplativum, vel est aliqua exterior actio, quod pertinet ad intellectum practicum sive activum (1). »

Attamen propter necessitates præsentis vitæ, tum proprias tum proximi, non possumus contemplationi vacare exclusive: unde vita contemplativa eorum dicitur qui præcipue intendunt contemplationi, activa vero eorum qui principaliter intendunt actionibus exterioribus (2). Tantummodo in vita beata patriæ, quemadmodum beatitudo essentialiter consistit in visione Dei, omnis activitas præter contemplativam, omnis vita activa cessabit, cum beati jam nulla exteriora opera erga proximum exercenda habebunt, nec aliam vitæ activæ partem, qua passiones proprias moderentur, exercendam. Tunc erit vera requies æterna atque perfecta in contemplatione divina.

Diligenter nota hanc duplicem partem vitæ activæ, quarum altera exterior quidem est relate ad contemplationem, interior vero inquantum moderatur proprias nostras passiones; altera vero, et principalis pars vitæ activæ, magis exterior, inquantum exercet opera exteriora erga proximum nostrum.

11. His positis, quæritur quomodo se habeat relate ad perfectionem vita contemplativa et vita activa, simulque indagatur quomodo hæ duæ vitæ referantur ad invicem.

Hac in re, primo intuitu oritur haud levis difficultas: etenim vitæ perfectionem, quam in perfectione charitatis

---

(1) S. Thomas, 2. 2, q. 179, art. 2 in corp.
(2) Cf. ibid. art. 1.

consistere demonstravimus, jam quoque designavimus nomine vitæ contemplativæ seu unionis contemplativæ cum Deo. Atqui, charitas est in affectu, in voluntate. Contemplatio vero est essentialiter actus intellectus.

Ut res clarescat, attende vitam contemplativam esse formaliter in intellectu, habere tamen principium seu causam, necnon terminum, in voluntate, in affectu seu amore. Idque dupliciter.

Amor enim, tum ut est amor concupiscentiæ, tum ut est amicitiæ seu charitas, principium est contemplativæ vitæ, et pariter sub eodem duplici respectu terminus ejusdem. Amor concupiscentiæ est causa activitatis contemplativæ, inquantum desideramus contemplari ut cognoscamus divinam Veritatem. Amor amicitiæ seu charitas causat contemplationem, inquantum Deum charitate amantes eo ipso volumus objectum amatum contemplari. Uterque amor, relate ad Deum, simul conjungitur.

Pariter amor est dupliciter terminus contemplationis: amor concupiscentiæ, ratione delectationis quæ naturaliter oritur ex ipsa contemplatione, hujusque objecto; amor charitatis, inquantum augetur ex contemplatione ejusque delectatione. Quod quidem proprium est vitæ præsenti, in vita enim beata charitas non augmentatur ex visione Dei, sed est pro gradu meriti in hac vita acquisito perfecta et constans, sicut et ipsa visio (1).

En jam soluta difficultas. Contemplatio quidem est actus intellectus, habet vero vita contemplativa principium causamque motricem, necnon terminum, in charitate quæ est in voluntate. Quo perfectior charitas, eo fortius excitat amorem concupiscentiæ ad contemplandum ut Deus cognoscatur, eoque ferventius ipsa imperat contemplationem Dei charitate dilecti, quia dilecti. Quo perfectior charitas, eo plus delectatur amor concupiscentiæ sua contemplatione objectoque contem-

(1) V. S. Thomam, 2. 2, q. 180, art. 1, cum Comment. Cajetani.

plationis, eoque plus hac in vita augetur charitas ipsa sua contemplatione et sua delectatione.

12. Porro, cum vita perfecta in hoc tempore probationis nunquam penitus excludere possit vitam activam, vita contemplativa, cum activa collata, hanc perfectione et merito vincit (1), in quovis vitæ statu, sive perfecto sive non. Etenim contemplatio divinæ Veritatis, ait S. Thomas (2), est finis totius humanæ vitæ; imperfecta quidem est hac in vita, initium vero est seu inchoatio, atque prægustatio contemplationis perfectæ ac beatificæ, æternum duraturæ in cœlis. Igitur vita activa refertur ad contemplativam tamquam ad finem, eique tota subordinatur: sub uno respectu seu quoad alteram sui partem, tamquam dispositio ad contemplationem; sub altero respectu seu quantum ad alteram sui partem, eamque principalem, tamquam ad fontem suum, unde suam haurit perfectionem et regulam directivam.

Sub primo respectu, vita activa consistit in exercitio virtutum moralium, quo impeditur vehementia passionum, et sedatur exteriorum occupationum tumultus, ne abstrahatur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia (3). Ea ratione pertinet ad vitam contemplativam ut præparatio et dispositio necessaria ad eam, constituitque primum stadium vitæ contemplativæ.

Hoc sedulo attendamus, ne periculose nobismetipsis illudamus, putantes nos vitam contemplativam prosequi posse, dum mortificationem christianam negligimus, parum solliciti de refrænandis prius passionibus, tumultuque mundi fugiendo.

Sub altero respectu, attenditur altera pars, eaque principalis, vitæ activæ, pro objecto habens opera externa quæ erga proximum exercentur. Hæc non pertinet ad vitam contemplativam, ne ut dispositio quidem,

---

(1) Cf. S. Thomam, ibid. q. 182, art. 1 et 2; et q. 188, art. 6.

(2) 2, 2, q. 180, art. 4.

(3) Cf. S. Thomas, 2. 2, q. 180, art. 2.

imo potius eam impedit, quatenus simul vacare contemplationi et his exterioribus actionibus occupari non valemus. Cum tamen has quoque actiones nonnumquam ponere necesse sit, nempe ex charitate et misericordia in proximum, eleemosynam corporalem et spiritualem, vel et opera apostolica ministerii animarum exercendo, id fieri debet, ut ait S. Thomas (1): « non per modum subtractionis [vitæ contemplativæ], sed per modum additionis. » Sic, status vitæ perfectus, apostolatus seu episcopatus, consistit principaliter in vita contemplativa, secundario in vita activa, ita quidem ut hæc ex plenitudine et abundantia illius derivet, unde lumen directivum et spiraculum charitatis haurit. Hinc perfectio pro unoquoque, quovis in statu, erit in ista eadem vita mixta, quæ propius accedit ad perfectionem vitæ apostolicæ.

13. Brevis summa dictorum hæc est: vita perfecta, quovis in statu, etiam minus perfecto, consistit in perfectione charitatis, erga Deum principaliter, erga proximum propter Deum secundario. Atqui, « ad dilectionem Dei directe pertinet contemplativa vita, quæ soli Deo vacare desiderat. Ad dilectionem autem proximi directe pertinet vita activa, quæ deservit necessitatibus proximorum (2). » Ergo, in præsente vita quæ necessario partem complectitur activam, perfectio principaliter consistit in vita contemplativa, secundario in activa vita, quæ partim dispositio est ad contemplationem, partim vero ab ea regulam directivam et inspirationem mutuatur.

Inde quoque intelliges vitam contemplationis esse *per se* magis meritoriam quam activam. Radix enim meriti est charitas, et amor Dei est in se magis meritorius quam amor proximi. Quod ergo magis directe ad amorem Dei pertinet, majus de se meritum habet quam

---

(1) 2. 2, q. 182, a. 1, ad 3m.
(2) Ibid., q. 188, a. 2, in corp.

quod directe pertinet ad amorem proximi propter Deum dilecti. Atqui, vita contemplativa, non ita activa, directe et immediate pertinet ad amorem Dei. Dictum est *per se:* quia fieri potest ut aliquis certis in adjunctis plus mereatur operibus vitæ activæ, quam alter contemplando. Sic, qui ex plenitudine divini amoris ad horam deserit dulcedinem contemplationis, ut gloriam Dei procuret in proximo (1).

Jam via plana est ut nos ad vitam unionis contemplativæ cum Deo accingamus, diversaque ejus stadia breviter mentis consideratione percurramus.

CAPUT II.

De perfectione attingenda per unionem contemplativam cum Deo.

14. Subjectum unionis contemplativæ cum Deo vidimus esse justum, qui videlicet merito confidit se gratia sanctificante ornatum, unitumque Deo in Spiritu sancto, ac liberum ab omni affectu ad mortale peccatum. Profecto, qui charitatem non habet, quomodo ad perfectionem charitatis prætenderet; qui non est Deo unitus, prima illa ac fundamentali unione, quomodo intimiorem efficere posset eamdem unionem per vitam contemplativam?

Attamen status gratiæ non extinguit in nobis passiones, nec aufert sollicitudines occupationesque mundanas; quæ quidem, si non frænentur, impedimento sunt contemplationi, progressuique gratiæ ac charitatis, imo et hanc amittendi periculum efficere possunt. Inde primum stadium vitæ contemplativæ, præpatorium et dispositivum ad contemplationem.

§ I. Primum stadium vitæ contemplativæ.

15. Igitur inprimis oportet modum imponere pas-

(1) Cf. S. Thomam, 2. 2, q. 182, art. 2.

sionibus nostris, et sedare tumultum occupationum mundanarum.

Et hoc quidem dispositive ad vitam contemplativam, ad vitam vero activam essentialiter pertinet, quam vidimus constare duplici parte, quarum altera, eaque principalis, respicit opera externa erga proximum exercenda, adeoque consistit in exercitio virtutum moralium quæ sunt ad alterum, quæque adeo ad virtutem cardinalem justitiæ pertinent; altera vero, de qua hic sermo est, in moderandis propriis passionibus occupatur, et sedando tumultu occupationum externarum, eaque ratione pertinet ut dispositio ad vitam contemplativam, hujusque primum stadium, præparatorium, constituit. Consistit autem præprimis in exercitio virtutum moralium, quæ non sunt ad alterum, quæ pertinent ad virtutes cardinales prudentiæ, fortitudinis ac potissimum temperantiæ. Dicimus *præprimis,* quia nolumus excludere omnino exercitium virtutum ad justitiam pertinentium, quod sine dubio efficacissimum est ad nobis procurandam pacem, contemplationi necessariam; nam pax est opus justitiæ, inquantum removentur litium ac turbationum occasiones plurimæ, vitando quæcumque virtutem justitiæ eique annexas virtutes vulnerant.

16. Ne igitur quisquam sibi illudat. Nemo sibi promittat in charitate profectum, neque ad unionem contemplativam accessum, nisi prius per exercitium assiduum virtutum moralium, juvante Deo, sibi fecerit pacem tranquillamque suîmetipsius possessionem, tum ab extrinseco sedatis tumultu ac strepitu mundi, et facto, mediis etiam in occupationibus, interno saltem silentio ac solitudine seu recollectione animi, tum ab intrinseco fræno subjectis silentibusque passionibus, et facto mundo corde, quo videatur Deus.

Et potissimum quidem, ut dicebamus, importat exercitium virtutum ad temperantiam pertinentium, seu mortificatio christiana. Concupiscentia enim maxime

obscurat lumen rationis, et e contrario vita sobria et casta efficacissime disponit ad divinam contemplationem.

Ideo quoque virtus humilitatis, annexa temperantiæ, omnino necessaria intelligitur. Per contemplationem dicimur ad Deum ascendere, forte accuratius diceretur Deus descendere ad nos. Atqui, ut loquitur Augustinus, quo humilius se homo demittit, eo magis descendit ad ipsum Deus; quo vero magis se exaltat homo, eo longius et altius ab ipso Deus recedit.

Hæc sufficiant de stadio præparatorio ad vitam contemplativam, quod ad theologiam asceticam spectat, ad cujus magistros pro ampliore declaratione remittimus.

§ II. De stadio secundo vitæ contemplativæ.

17. Primum stadium in dispositione *morali* ad contemplationem situm est; secundum est præparatio *intellectualis* ad actum proprium contemplandi, seu complectitur varios actus intellectus contemplationi prævios.

Inspecta nostra natura composita, et inde modo nostro proprio cognitionis intellectualis, non possumus, ut angelus, spiritus purus, immediate ad contemplationem, ad uniformem intuitum veritatis attingere. « Intellectus enim angeli habet cognitionem uniformem secundum duo. Primo quidem, quia non acquirit intelligibilem veritatem ex varietate rerum compositarum. Secundo, quia non intelligit veritatem intelligibilem discursive, sed simplici intuitu. Intellectus vero animæ a sensibilibus rebus accipit intelligibilem veritatem, et cum quodam discursu rationis ipsius eam intelligit..... In anima... antequam ad istam uniformitatem perveniatur, exigitur quod duplex ejus difformitas amoveatur. Primo quidem, illa quæ est ex diversitate exteriorum rerum, prout scilicet relinquit exteriora [introiens ab illis ad seipsam]. Secundo autem oportet quod removeatur secunda difformitas, quæ est per discursum

rationis. Et hoc idem contingit secundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem veritatis..... ut scilicet cessante discursu, figatur ejus intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis (1). »

18. S. Thomas (2) enumerat novem actus ad contemplationem aliquo modo pertinentes, quorum septem sunt contemplationi prævii, octavus est ipse contemplandi actus, nonus est admiratio ex contemplatione sequens.

Nunc de solis præviis actibus loquimur, quique secundum stadium constituunt vitæ contemplativæ. Eorum tres pertinent ad acceptionem principiorum ex quibus proceditur ad contemplationem, videlicet auditio, lectio et oratio. Quatuor vero pertinent ad deductionem principiorum in veritatem cujus cognitio inquiritur, scilicet cogitatio, consideratio, meditatio et speculatio.

De singulis pauca.

19. Primo quidem, quibus actibus accipimus principia ex quibus nobis procedendum est ad contemplationem?

Primus est *auditio, auditus autem per verbum Christi* (3). Videlicet, principia ista accipimus primo per prædicationem seu doctrinam Ecclesiæ.

Secundus actus est *lectio*, nempe sacrarum Scripturarum, necnon operum earumdem interpretum legitimorum, Patrum scilicet et Doctorum Ecclesiæ.

Ex illo duplici fonte præ cæteris hauriendum est, cum in altero ipsum Dei verbum scriptum legamus, ipsique auctores humani, qui inspirante Spiritu sancto scripsêrunt, nominatim Apostoli Christi, nobis exhibeant in seipsis exemplar vitæ perfectæ, et similiter, post hos, SS. Patres et Doctores. Etenim hi omnes ex plenitudine

---

(1) S. Thomas, 2. 2, q. 180, art. 6, ad 2m.
(2) Ibid., art. 3.
(3) *Ad Rom.*, X, 17.

vitæ contemplativæ unionisque cum Deo hauserunt lumen et charitatem admirabilis sui apostolatus verbo et opere completi.

Nolumus tamen aliorum librorum de vita spirituali et contemplativa tractantium lectionem prohibere, cum et alii commendabiles existant, imo nonnulli universali usu Ecclesiæ probati, ut sunt libri *de Imitatione Christi*. Pariter scripta Sanctorum contemplativorum, ut v. g. S. Joannis a Cruce, S. Theresiæ, merito magni fiunt; ea tamen nobis videntur quamdam specialem lectoris præparationem requirere, scilicet ut jam non sit omnino peregrinus in vita contemplativa, ut in his materiis rectum habeat judicium, atque rite discernere præprimis valeat inter ea quæ ad dona extraordinaria Dei pertinent, et ea quæ ad istarum animarum electarum cooperationem, qua instrui quamque imitari pro modulo nostro valemus.

20. Tertius actus quo accipere debemus principia, ex quibus proceditur ad contemplationem, est *oratio*. Hic fons est interni luminis atque unctionis. *Invocavi, et venit in me Spiritus sapientiæ* (1).

Nemini dubia esse potest necessitas orandi in ordine ad contemplationem. Perceptio enim verbi Dei externi per auditionem et lectionem sterilis manebit, nisi accedat verbum internum divini luminis atque inspirationis. Atvero hoc verbum non percipitur, nisi tamquam Dei responsum datum orationibus nostris. Oportet igitur, ad exemplum Salvatoris in diebus carnis suæ, offerre Deo preces supplicationesque, cum clamore valido et lacrymis, ut et ipsi exaudiamur (2). Oportet ut, nobis enixe flagitantibus, qui in nobis habitat ipse Spiritus postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus (3).

21. Jam accedimus ad quatuor actus, quibus ex

---

(1) *Sap.*, VII.
(2) *Ad Hebr.*, V, 7.
(3) *Ad Rom.*, VIII, 26.

principiis acceptis deducimus veritatem contemplandam. Hic labor quasi magis personalis est, labor tamen pius, sub influxu divino, continuatæ orationis fructu.

Primus actus est *cogitatio*, non sensu generico sumpta pro omni operatione intellectuali, sed hoc sensu speciali, qua significat actum colligendi in unum et coordinandi accepta principia. Complectitur omnes perceptiones sensuum, imaginationis, rationis, tamquam objectum suæ activitatis, necnon judicia et ratiocinia, quæ omnia colligat et ordinet in finem contemplationis.

Immediate sequitur *consideratio* eorumdem illorum elementorum in unum collectorum, quæ in illa attentionem mentis figit ut ea melius dirigat in eumdem contemplationis finem.

Consideratio præparat *meditationem,* id est pium studium perceptorum principiorum, quæ collegit cogitatio et in quæ attentionem mentis fixit consideratio. Ipsa proprie meditatio est, quæ deducit ex principiis veritatem contemplandam.

Denique *speculatio,* prout hic sumitur derivando verbum a *speculo* (1), est actus videndi causam per effectum, in quo relucet causæ similitudo. Sic ergo pertinet ad deductionem, adeoque ad meditationem reducitur; et, si speciatim agatur de speculandis divinis perfectionibus in operibus seu effectis divinis, est transitus ad tertium stadium vitæ contemplativæ (2).

§ III. Stadium tertium vitæ contemplativæ.

22. Hoc tertium stadium in eo est, quod contemplemur Deum in operibus suis, sicut causam in suis

---

(1) Si derives verbum a *specula,* tunc visionem seu intuitum significat, qui est ipse contemplandi actus.

(2) Quæ de variis actibus vitæ contemplativæ in hoc secundo stadio explicavimus, ad hoc quoque inservient, ut sine periculo confusionis idearum legantur quæ scripserunt Dion. vulgo Areopagita, *De div. nom.;* S. Bernardus, *De consideratione;* Richard. a S. Vict., *De contemplatione.*

effectibus. Estque ultimum stadium, antequam perveniatur ad ipsum actum contemplandi Deum.

In hoc ergo stadio ascendimus ad Deum per ejus opera, tum in ordine naturæ, ubi et creaturæ singulæ et ordo inter illas existens et divinæ Providentiæ gubernatio manifestant Creatoris perfectiones, tum in ordine supernaturali, ubi pariter idque manifestius, et singula Dei dona et opera, et Providentia Dei supernaturalis, oculis fidei revelant mirabilia omnipotentiæ, sapientiæ et bonitatis ejus.

23. Hic locus est in memoriam revocandi quæ explicavimus de unione cum Deo justi in hac vita, et beatorum in patria.

Quemadmodum S. Paulus, in Areopago reperiens altare ignoto Deo inscriptum, Athenienses hunc Deum docet, dicens eum non longe abesse ab unoquoque nostrum, siquidem in eo vivimus, et movemur et sumus: pariter dicendum est, ut Deum contemplemur in suis operibus, eum haud longe abesse ab unoquoque nostrum; et si verum est nos, in utroque ordine naturæ et gratiæ, in Deo vivere, et moveri, et esse, profecto decet præcipue nos, tamquam ultimum stadium ad contemplandum Deum ipsum in hac vita, conscios esse illius unionis admirabilis justi cum persona Spiritus sancti, quæ aliquando perficienda ac consummanda est per unionem ineffabilem cum Verbo incarnato, unionem contemplationis perfectæ seu visionis beatificæ divinæ Trinitatis.

Conscientia intima, clara, continua unionis nostræ cum Spiritu sancto, dulci hospite animæ, objecto fruitionis contemplativæ inchoatæ, ultimus terminus sit oportet hujus tertii stadii vitæ contemplationis et transitus ad quartum, qui in ipsa proprie contemplatione Dei consistit.

24. Jam animadverterit lector nos in « Meditationibus theologicis » præcise percurrisse secundum et tertium stadium vitæ contemplativæ, ascendendo nempe ad

Deum tum ratione per creaturas, tum fide per revelationem; contemplando dein Deum in operibus suis in utroque ordine naturæ et gratiæ, et speciatim considerando unionem nostram cum Deo in hoc ultimo ordine.

Hinc inde etiam limen quarti stadii transivimus, levando oculos mentis fide fideique scientia illuminatos in ipsum Deum, prout revelatione cognoscitur esse in seipso, unus essentia, trinus personis, ineffabilis Trinitas.

§ IV. Quartum stadium vitæ contemplativæ.

25. Hic agitur de ipso actu contemplationis, cujus objectum est, in vita præsente et juxta ordinem supernaturalem a Deo institutum, ipse Deus, prout revelatione noscitur esse in seipso, ita quod revelatio confirmet quæ ratione cognoscere de Deo possumus, et addat quæ intellectus creatus nec invenire, nec jam revelata plane intelligere ac demonstrare valet.

Hæc igitur præsens contemplatio Dei, nequaquam est Dei visio (1), sed intuitio quædam imperfecta, per speculum et in ænigmate. Contemplari ergo valemus Deum, prout ratione manifestatur per creaturas, perfectiones infinitas pro infimo modulo imitantes, et prout fide scientiaque fidei attingitur per revelationem, quæ tamen non mutat cognitionis nostræ modum; hæc manet respectu Dei analogica, nequaquam ad visionem ejus pertingit.

Objectum proin contemplationis nostræ sunt veritates, quas in « Meditationibus theologicis » latius explicavimus, manifestantes ipsum Deum, quantum in præsenti vita eum cognoscere possumus; veritates explicantes unitatem essentiæ infinitasque perfectiones ejus, divinas proprietates et attributa Dei; præprimis mysterium adorandæ Trinitatis, et quæ respiciunt per-

(1) Abstrahimus hic a casu interventus Dei miraculosi, ut in casu raptus et hujusmodi, in quo potest Deus concedere visionem suî, anvero unquam concesserit dubium est.

sonas divinas, earum processionem, relationes, notiones et proprietates personales, earumdem circuminsessionem et perichoresim ; veritates quæ ad singulas personas spectant, earumque relationes ad extra per appropriationem aut aliter, incarnationem Verbi, unionem justorum cum Spiritu sancto, et beatorum cum Verbo, etc. etc.

26. Quod exercitium contemplationis attinet, id opus est uniuscujusque, juvante Dei gratia.

Ex parte quidem nostra, postulatur præprimis gemitus continuus orationis, et diligens applicatio intellectus, deposito quantum fieri potest omni affectu terreno. Profecto, exigitur cor mundum, exiguntur alæ intellectus liberæ, exigitur ambiens solitudo, silentium, mentis omnimoda recollectio in seipsam introëuntis, etiam medio in tumultu occupationum quas vitare non possumus.

§ V. Quintum stadium seu terminus contemplationis.

27. Vidimus contemplationem esse essentialiter actum intellectus, habere tamen causam dispositivam, necnon terminum in affectu. Terminus autem ille est admiratio, et delectatio. De utraque verbulum addimus.

« Admiratio, ait S. Thomas (1), est species timoris consequens apprehensionem alicujus rei excedentis nostram facultatem. » Jamvero, quis non sentiat istum timorem reverentia plenum, contemplans infinitam Dei majestatem, superexcedentem omnem creatam facultatem ?

Alio in loco (2) describit idem S. Doctor secundum alium respectum admirationem, eamque ostendit esse aliquam causam delectationis. « Est autem admiratio desiderium quoddam sciendi, quod in homine contingit

(1) 2. 2, q. 180, art. 3, ad 2m.
(2) 1. 2, q. 32, art. 8 in corp.

ex hoc quod videt effectum, et ignorat causam; vel ex hoc quod causa talis effectus excedit cognitionem aut facultatem ipsius; et ideo admiratio est causa delectationis inquantum habet adjunctam spem consequendi cognitionem ejus quod scire desiderat, et propter hoc omnia admirabilia sunt delectabilia; sicut quæ sunt rara, et omnes repræsentationes rerum, etiam quæ in se non sunt delectabiles. »

28. Jam paulo fusius de fruitione seu delectatione, quæ consequitur contemplationem, agendum est.

« Aliqua contemplatio, *inquit S. Thomas* (1), potest esse delectabilis dupliciter. Uno modo, ratione ipsius operationis: quia unicuique delectabilis est operatio sibi conveniens secundum propriam naturam vel habitum. Contemplatio autem veritatis competit homini secundum suam naturam, prout est animal rationale: ex quo contingit quod omnes homines natura scire desiderant, et per consequens in cognitione veritatis delectantur. Et adhuc magis fit hoc delectabile habenti habitum sapientiæ et scientiæ, ex quo accidit quod sine difficultate aliquis contemplatur. Alio modo contemplatio redditur delectabilis ex parte objecti, inquantum scilicet aliquis rem amatam contemplatur.... Quia ergo vita contemplativa præcipue consistit in contemplatione Dei, ad quam movet charitas... inde est quod in vita contemplativa non solum est delectatio ratione ipsius contemplationis, sed etiam ratione ipsius divini amoris. Et quantum ad utrumque ejus delectatio omnem delectationem humanam excedit. Nam et delectatio spiritualis potior est quam carnalis.... et ipse amor quo ex charitate Deus diligitur omnem amorem excedit. Unde in Psal. 33 dicitur: Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. »

29. Quod amor charitatis Dei omnem amorem excedit, non eget demonstratione. Quod autem delectatio

(1) 2. 2, q. 180, art. 7 in corp.

spiritualis potior est carnali, breviter ostendemus, cum S. Thoma (1):

« Si... comparentur delectationes intelligibiles delectationibus sensibilibus secundum quod delectamur in ipsis actionibus... non est dubium quod multo sunt majores delectiones intelligibiles, quam sensibiles : multo enim magis delectatur homo de hoc quod cognoscit intelligendo, quam de hoc quod cognoscit aliquid sentiendo: quia intellectualis cognitio et perfectior est, et etiam magis cognoscitur, quia intellectus magis reflectitur supra actum suum, quam sensus; est etiam cognitio intellectiva magis dilecta: nullus enim est qui non vellet magis carere visu corporali, quam visu intellectuali, eo modo quo bestiæ vel stulti carent...

Sed si comparentur delectationes intelligibiles spirituales delectationibus sensibilibus corporalibus, sic secundum se et simpliciter loquendo, delectationes spirituales sunt majores; et hoc apparet secundum tria quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum, et id cui conjungitur, et ipsa conjunctio. Nam ipsum bonum spirituale est majus quam corporale bonum, et est magis dilectum: cujus signum est, quod homines etiam a maximis corporalibus voluptatibus abstinent, ut non perdant honorem qui est bonum intelligibile. Similiter etiam ipsa pars intellectiva est multo nobilior et magis cognoscitiva quam pars sensitiva. Conjunctio etiam utriusque est magis intima et magis perfecta et magis firma. Intimior quidem est, quia sensus sistit circa exteriora accidentia rei, intellectus vero penetrat usque ad rei essentiam: objectum enim intellectus est quod quid est. Perfectior autem est, quia conjunctioni sensibilis ad sensum adjungitur motus, qui est actus imperfectus: unde et delectationes sensibiles non sunt totæ simul, sed in eis aliquid pertransit et aliquid exspectatur consummandum, ut patet

(1) 1. 2, q. 31, art. 5.

in delectatione ciborum et venereorum; sed intelligibilia sunt absque motu, unde delectationes tales sunt totæ simul. Est etiam firmior, quia delectabilia corporalia sunt corruptibilia et cito deficiunt, bona vero spiritualia sunt incorruptibilia.

Sed quoad nos delectationes corporales sunt magis vehementes propter tria. Primo, quia sensibilia sunt magis nota quoad nos, quam intelligibilia. Secundo etiam, quia delectationes sensibiles, cum sint passiones sensitivi appetitus, sunt cum aliqua transmutatione corporali, quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi per quamdam redundantiam a superiori appetitu ad inferiorem. Tertio, quia delectationes corporales appetuntur ut medecinæ quædam contra corporales defectus vel molestias, ex quibus tristitiæ sequuntur (1). Unde delectationes corporales, tristitiis hujusmodi supervenientes, magis sentiuntur, et per consequens magis acceptantur, quam delectationes spirituales, quæ non habent tristitias contrarias, ut infra dicetur (nempe q. 35, art. 4). »

30. Manet ergo conclusio: delectationem contemplationis divinæ esse in se omnium humanarum delectationum nobilissimam, pretiosissimam, maximam. Etiam quoad nos id esse potest, et erit illi qui habitum charitatis contemplativæ habet: cujus signum est quod ille omnem delectationem corporalem ac sensibilem, omnem etiam delectationem ex honoribus et æstimatione humana sequentem despicit ut contemplationis divinæ fruitioni inhæreat.

Hoc quintum et terminativum stadium vitæ contemplativæ, cum admirationem, delectationem, charitatisque amorem, quæ omnia sunt in affectu seu voluntate,

---

(1) Obiter nota quomodo legitimæ esse possunt quædam delectationes sensibiles et corporales, videlicet inquantum adhibentur ut media, numquam ut finis; ut media quidem, sive ad ipsam operationem delectabilem convenientius exercendam, sive ad instar recreationis animi ut medecinæ contra tristitias et molestias, ad melius operandum.

comprehendat, patet pertinere ad perfectionem extrinsecam contemplationis, quæ essentialiter est in intellectu. « Vita contemplativa, *ait S. Thomas* (1), licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, inquantum videlicet aliquis ex charitate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis contemplativæ vitæ habet esse in affectu, dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, et ipsa delectatio rei visæ amplius excitat amorem... Et hæc est ultima perfectio contemplativæ vitæ, ut scilicet non solum divina veritas videatur, sed etiam ut ametur. »

31. Quoniam vita contemplativa, his in terris, sola esse non potest, sed propter necessitates hujus vitæ partes suas servat vita activa, verbulum addendum est de influxu vitæ contemplativæ in activam; non quidem qua dispositiva est activa vita ad contemplationem, qua de re supra in primo stadio egimus, sed quatenus principaliter consistit vita activa in operibus exterioribus erga proximum exercendis.

Opera hæc in duplici sunt differentia. Alia directe derivant ex plenitudine vitæ contemplativæ; eaque sunt illa omnia quæ directe et immediate pertinent ad salutem animarum procurandum, ut docere, prædicare, sacra ministrare. Horum exercitium re ipsa constituit perfectionem quamdam extrinsecam vitæ contemplativæ: quemadmodum enim plus est illuminare quam lucere, sic plus est cum proximo communicare fructus contemplationis, quam solummodo contemplari.

Alia opera in occupatione mere exteriori consistunt, qualia sunt opera misericordiæ corporalia. Hæc omnino extrinseca sunt contemplationi; indirecte tamen hujus influxum subeunt: contemplatio enim adauget charitatem, ista autem opera eo excellentiora ac magis meritoria fiunt, quo majori ex charitate exercentur.

---

(1) 2. 2, q. 180, art. 7, ad 1m.

Ex quibus vides vitam mixtam, cujus nempe fundamentum et principalis activitas in contemplando sunt, et in qua omnis activitas reliqua a contemplatione dirigitur, esse vitam vere perfectam, propius imitantem vitæ apostolicæ plenam perfectionem.

32. Finem huic tractatui imponimus, nos humillime prosternendo coram infinita Dei majestate, eamque suppliciter orando: primo quidem, ut potenti auxilio nos concedat exuere veterem hominem, expurgare vetus fermentum, omnem affectum terrenum deponere, quo disponamur ad contemplationem. *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis;* simulque omnem radicem superbiæ evellere valeamus, per veram humilitatem omnimodamque animi demissionem. *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Secundo, ut nobis assistat divina gratia in actibus intellectus contemplationi præviis. Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te finiatur. Ut sic, tertio, sub divino lumine, Deum tum in operibus, tum in seipso contemplari valeamus; tandemque rapiamur in admirationem divinæ celsitudinis, atque gustare possimus quam suavis est Dominus. Sed et hæc admiratio magis acuat desiderium contemplandi, hæc fruitionis suavitas magis adaugeat amorem charitatis, donec aliquando admittamur ad contemplationem perfectam, ad beatificam Dei unius et trini visionem.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Conspectu generali describe argumentum partis dogmaticæ (I-III) Epistolæ S. Pauli quæ* ad Ephesios *inscribitur.*

R. Post inscriptionem et salutationem consuetam (I, 1-2), transit Paulus statim ad *corpus epistolæ*, in quo pro more *duplicem partem* habet, unam *dogmaticam*, alteram *moralem* seu parænetícam (1). Huic epistolæ proprium est quod partem dogmaticam integram componit evolvendo gratiarum actionem et orationem pro lectoribus quas in aliis suis epistolis inter inscriptionem et corpus ipsum interserere solet. — Quod *materiam* spectat quam in hac doctrinali parte tractat, et modum quo scribit, dici potest Apostolum quasi abstrahere ab omni necessitate concreta et practica, non alludere ad ulla adjuncta determinata apud determinatos lectores vigentia, sed omnia esse indolis prorsus generalis, prout epistolæ huic, ad integrum quemdam circulum ecclesiarum per modum encyclicæ directæ, congruebat. In hac epistola, æstu ardentis admirationis, eructat, quasi hymnum cantando, mirabilia consiliorum Dei de salute universali, de « mysterio » sibi, Paulo, concredito, de Ecclesia universali, in iisque omnibus Christum suum qua centrum et caput super omnia describit.

I. In I^a parte (I, 3-16) (2), gratias agit Deo, in

(1) Ipsa tamen pars moralis, ut legenti apparet, indolem valde dogmaticam habet.

(2) Nimis, ut videtur, AA. insistunt in hoc quod hæc pars sit structuræ irregularis et confusæ, quod periodi ita late extensæ sint, implicatæ et convolutæ. Ipse enim Paulus videtur sat clare indicare varias divisiones: notabis enim quomodo singulæ divisiones quas in textu indicamus non

primis *formula generali*, pro omnigenis benedictionibus spiritualibus a Deo christianis in Christo collatis (v. 3). Deinde hæc beneficia divina jam magis determinando,

1°/ celebrat *æternam prædestinationem*, seu electionem gratuitam, qua Deus ab æterno christianos in Christo prædestinavit ad justificationem (4-6).

2° celebrat *executionem temporalem* illius divinæ electionis : nimirum, Deus, justificatione gratuito nobis in tempore collata, manifestum fecit et executioni mandavit « mysterium » voluntatis suæ, seu æternum decretum, quo sibi proposuit tempore opportuno instaurare omnia in Christo, *omnia* in unam compagem, et ad Christum quasi ad unum caput reducere (7-10). Revera nos, *Judæi,* in Christo vocati sumus ut essemus peculium Dei ἐκληρώθημεν (11-12), quemadmodum etiam vos, *gentiles,* in Christo, vocati estis ad æternam hereditatem, κληρονομία ut sitis et vos populus peculiaris Dei (13-14).

3°/ Tandem, memoratis his generalibus beneficiis prædestinationis et redemptionis, jam explicite ponit gratiarum actionem propter fidem et caritatem *lectorum suorum* (15-16), et in fine v. 16 jam transit ad partem alteram, orationem pro lectoribus.

II. In **II^a parte (I, 16-III) (1) orat pro lectoribus suis.**

1°/ Præmittit *objectum generale* orationis suæ: orat

---

tantum distinctam *materiam* gratiarum actionis exhibent, sed etiam ipsa *dispositione* et structura materiali ab invicem distinguuntur: singula enim incipit verbis caracteristicis: *in quo* i. e. in Christo (4, 7, 11, 13), et finem accipit verbis non minus propriis: *in laudem gloriæ (gratiæ) suæ* (6, 12, 14). Sic insistit Apostolus in hoc quod omnia hæc bona quæ enumerat, fuerint christianis *in Christo* collata, quod fuerint ipsis *gratuito* collata, quod Deus in illis conferendis *unice gloriam suam* intenderit.

(1) Oratio pro lectoribus non totam hanc partem complet; absolvitur enim vv. I. 17-19; III, 1; 14-19. Duplici vice, impellente ardenti sua admiratione et amore in excellentiam Christi, in beneficia præclara a Deo hominibus collata, in universalitatem Ecclesiæ, in præclarum munus Apostoli gentilium sibi commissum, — vel etiam suadente forte circumstantia quadam nobis ignota, puta: ne christiani ob captivitatem Apostoli sui animum desponderent (cf. III, 12 s.), — orationem interrumpit, in longas digressiones abiens.

nimirum Deum ut lectores melius cognoscant spem ad quam Deus eos vocavit, ut np. sciant a/ quam opulenta et dives sit gloria quæ in cœlis reservatur ipsis (objectum sperandum), et b/ quam magna sit potentia Dei (motivum sperandi) (17-19).

At statim, oratione sua interrupta, utrumque illud explicat et probat, ostendendo in longa digressione, quænam bona Deus jam contulerit Christo, imo ipsis christianis :

a/ *Christum* quidem suscitavit a mortuis, et exaltavit super omnia, etiam cælestia (20-21), — Ipsumque constituit caput super omnem Ecclesiam (22-23). — Sic optime tum *potentiam* Dei nobis concedendi bona similia, tum factum quod aliquando Deus hæc bona nobis concedet : congruit enim quod ea bona quæ *capiti* concessit, etiam *membris* largiatur.

b/ Similia jam et *christianis* concessit : etenim, ante conversionem suam ad Christum, tum ethnici (II, 1-2), tum Judæi (3), erant mente et voluntate depravati ; jamvero hos omnes Deus conresuscitavit cum Christo et exaltavit (4-7). Quæ omnia dona justificationis, ut iterum insistendo Apostolus exponit, ipsis a Deo gratuito fuerunt collata (8-10). — Eamdem bonitatem et potentiam Dei erga christianos exponit Paulus ostendendo quomodo christiani Christo capiti inserti, bonis divinis cumulati fuerint : ostendit nimirum quomodo ethnici, olim inimici Dei et alieni a populo Dei (11-13) cum Judæis, lege mosaïca abrogata, fuerint adunati in unum corpus mysticum, quod est *Ecclesia*, et ad invicem reconciliati (14-16[a]) ; et quomodo, sic in unum corpus adunati, reconciliati fuerint Deo (16[b]-18). Eamdem unitatem Ecclesiæ, et communionem omnium bonorum et jurium exhibet sub metaphora regni, familiæ, (19) et præsertim ædificii, in quo ut vivi lapides assumpti fuerint, Christo lapidi angulari superædificati (20-22) (1).

(1) Nota quomodo parallelo modo sibi respondeant a/ et b/ : *Christum*

2°/ Finita hac digressione, iterum assumit Paulus orationem suam pro lectoribus ethnicis (III, 1) et iterum statim abrumpit per digressionem in qua fuse exponit *missionem suam apostolicam*, quatenus np. fuerit a Deo gratuito electus ad prædicandum « *mysterium Dei* » (2-4): mysterium illud, quod nunc tandem perfecte manifestatum est apostolis et prophetis novi testamenti (5), in eo est quod gentiles et ipsi sint vocati æque ac Judæi ad salutem evangelicam, ut cum Judæis unum corpus efficiant, et eorumdem jurium et bonorum sint participes (6). Et, ardenti admiratione et gratitudine, revocat Paulus in memoriam quomodo ipse speciali modo fuerit a Deo electus ut mysterium illud prædicaret (7-11), et lectores suos hortatur, ut, invita captivitate Apostoli sui, in fiducia sua permaneant (12-13).

3°/ Tertia tandem vice assumit *orationem suam*, et in finem perducit, supplex a Deo petens (14-15) ut lectores roborentur et confirmentur in gratia accepta : in vita spirituali (16), in fide et caritate (17), et ut intelligant immensitatem caritatis Dei erga eos, perfecteque donis divinis impleantur (18-19).

Hanc suam orationem concludit *solemni doxologia*, in qua simul iterato proclamat fiduciam orationem suam abundanter exauditam iri (1).

A. Vander Heeren.

---

suscitavit a mortuis et exaltavit (I, 20 s.), sicut etiam *christianos* suscitavit et exaltavit (II, 4-7); — *Christum* exaltavit, constituendo ipsum *caput* super omnem Ecclesiam (I, 22 s.), sicut *christianos* exaltavit eos Christo tanquam *membra* inserendo (II, 14-16[1]). — Nota similiter Apostolum sic optime ostendere illud utrumque quod I, 17-19 formula generali expresserat : Deum *posse* nobis opulenta dona concedere, eumque *de facto* ea *concessurum* esse ad quæ nos vocavit : quod *possit*, probatur ex iis quæ jam concessit tum Christo tum christianis; quod *faciet*, probatur ex eo quod Christus est caput nostrum, nos membra ipsius : congruum enim est ut ea quæ capiti concessit etiam membris largiatur.

(1) Ordo quem in responso admittendum duximus, quoad multa convenit cum ordine quem exponit Haupt, in op. *Die Gefangenschaftsbriefe* (Göttingen, 1902), pp. 36 ss.

II

Q. *An et quo sensu admittendum est ignem Inferni esse realem?*

R. I. *Affirmative.*

Hoc constat tum ex doctrina Ecclesiæ generatim sumpta, de qua infrà agemus, tum specialiter ex responsione S. Pœnitentiariæ Apostolicæ, data die 30 Aprilis 1890 (1).

En textum quæstionis et responsi:

Pœnitens se sistit coram confessario et inter alia declarat opinari quod in inferno ignis non sit realis sed metaphoricus, scilicet quod inferni pœnæ, quæcumque illæ sint, sunt vocatæ ignis aliquo dicendi modo; nam sicut ignis dolorem omnium intensiorem producit, ita ad indicandas atrocissimas inferni pœnas nulla adest imago aptior ad ideam inferni efformandam. Hinc parochus quærit an liceat relinquere pœnitentes in hac opinione et an liceat eos absolutione donari? Notat autem Parochus quod non agitur de opinione alicujus individui, sed est opinio generaliter admissa in quodam pago ubi dici solet: infantes solum persuade, si potes, quod sit ignis in inferno.

Sacra Pœnitentiaria ad præmissa respondet:

Hujusmodi pœnitentes diligenter esse instruendos; et pertinaces non esse absolvendos.

Ex hac responsione concluditur non posse teneri sententiam quæ asserit ignem inferni esse metaphoricum; imo illum qui pertinaciter illi adhæreret sententiæ, gravis peccati, saltem temeritatis (2) esse reum ideoque non posse absolvi.

II. Sensus autem quo ignis inferni dicendus est *realis,* non metaphoricus, a/ importat quod ignis designet aliquid crucians quod ratione ipsius *naturæ* suæ, non ratione intensitatis tantum, recte vocatur ignis, et

(1) Cf. *Nouvelle revue théologique,* t. XXII, 1890, p. 503.

(2) Cf. Bouquillon, *De virtutibus theologicis,* Brugis, 1890, n. 232 ss.

sic distinguitur a pœnis aliis. b/ Præterea tamquam *certam* habemus sententiam quæ affirmat ignem inferni esse aliquid physicum, materiale, quod est realiter distinctum a damnatis illisque extrinsecum et consequenter ab extrinseco illis inferens dolorem aut tristitiam (1).

Explicatur.

a/ In responsione S. Pœnitentiariæ, quod bene notandum, non reprobatur sententia quæ diceret non reales esse pœnas inferni aut non realiter cruciari damnatos : de hac re non erat quæstio. Sed, supposita realitate cruciatuum inferni, quærebatur utrum teneri possit illas pœnas, quæcumque illæ sint, ratione *intensitatis* designari metaphorice nomine ignis, ita scilicet ut non specialis ac realis pœna designetur prædicto nomine : hoc autem non posse teneri declarat S. Congregatio ; proinde admittendum est dari in inferno aliquam veram ac realem pœnam, quæ ratione ipsius suæ naturæ vocatur *ignis*.

Hæc conclusio elucet etiam ex argumentis quæ statim exponemus et quibus ostendemus ignem esse aliquid physici, realiter distincti a damnatis et ab extrinseco agens in ipsos, inferens ipsis dolorem aut tristitiam.

b/ Hoc constat :

1. *ex S. Scriptura :* « *Discedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* » (2). Vocabulum ignis adhibetur communiter in S. Scriptura ad designandam hanc corpoream rem quæ ab omnibus hominibus cognoscitur, quæ calefacit ac comburit, quæ etiam hominis corpori applicata dolorem intensum infert. Christus autem, hoc utens vocabulo in *judiciali* sententia, dicendus est hoc adhibere in sensu obvio et proprio.

---

(1) Absque dubio ipse dolor vel ipsa tristitia sunt in subjecto patiente ; sed quæritur utrum dolor vel tristitia proveniant ex mera interna damnati dispositione aut ex aliquo ente externo quod agens in damnatum ipsi infert dolorem vel tristitiam.

(2) *Matth.*, **25**, 41.

Quod deinde nequit, in prædicta sententia, ignem metaphorice intelligi de angoribus et cruciatibus *conscientiæ*, hoc patet quia reprobi jubentur in illum ignem *ingredi*, qui *paratus est diabolo:* ignis ergo designat causam cruciantem *externam* reprobis, cui conjunguntur et quæ in sua propria natura existit antequam damnatos resuscitatos cruciat (1).

Huic interpretationi versiculi in sensu litterali ac obvio, in quo nomen *ignis* sumitur sensu *proprio*, nihil obstat: nec gravitas supplicii, nec impossibilitas cruciatus, quatenus diceretur non posse ab igne cruciari spiritus; in alia responsione ostendemus talem impossibilitatem non adesse (2).

2. *Patres*, licet non unanimiter doceant, tamquam veritatem pertinentem ad catholicam fidem, ignem inferni esse aliquid *reale* ac *physicum*, *extrinsecum* damnato ac ipsum afficientem et cruciantem, hoc tamen sat communiter tenent ut veram explicationem doctrinæ in S. Scriptura revelatæ (3).

Origenes quidem ignem, quo animæ cruciantur, metaphorice seu figuraliter dictum censet de tristitia quam ex conscientia propriorum peccatorum singulæ patientur, nec

---

(1) Cf. Knabenbauer, *Commentarius in Matthæum*, T. II, p. 384; Bernard, ap. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Enfer*, col. 1382 ss.

(2) Bene hic notemus nullo fundamento niti opinionem quæ, rejecto igne reali, admitteret aliam pœnam realem, quæ esset quasi *febris* ab *intrinseco* corpus damnatorum afficiens: nam quum corpus damnatorum sit incorruptibile, nequit *naturaliter* in eo exsurgere febris vel alius morbus. Si vero admittitur illa quasi febris non nisi præternaturaliter immitti a Deo, cur non potius admittitur *ignis* præternaturaliter, ut Dei instrumentum, agens in damnatos? Si diceretur illam quasi febrim non distingui a tristitia ac desperatione, qua afficiuntur damnati, vel esse connaturalem effectum hujus tristitiæ, tunc sumeretur pœna ignis *mere metaphorice:* quod prohibet S. Pœnitentiaria.

(3) Cf. Petavius, *De angelis*, L. III, c. 5; Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, Œniponte, 1896, t. III, n. 653; Einig, *De Deo consummante*, Treveris, 1898, p. 20; Manzoni, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, Augustæ Taurinorum, 1909, vol. IV, n. 521.

admittit indicari quod unusquisque « in aliquem ignem, qui antea jam fuerit accensus ab alio, vel ante ipsum substiterit, demergatur » (1).

S. Ambrosius eamdem, quam Origenes, explicationem proponit (2).

Sed alii Patres plerique, ut videtur, ignem intelligunt de aliqua substantia (licet alterius sit speciei ac ignis quem in hac terra cognoscimus) quæ est *extrinseca* homini, ipsumque afficit cruciatu. Hoc sensu de igne inferni loquuntur *S. Justinus* (3), *Tertullianus* (4), *S. Cyprianus* (5), *Lactantius* (6), *S. Ephræm* (7). *S. Gregorius Nyssenus* concludit corporum resurrectionem esse admittendam quia reprobi cruciabuntur igne, tenebris, verme: « quæ omnia compositorum ac materialium corporum pœnæ cruciatusque sunt: animam vero per sese separatim ignis nunquam attigerit » (8). Ignem verum in inferno docent *S. Basilius* (9) et *S. Joannes Chrysostomus* (10). Nec contradicit, ut videtur, *S. Joannes Damascenus* (11). *S. Hieronymus* in commentario in epistolam ad Ephesios, c. 5, v. 6, ut *inania verba,* quibus non decipi possunt christiani, exhibet id quod *plerique* dicunt, « non

---

(1) *De principiis,* L. II, c. 10 (alibi 11). MIGNE, *Patrol. græca,* t. 11, col. 236 ss.

(2) *In Lucam,* L. VII.

(3) *Apologia,* I, 28: ibi docet dæmones, licet ad inferni ignem damnatos, in illum tamen *ignem ingressuros* esse tantum post ultimum judicium simul cum damnatis hominibus. Cf. RAUSCHEN, *Grundriss der Patrologie,* Freiburg i. B. 1910, p. 42.

(4) *Apologeticum,* c. 18, c. 48.

(5) *Ad Demetrianum,* versus finem.

(6) *Institutiones,* L. VII, c. 21.

(7) *Sermo exeg.* Cf. HURTER, *o. c.,* n. 653.

(8) *In Christi resurrectionem oratio III,* versus finem. MIGNE, *Patrol. græca,* t. 46, col. 679. Ignem igitur inferni ut aliquid materiale et corporeum, damnato extrinsecum, habet S. Gregorius; nec huic sententiæ vere contradicit id quod satis obscure dicit de non admittendo receptaculo communi in quo *animæ* reciperentur post hanc vitam. *De anima et resurrectione dialogus.* MIGNE, *o. c.,* col. 67 ss. Cf. *Oratio Catech.,* c. 40.

(9) In Ps. **28**, v. 7.

(10) *Homilia IV in epistolam ad Romanos,* n. 3.

(11) *De Fide orthodoxa,* L. IV, c. 27 dicit inferni ignem non esse materialem, *qualis est qui apud nos est,* sed qualem Deus novit.

futura pro peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda tormenta; sed ipsum peccatum et conscientiam delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non moritur et in animo ignis accenditur, in similitudinem febris quæ non torqueat extrinsecus ægrotantem; sed ipsa corpora corripiens punit, sine cruciatuum forinsecus adhibitione » (1). *S. Augustinus* explicite docet inferni ignem esse corporeum et « quamvis miris tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi » (2). *S. Gregorius M.* ignem inferni esse corporeum explicite docet (3).

3. Scholastici, theologi subsequentes (4) ac etiam hodierni communiter docent ignem inferni esse aliquid reale ac physicum, extrinsecum damnatis, licet natura illius ignis possit esse alterius speciei a natura ignis quem nos cognoscimus hac in terra; plerique ut *certam* habent hanc sententiam.

S. Thomas docet *corporeum* esse ignem quo homines damnati *post resurrectionem* cruciabuntur (5), a corporeo igne cruciari etiam *animas separatas* imo et *dæmones* (6). Idem docent *Albertus Magnus* (7), *S. Bonaventura* (8), *Capreolus* (9).

Suarez dicit: « Certa et catholica sententia est ignem inferni, qui paratus est diabolo et angelis ejus, ut in illo crucientur, verum ac proprium ignem corporeum esse » (10).

---

(1) S. Hieronymus, *Commentarius in Isaiam*, c. 66 refert a *plerisque* [eodem vocabulo utitur in textu mox citato] *vermem*, qui non moritur, et *ignem*, qui non exstinguitur, intelligi de peccatorum conscientia quæ torquet. Hanc esse Origenis opinionem dicit S. Hieronymus, *Apologia adversus Rufinum*, L. II.

(2) *De civitate Dei*, L. XXI, c. 10. Hunc librum scripsit S. Augustinus circa finem suæ vitæ, proinde retractare censendus est ea quæ in anterioribus scriptis essent opposita illis quæ explicite tenet in citato libro.

(3) *Dialogorum* L. IV, c. 28.

(4) Excipitur Catharinus, qui propugnavit ignem inferni non esse corporeum.

(5) In IV, dist. 44, Q. 3, a. 2, sol. 1.

(6) *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 90; *Quodlibetum III*, a. 3; *Compendium theologiæ*, c. 179 s.; *Summa theologica*, 1, q. 64, a. 4 ad 3.

(7) In IV, dist. 44, q. 34.

(8) *Breviloquium*, P. 7, c. 6.

(9) In IV, dist. 44, q. 4.

(10) *De angelis*, L. VIII, c. 12, n. 9.

Petavius: « Ceterum, uti corporeum et materia constantem esse inferorum ignem... Theologi hodie omnes immo et Christiani consentiunt » (1).

Hurter sic concludit: « Communis tamen theologorum ac fidelium sententia est ignem illum esse verum et proprium: qua de re nulla quidem exsistit Ecclesiæ definitio, temerarium tamen foret a communi recedere sententia » (2).

J. Van der Meersch.

III

Q. *An licita est ebrietas* indirecta *seu quæ non intenditur? Da rationem responsi.*

R. Ebrietas dupliciter accipi potest: etenim ista vox notat tum *actum* ejus qui superflue utitur potu inebriativo, tum *statum* exinde sequentem, scilicet *effectum* talis potationis seu privationem rationis.

Ex parte *effectus,* ebrietas dividitur in *perfectam* et *imperfectam,* prout defectus rationis consequens ad potationem plenus est vel partialis tantum. Ex parte *actus,* (ad nostram quæstionem quod attinet) dividitur in *directam* et *indirectam.*

Directa dicitur illa ebrietas in qua ipsa privatio rationis *intenditur,* sive ut finis sive ut medium. Si intenditur ut finis in se, quod sane raro accidit, habetur peccatum quod reducitur ad vitia bestialitatis. Si intenditur ut medium (scilicet ad ulteriorem finem obtinendum *per* ipsam rationis privationem, ut si quis se inebriet ad mentem avertendam ab infortunio quod passus est) non conveniunt auctores. Communius docetur, saltem ut probabilius, hoc nunquam licere; ratio est quia ebrietas directe procurata seu intenta est intrinsece

(1) *De angelis*, L. III, c. 5, n. VII.

(2) *O. c.*, n. 651. Cf. Einig, *De Novissimis*, Treveris, 1898, p. 19; Heinrich-Gutberlet, *Dogmatische Theologie*, Münster, 1904, t. VII, p. 521 ss.

mala, vel saltem quia non licet bonum ex malo quærere (1).

Indirecta autem ebrietas illa est in qua privatio rationis nullo modo intenditur, neque ut finis, neque ut medium, sed permittitur tantum, alio fine intento per medium diversum a defectu rationis. De hac indirecta (et quidem materiali) ebrietate quæritur utrum et quare sit licita (2).

Jamvero, si finis intentus sit bonus et proportionati momenti, absque dubio concludendum videtur ad liceitatem. Etenim, secundum generale principium ab auctoribus admissum (cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 284 s.), licet ponere actum de se bonum aut indifferentem, qui habet duplicem effectum æque immediatum, unum bonum et alterum malum, dummodo bonus effectus intendatur, malus tantum permittatur, et adsit, omnibus inspectis, proportio requisita inter utrumque effectum. Sic concedunt licitum esse uxori prægnanti sumere pharmacum ad gravem morbum v. g. stomachi levandum, etsi prævideatur certo expellendus fœtus. Causa enim posita est indifferens: sumptio pharmaci; deinde præsto est finis honestus intentus seu effectus bonus: sanatio morbi, qui finis sufficientis quidem momenti est, nam

---

(1) Attamen, S. Thomas oppositæ sententiæ potius favere videtur: Cf. Illmum ac Revmum WAFFELAERT, *De Prudentia, Fortitudine et Temperantia*, p. 206 s. Præterea, sententia *extrinsece* saltem probabilis admittit liceitatem ebrietatis directæ (materialis), positis ponendis.

(2) Ne confundetur distinctio inter ebrietatem directam et indirectam cum distinctione inter ebrietatem formalem et materialem. Ebrietas formalis illa est quæ admittitur propter delectationem potus, ut ordinarie contingit. Prætermittimus illam in responsione, quia absque dubio illicita est; cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 371 s. A quibusdam auctoribus vocatur directa vel quasi-directa, ab aliis autem, magis logice, indirecta.

Ebrietas autem materialis illa est quæ non ob motivum delectationis in potu, sed ob aliam rationem admittitur: v. g. ad morem gerendum amico, ad operationem subeundam sine dolore etc. Coïncidit sæpe, sed non semper, cum ebrietate indirecta.

Alii tandem Auctores materialem dicunt ebrietatem quæ præter voluntatem accidit, formalem vero quæ voluntaria est.

supponitur morbus gravis; tandem effectus malus, qui tantum permittitur, non est causa effectus boni, aliis verbis non per expulsionem fœtus sanatur mater, sed per aliam virtutem seu proprietatem pharmaci sumpti; hoc autem ultimum exprimunt auctores dicendo: bonus effectus æque immediate (non tempore, sed natura) sequitur ex causa posita ac effectus malus.

Similiter dicimus in casu ebrietatis indirectæ, ubi causa datur proportionata. Finge casum morbi notabilis, unice curabilem per potum abundantem et inebriantem qui vomitum procurat. Habes primo causam indifferentem in se: actum bibendi; non inde ergo actus fit malus. Deinde finis est honestus: sanatio, et hæc intenditur sola, ut suppono; non intenditur privatio rationis nec voluptas immoderata in bibendo; adhuc ergo nihil illiciti. Præterea bonus effectus non obtinetur per medium mali: scilicet non per vim inebriantem potus sanatur ægrotus, sed per vim ejus vomitivam; ergo non quæritur bonum ex malo. Tandem proportio requisita seu ratio sufficiens agendi existit; aliis verbis bonus effectus sufficienter compensat malum, omnibus inspectis: nec inde illicita evadit medicatio; nemo enim est qui ostendet unquam obligationem abstinendi ab *omnibus* actibus qui effectus malos sortiuntur simul ac bonos (1).

Quæ diximus solutionem suppeditare videntur aliorum etiam casuum ebrietatis indirectæ, casus v. g. ejus qui largissime bibit ut morem gerat amico eum ad hoc invitanti, vel hero a quo pendet, vel tyranno ipsi mor-

(1) Istud exemplum, aliquatenus modificatum, deprompsimus ex S. Thoma, 2ª, 2ᵃᵉ, q. 150, a. 3, ad 3ᵘᵐ, qui ceteroquin ipsius directæ ebrietatis (materialis) liceitati, positis ponendis, favere videtur Cf. Illᵐᵘᵐ ac Revᵐᵘᵐ WAFFELAERT, l. c., p. 205; et S. Thomam, 1ª, 2ᵃᵉ, q. 88, a. 5, ad 1ᵘᵐ. In casu autem nostro, prout illum ipse proponit, non admittit Angelicus liceitatem talis medicationis, quia non supponit morbum per potum inebriantem *necessario* curandum, sed recurrendum dicet ad aquam tepidam, quæ eamdem vim vomitivam habet quin malum effectum causet. Sed principia quæ ibidem enuntiat mentem suam satis ostendunt.

tem minitanti nisi pareat. Posset hîc quandoque agi de ebrietate directa, si nempe medium placendi amico vel tyranno esset non præcise potatio, sed ipsa privatio rationis (tunc per medium ebrietatis finis obtineretur, istudque medium a bibente necessario intenderetur). Sed generatim sermo erit de indirecta ebrietate, proindeque pendebit res a quæstione proportionis inter effectum bonum et effectum malum, omnibus inspectis. Jamvero si effectus bonus intentus sit simpliciter favor amici, patet hanc rationem non sufficere, ne quidem ad effectum semiplenæ ebrietatis permittendum; si agitur de favore heri, pro circumstantiis licebit potus cum prævisione semiplenæ vel forsan plenæ quandoque ebrietatis; si de tyranno et de vita servanda, licita erit ebrietas indirecta etiam perfecta (1).

Conclusio: Cum in ebrietate (materiali) *indirecta* privatio rationis sit tantum *effectus permissus*, licere dicenda est proportionata de causa.

IV

Q. *Judica utrum liceat moribundos inebriare vel alio modo rationis usu privare, ut sine sensu doloris decedant.*

R. Agitur hîc de applicatione particulari principiorum sub quæstione præcedendi expositorum, et iterum quidem de liceitate ebrietatis *indirectæ*.

Sensus doloris, apud ægrotos et moribundos, sopiri natus est tum potu inebriante (quod utique nostris diebus parum in usu est), tum melius chloroformio, morphina, et aliis hujusmodi remediis, quæ pro nostra quæstione in eadem linea morali ponenda sunt ac ipsa potatio. Notandum autem est quod horum virtus primaria sedativa sit nervorum, non privativa rationis; consequens potius est ad nervorum sedationem ex una parte cessatio doloris, ex alia parte privatio usus ra-

(1) Excluditur casus quo in odium virtutis ageret tyrannus vel herus.

tionis. Quod quidem in confesso esse videtur quoad medicinas de quibus sermo est, pari autem ratione dici potest de potu inebriativo: « non enim homo privari potest usu rationis agendo directe in ipsam rationem, sed in organa corporea et vires sensitivas, quibus alligatur intellectus in suis operationibus; unde quasi unum et idem est privari usu rationis et sopiri sensum, aut si non sit idem, defectus rationis potius consequitur sensus soporem quam eum præcedat, et revera in brutis animalibus sensus sopitur potu inebriativo » (1).

Unde potatio (vel punctio cum morphina etc.) duplicem effectum habet: sedationem doloris et privationem usus rationis; bonus autem effectus non obtinetur mediante malo, proindeque agitur de ebrietate (vel privatione rationis alias obtinente) indirecta (2).

Jamvero si quæstio esset de ægroto (non moribundo) qui ad talia remedia recurreret ad vehementes dolores sedandos, vel ad operationem chirurgicam sine dolore subeundam, liceitatem actus affirmandam diceremus: proportio namque requisita existit, seu ratio sufficiens agendi; aliis verbis, bonus effectus, omnibus inspectis, generaliter sufficientis esset momenti ut compenset malum vel malos.

Et hoc quidem, prima fronte, extendendum forsan videretur etiam ad casum de quo in quæstione nostra; eadem enim est causa posita, idem processus, similis finis intentus. Sed animadvertum est non unum in casu proposito dari effectum pravum, sed plures, proportionem autem debere servari inter effectum bonum et

---

(1) Ill^mus ac Rev^mus WAFFELAERT, l. c. p. 206. Sopor ergo sensuum dolorem aufert et non necessaria est ad hoc privatio rationis, quæ proinde intendi non debet, etsi utique ægrotus, usu rationis jam orbatus, exinde etiam insensibilis evadat

(2) S. Alph. cum aliis quibusdam directam ebrietatem (seu privationem rationis) in hisce casibus invenit, propterea que universaliter eos illicitos declarat. Huic sententiæ non assentimur, etsi fateamur dari alios casus plus minusve analogos, in quibus directa esset seu intenta privatio rationis: ut si v. g. moribundus se inebriaret *ut sine conscientia sui decedat.*

omnes effectus malos prævisos. Etenim in fine vitæ summopere interest homini usus rationis, ut valeat se ad mortem instantem præparare, se reconciliando cum Deo in quantum opus est, et acquirendo pretiosa merita; privatio autem rationis in isto momento æquivalet malo spirituali cujus magnitudo superat effectum bonum temporalem qui intenditur. Quod certo certius est casu quo moribundus nondum est in statu gratiæ, vel dubie tantum ad mortem paratus; prohibitionem autem extendunt auctores etiam ad casus alios in quibus privatio usus rationis merita tantum impediret acquirenda.

Sic v. g. dicit Lehmkull, *Theol. mor.*, t. I, n° 892, loquendo de medicis qui talia agunt: « Quare si ægrotus nondum bene præparatus est ad mortem, talis medicorum industria omni vi impedienda est; si autem bene præparatus est, et ex continuato rationis usu periculum graviter labendi oriatur, positive permitti quidem nequit ejusmodi medicorum praxis, silentio prætermitti utique potest. At si labendi periculum abest, nullo modo res silentio permittenda est generatim loquendo, quia occasio multum merendi ægroto subtrahitur ».

Conclusio igitur erit: Cum in casu proposito, omnibus perpensis, proportio requisita deficiat inter effectum bonum et effectus malos, illicita est praxis de qua agitur.

E. Hosten.

V

Q. *Faites voir comment la situation économique du Saint Siège, après la paix de Constantin, surtout au VIIe siècle, prépara et favorisa l'établissement de la souveraineté temporelle des papes* (1).

R. C'est sans contredit dans la situation économique

(1) Il importe de remarquer préalablement que les États Pontificaux se sont formés lentement sous la poussée des événements comme la plu-

du Saint Siège, dans sa fortune foncière devenue de plus en plus considérable depuis la paix de Constantin et surtout au VIIe siècle, qu'il faut chercher les premières origines de la souveraineté temporelle des papes. Pour mieux saisir l'importance, au point de vue qui nous occupe, des patrimoines de l'Église romaine *(patrimonia Petri)*, nous dirons un mot de leur étendue et de leur organisation ainsi que du rôle social, éminemment bienfaisant, qu'ils permettaient aux papes d'exercer (1).

I. Origine et développement.

Il faudrait remonter aux premiers temps de l'Église pour retrouver les origines de la propriété ecclésiastique. Modeste et limitée aux besoins religieux pendant la persécution, légale pourtant ou au moins tolérée dès cette époque, elle acquit toute l'autorité de la loi impériale, quand, après l'édit de 313, un décret de Constantin accorda la liberté de tester en faveur de la très sainte et vénérable communauté catholique. Dès lors les biens d'Église, surtout ceux de l'Église romaine, augmentèrent considérablement: Constantin lui-même montra une libéralité vraiment princière, avec laquelle

---

part des états, avec cette différence que l'influence du chef, en sa qualité de pape, a été ici plus significative qu'ailleurs. On peut ramener à deux groupes les circonstances diverses, qui préparèrent l'établissement de la souveraineté temporelle des papes: 1/ la situation *économique*, 2/ la situation *politique* de la papauté dans l'empire décadent. Ces deux facteurs principaux feront l'objet de deux réponses successives; dans une troisième réponse nous parlerons de la confirmation et de l'établissement définitif de la souveraineté temporelle, grâce à l'intervention des Francs.

Voir l'exposé succint des faits et la bibliographie des sources et des ouvrages principaux dans Albers-Hedde, t. I, p. 254 et p. 316, et dans Funk-Hemmer, t. I, p. 359. L'ouvrage capital est celui de Duchesne, *Les premiers temps de l'État Pontifical* (754-1073), Paris, 1898, 2e éd. 1904.

(1) Outre les ouvrages généraux, nous avons surtout consulté les articles de Jules Doisé sur le *Rôle politique et social de Saint Grégoire le Grand* et *Les Patrimoines de l'Église romaine au temps de Saint Grégoire*, parues dans les *Études*, t. XCLX (1904), p. 182-208 et p. 672-693; ainsi que H. Grisar S. J., *Histoire de Rome et des Papes au moyen âge*, Paris 1906.

voulut rivaliser la noblesse récemment convertie (1). Le *Liber pontificalis* (2) donne de nombreux détails à ce sujet: déjà sous le pape Silvestre l'Église romaine possédait des biens importants: dans la ville, en dehors des terrains affectés à des fondations nouvelles de basiliques, ces propriétés consistent surtout en maisons, granges, jardins, bains et fours; hors de Rome ce sont des terres de culture, des prairies, des forêts, surtout des fermes sises d'ordinaire aux abords des grandes voies et non seulement dans les provinces de l'Italie centrale et méridionale mais jusqu'en Numidie et Maurétanie et dans les *parties* de l'Orient.

Sous les pontifes, qui vinrent ensuite, sous Marc, Damase, Innocent, Sixte III, la fortune territoriale de Saint-Pierre s'arrondit singulièrement: de nouveaux centres *(massæ)* s'ajoutent aux anciens et des villes figurent même sur la liste des possessions ecclésiastiques. Ces accroissements nous sont surtout connus par les détails conservés au sujet de l'administration temporelle de saint Grégoire le Grand (590-604) (3). Du temps de ce pape, les *patrimonia*, en Italie au moins, prenaient le nom des anciennes provinces romaines: il y avait un *patrimonium Syracusanum, Panormitanum, Calabritanum, Apulum, Samniticum, Neapolitanum, Campaniæ, Tuscum, Illyricanum, Gallicanum,* etc..., en tout 23 patrimoines. Les plus riches étaient situés en Sicile et formaient à peu près une principauté; saint Grégoire y signale au moins 400 fermes, qui donnèrent bientôt

---

(1) Cfr. FOURNERET, *Les biens d'Église après les édits de pacification.* Paris, 1902.

(2) Le *Liber Pontificalis,* ou recueil des vies des Papes fut composé à diverses époques: la partie la plus ancienne (jusqu'en 530) fut rédigée sous Boniface II (530-532). Le *Liber* fut continué ensuite par diverses mains. Mgr Duchesne en a donné une édition savante en 2 volumes (1886-92).

(3) Les œuvres de Saint Grégoire, surtout ses lettres et dialogues nous donnent les meilleurs renseignements au sujet de la situation économique du Saint Siège; on les trouve dans MIGNE, *P. L.*, t. LXXVII.

un revenu de plus de 400.000 francs. En outre, venaient à Rome, chaque année, deux flottes chargées de blé; cette cargaison fut, en 591, augmentée de 45.000 francs. Dans la basse Italie, la ville de *Gallipolis* et, selon quelques uns, *Otrante, Terracine, Volturnum* et *Naples* appartenaient au Saint-Siège. La superficie totale atteignait 4.700 kilomètres carrés (1).

II. **Organisation et administration.**

Les accroissements fonciers nécessitèrent, à la fin du Ve siècle, une organisation qui en assurât le plein rendement. Le pape Gélase s'employa à cette œuvre; les propriétés, éparses jusqu'alors, furent groupées sous des administrateurs régionaux; Vigile et Pélage perfectionnèrent ce mode d'administration, qui sous Grégoire le Grand atteignit sa perfection (2).

La division ultime des propriétés de l'Église romaine, c'est la ferme (le *fundus*), cultivée par des paysans attachés au sol bien que personnellement libres. Plusieurs de ces *fundi* (de 5 à 35) formaient une *massa*, ordinairement donnés en bail *(conductores massarum)*. Les paysans ou colons travaillaient sous les ordres du locataire, auquel ils payaient leurs redevances. Conducteurs et colons appartenaient à l'Église et composaient la *familia principis apostolorum*. Enfin les *massæ*, groupées d'après leur situation géographique, formaient les *patrimonia* que nous avons signalés plus haut. Le pape administrait ces biens par des *Rectores*, clercs de l'Église romaine, aidés par des *Actores* et des *Defensores*. Le recteur de patrimoine était le véritable représentant du Saint Père pour la *familia :* conflits et différends, abus et malversations étaient évoqués et jugés à son tribunal; il était le recours et du paysan contre le fermier et du fermier contre le paysan; mais il avait surtout la haute surveillance de l'exploitation des biens et du recouvrement des revenus.

---

(1) Albers-Hedde, *o. c.*, p. 255.
(2) Voir Grisar, *o. c.*, t. II, p. 152 ss.

III. **Rôle social des papes.**

Les revenus immenses des patrimoines, dont le pape avait la libre disposition, lui donnaient le moyen d'exercer un rôle social éminemment bienfaisant et lui assuraient le dévoûment sans bornes du peuple qui en profitait.

D'abord l'exploitation du domaine faisait vivre non seulement toute une armée de fonctionnaires (1), mais surtout cette immense *familia romanæ ecclesiæ*, tout le personnel attaché aux *fundi*, fermiers, colons, serfs. Et Saint Grégoire nous apprend comment était gouvernée cette *familia*. « Je ne veux pas dit-il, que la bourse de l'Église soit souillée par des gains sordides ». Ce même pape cherchait à amasser non des trésors mais des mérites en répandant des bienfaits (2). Les recteurs devaient affecter une bonne part des revenus aux besoins du patrimoine lui-même, surtout aux bonnes œuvres; car sur les terres de l'Église, il existait toujours un grand nombre d'établissements pieux à la charge du recteur.

Les revenus cependant étaient encore importants; mais c'était le peuple romain qui en tirait le principal profit. « La plupart des dépenses faites pour le culte, construction et réparation des sanctuaires, fabrication des ustensiles sacrés, fournissaient du travail et des salaires à tout un peuple d'artisans. Au trésor de l'Église incombait encore l'entretien des plus pauvres,

(1) Les recteurs étaient déjà entourés d'aides nombreux, notamment d'*actionarii* (agents receveurs qui recueillaient les rentes); mais surtout à Rome, en dehors du *Saccellarius* (payeur général) et de l'*arcarius* (caissier général), il y avait un nombreux personnel de scribes, de notaires, de défenseurs, de juges et de conseillers clercs. Cfr. Doisé, *a. c.*, p. 687.

(2) Le fermage à payer était peu considérable, quelques colons même ne payaient que l'argent de l'acte recognitif (Albers, *o c.*, p. 256). Saint Grégoire s'intéressait beaucoup à ces petites gens, il avait à cœur de protéger les paysans contre les vexations possibles de leurs chefs. Cfr. Doisé, *a. c.*, p. 679-85.

qui en recevaient des pensions alimentaires. Mais de plus en plus, le Pape, en bon pasteur, ne pouvait se désintéresser des autres besoins de ses ouailles. Il assumait une bonne part des services administratifs de Rome : entretien et réparation des fortifications de la ville, travaux de voirie et d'aqueduc, approvisionnement des marchés, protection des petits contre l'oppression des fonctionnaires impériaux, toutes occupations dispendieuses et absorbantes, comme le constatait déjà saint Grégoire le Grand, se plaignant que son Siège apostolique fût assailli par ce flot croissant des affaires séculières. L'Église de Rome n'exerçait encore aucune des prérogatives du souverain qu'elle en supportait déjà toutes les charges ». A ces paroles de M. Ch. Mœller (1), qui résument très bien le rôle social de la Papauté, ajoutons que bien des fois les papes puisèrent largement dans leur trésor, soit pour arrêter les hordes sauvages des barbares, soit pour payer les frais des campagnes menées contre eux, soit enfin pour réparer les ruines laissées après leur passage.

Conclusion.

L'importance de la puissance matérielle des papes au point de vue de la formation des États Pontificaux ressort à l'évidence des considérations précédentes. Nous pouvons la résumer dans les deux conclusions suivantes (2) :

1/ Par le fait même des immenses possessions, qu'ils avaient à sauvegarder, les papes, déjà bien avant Etienne II, ont dû s'intéresser à la situation politique de la péninsule ; leurs richesses leur permettaient d'ailleurs d'intervenir efficacement dans la lutte du peuple romain contre les barbares.

---

(1) *Histoire du moyen âge*, Louvain, 1905, p. 497 ss. ; Cfr. Mourret, *L'Église et le Monde barbare*, Paris, 1909, p. 285 ss. ; Grisar, *o. c.*, t. II, p. 341.

(2) Cfr. J. Marx, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, Trier, 1908, p. 273.

2/ D'autre part, propriétaires d'immenses domaines, administrés avec une rare sagesse et une non moins rare bonté pour les personnes, les papes avaient durant plus de deux cents ans montré leur aptitude à manier les hommes. Et surtout ils avaient fait de leurs finances un emploi si bienfaisant et si conforme à l'intérêt du peuple italien, que celui-ci non seulement se plaça volontiers sous la domination temporelle de l'évêque de Rome; mais se tourna lui-même dans les circonstances critiques vers la seule force qui eut le pouvoir et la volonté de le secourir (1).

R. De Schepper.

VI

Q. *Quelles sont les prescriptions liturgiques concernant la matière et l'ornementation du corporal et de la pale? Quelle est la raison de ces prescriptions?*

R. Le corporal et la pale doivent être de toile blanche, lin ou chanvre, sans ornements appliqués, parce que, destinés à recevoir et à couvrir le Corps et le Sang de Notre-Seigneur, ils représentent d'après le symbolisme ancien et officiel, le linceul et le suaire qui ont servi à l'ensevelissement du Christ.

Historique et symbolisme.

Le principe et le symbolisme de cette prescription remontent aux premiers siècles. Il est probable que déjà les premiers chrétiens auront recouvert l'autel d'un linge qui

---

(1) Pendant une grande partie du moyen âge, on a cru trouver l'origine du pouvoir temporel des papes dans une donation formelle de Constantin. D'après le fameux document, connu sous le nom de *Donatio Constantini*, l'empereur donna: « tam palatium nostrum,..... quamque rome urbis et omnes italiæ seu (et) occidentalium regionum provincias, loca et civitates ». La fausseté de cette pièce est aujourd'hui démontrée. Cf. Funk-Hemmer, t. I, p. 366.

aura servi à la fois de nappe d'autel et de corporal. Dès le IIIe siècle ce linge eucharistique est mentionné sous le nom de σινδών (1), terme dont se servent les trois synoptiques (2) pour désigner le linceul du Sauveur. Plus tard, il est vrai, certains textes montrent sur l'autel des étoffes de pourpre, de soie brodée d'or, des tissus ornés de pierres précieuses; mais il est difficile de savoir s'il s'agit de notre corporal ou plutôt d'une nappe ou ornement de l'autel (3).

Quoiqu'il en soit, l'usage et la loi ne tardèrent pas à exclure tout corporal qui ne serait pas de toile blanche. Si l'on pouvait en croire le *Liber Pontificalis*, le pape S. Silvestre (314-335) aurait déjà édicté semblable mesure: le décret fut inséré plus tard dans le *Decretum Gratiani* du Corpus juris: « Consulto omnium constituimus ut sacrificium altaris *non in serico panno aut intincto* quisquam celebrare missam presumat, sed *in puro lineo* ab episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto; sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in *sindone linea munda* sepultum fuit » (4). L'attribution de cette mesure à S. Silvestre est très sujette à caution, mais la notice du *Liber Pontificalis* atteste au moins que la pratique et l'idée en question étaient courantes à Rome au moment de sa rédaction (au VIe siècle). Au reste, S. Isidore de Péluse, en Egypte († c. 435) et S. Germain de Paris († 523) avaient exprimé les mêmes idées (5). Le texte de S. Germain distingue déjà nettement entre la « palla linostima », c'est-à-dire la nappe d'autel, symbolisant la tunique sans couture du Christ, et la « corporalis palla » (6). Le même usage, basé sur la même raison symbolique, se perpétue à travers

---

(1) *Acta Thomæ* ed. Max Bonnet, p. 35. Comp. AMALARIUS, *De eccles. off.* c. 19 « *Sindone* quam solemus *corporale nominare...* »

(2) Matth. XXVII, 59; Marc, XV, 44; Luc, XXIII, 53.

(3) Voir plus haut, *Collat. Brug.*, p 205 s.

(4) Decret. parte III, de Consecratione, c. 46 (ed. Friedberg).

(5) « Pura illa *sindon* quæ sub divinorum donorum ministerio expansa est » ISIDOR. PELUSIOT., Epist. I, 123 (Migne, Patr. Græc., t. 78, c. 264).

(6) « Corporalis vero palla ideo *pura linia* est super quam oblatio ponitur, quia corpus Domini *puris linteaminibus* cum aromatibus fuit obvolutum in tumulo » S. GERMANI, *Expositio brevis antiq. liturg. Gallicanæ*, Ep. I, (Migne, Patr. Lat., t. 72, c. 93).

tout le moyen âge. Contentons-nous de rappeler ces vers attribués à Hildebert :

Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena
Sindonis officium candida byssus habet (1).

Le symbolisme s'est même développé et précisé en même temps que la forme et l'usage du corporal se modifiaient. Le corporal destiné à recevoir sur l'autel les offrandes des fidèles était primitivement très grand, à tel point qu'il couvrait tout l'autel (2). Il imitait donc par sa forme le linceul du Christ.

S'en servait-on pour recouvrir les oblata ? Les textes anciens ne font pas allusion à cette pratique. Mais dès le XIe siècle au moins, ils mentionnent clairement qu'on se servait du corporal pour couvrir le calice, soit dès le commencement du sacrifice « propter custodiam immunditiæ » comme dit S. Anselme de Cantorbery (3), soit au moins à la fin de canon, comme l'indique Honorius d'Autun (4). A cette fin on repliait généralement la partie postérieure du corporal sur le calice, de façon à couvrir tout le bord de la coupe, en laissant cependant à découvert la face antérieure de la coupe et du calice. Dans cette partie repliée du corporal on a vu le symbole du suaire (5) que S. Jean trouva dans le tombeau du Christ, « non cum linteaminibus positum sed separatim involutum in uno loco » (6). L'usage du corporal

---

(1) Migne Patr. Lat., t. 171, c. 1194. Voir encore par exemple Reginon de Prüm, *De discipl. eccles.*, c. 118 ; Beda, *in Lucæ Evang.* VI, 24.

(2) Par exemple dans le second *Ordo Romanus*, c. IX, deux diacres sont chargés de replier le corporal ensemble. Il n'en était pas partout ainsi et Réginon de Prüm (loco cit.) dit que le corporal doit être plié et placé dans le sacramentaire ou Missel.

(3) Voir à ce sujet dans Migne P. L., t. 158, p. 550 ss. la consultation adressée par Waleran, un évêque allemand, à S. Anselme de Cantorbery († 1109) et la réponse de celui-ci.

(4) *Gemma animæ* I, 47 (Migne P. L., t. 172, c. 558). Ce moment était choisi probablement pour accentuer le symbolisme du suaire, car la fin du canon coïncidait, dans l'interprétation mystique médiévale, avec la mort du Sauveur.

(5) *Gemma animæ*, l. c.; Durand, *Ration. divin. off.*, l. IV, c. XXIX, n. 4. Certaines pierres tombales du moyen âge (par exemple à l'Eglise Notre-Dame et à la Cathédrale à Bruges) montrent que même au moyen âge on recouvrait d'un suaire la tête du mort, mais sans cacher la figure.

(6) S. Joan. XX, 7.

ainsi replié subsista longtemps (1) : aujourd'hui encore les Chartreux suivent cette pratique.

Dans certains endroits pourtant, pour plus de facilité ou peut-être pour imiter de plus près le suaire séparé, on couvrait le calice « panno complicato instar sudarii » (2). C'est l'origine de la *pale*. Mais même séparée, la pale était considérée comme une portion détachée du corporal, à tel point qu'il est difficile de savoir si certains textes parlent de deux linges distincts ou d'un seul faisant office de corporal et de pale (3). La pale restait donc soumise aux mêmes prescriptions que le corporal.

Outre le symbolisme spécial que nous venons d'indiquer, la blancheur du linge exprime encore le respect profond que nous devons au Corps de Notre-Seigneur et la pureté d'âme avec laquelle nous devons le recevoir (4).

Prescriptions actuelles.

1. Cet exposé historique nous met en état de comprendre pleinement le sens des formules de la « *Benedictio corporalium* » du Rituel Romain (tit. VIII, c. XXII). La première formule indique la destination principale du corporal : « sanctificetur ad *consecrandum super illud*

---

(1) Voir N. F. ROBINSON, *Concerning three eucharistic veils of western use*, p. 134 ss. dans *Transactions of the S. Paul's ecclesiological studies*, t. VI, p. 129-160.

(2) *Epist. Walerani* à S. Anselme, Migne P. L., t. 172, p. 550.

(3) Par exemple le texte d'INNOCENT III, *De sacro altaris mysterio*, l. II, c. 65 : « de corporalibus et quare una pars extenditur et altera complicatur ». Le corporal ancien « habens *tres* plicatus in latum et *quatuor* in longum » était plié « ut nec initium nec finis ejus appareat ». (PSEUDO-ALCUINUS, *de div. offic.*, Migne P. L., t. 101, c. 1252) : il semblait donc être double et on disait aussi bien « corporalia » ou « par corporalium » que « corporale », tout comme nous disons « une paire de ciseaux ». Innocent semble parler d'un seul corporal, tandis que DURAND, *Rationale divin. offic.*, l. IX, c. XXIX, n. 4, paraît plutôt avoir en vue une pale séparée du corporal. D'après les *Consuetudines* des Cisterciens, le corporal était étendu de façon à avoir ses quatre plis dans le sens de la profondeur de l'autel, et les trois plis dans le sens de sa longueur ; l'hostie était placée dans le carré antérieur du milieu, le calice dans le second carré du milieu, et le quatrième carré était replié sur le calice.

(4) AMALARIUS, *De ecclesiast. offic.* l. III, c. 19 ; HONORIUS AUGUSTODUN. *Sacramentarium*, c. 85.

Corpus et Sanguinem Dei et Domini nostri... » (1). Les deux suivantes expriment plus clairement le symbolisme et l'usage du corporal ancien ou du corporal et de la pale modernes : « ad *tegendum involvendumque* Corpus et Sanguinem... », « Corporis et Sanguinis Redemptoris nostri *novum sudarium...* » (2). On comprend dès lors pourquoi ces formules peuvent et, d'après les décisions de S. Congrégation, doivent servir, sans changement aucun, à la bénédiction d'une pale aussi bien que d'un corporal ou encore à celle de pales et de corporaux tout ensemble (3).

2. L'histoire du corporal nous montre aussi combien sont conformes à toute la tradition liturgique les prescriptions des rubriques et les décisions de la S. Congrégation concernant la matière et l'ornementation du corporal et de la pale.

Le Missel prescrit nettement que le corporal « *ex lino* tantum esse debet, *nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album* » (4) ; il appelle la pale « parva palla *linea* » (5); il considère comme un défaut dans la célébration de la messe « si corporalia (c'est-à-dire corporal et pale) non sint munda, quæ debent esse *ex lino*, *nec serico in medio ornata* » (6).

Par ses décisions la S. Congrégation n'a fait que confirmer et sauvegarder ces prescriptions traditionnelles. Elle a toutefois admis que les linges d'autel soient tissés de lin *ou de chanvre:* le décret général

---

(1) Cette première formule du Rituel Romain se retrouve textuellement, sauf les mots *et Sanguinem* dans le *Liber ordinum* de la liturgie mozarabe, édité par Dom Férotin (p. 11). Elle semble donc remonter au VIIe siècle.

(2) Voir dans Migne P. L., t. 138, c. 1027, une autre formule ancienne (ms du XI s.) qui exprime plus clairement encore le symbolisme du linceul du Christ. La première formule du Rit. Rom. s'y trouve également ajoutée.

(3) Decr. S. R. C. nn. 3524, II, III, 1, 2, 3.

(4) *Rit. celebrandi*, t. I, 1.

(5) Ibid.

(6) *De defectibus*, t. X, 1.

n. 2600 le dit explicitement, mais proscrit en même temps avec énergie (1) toute autre matière « alors même que celle-ci égalerait ou même surpasserait le lin ou le chanvre en pureté, blancheur et solidité ». Elle a d'ailleurs répondu à diverses questions en prohibant tout autre tissu, par exemple de coton, de lin et de coton (n. 1287) d'orties (n. 3387) ou de nippis (2) (n. 3868, 1).

Quant à l'ornementation, il n'est nullement défendu de se servir d'une toile *damassée:* dans le damas les ornements ne sont pas appliqués, ils sont tissés dans la toile même. Il est même fort à recommander que pour le linge d'autel on choisisse un damassé aux dessins symboliques appropriés au culte eucharistique. On peut se procurer par exemple des corporaux ornés d'épis et de feuilles de vigne, ou des instruments de la passion, ou encore représentant des anges adorateurs entourant l'hostie et le pied du calice; des pales dont le damas porte la figure ou le monogramme du Christ.

La seule applique que les auteurs admettent sur le corporal est une petite croix, rouge d'ordinaire, sur le devant, afin de marquer l'endroit où le célébrant doit baiser l'autel ou le carré sur lequel il faut consacrer. Elle n'est nullement prescrite; elle ne nous semble même pas à recommander. Toute broderie appliquée peut être un inconvénient alors qu'il s'agit de recueillir soigneusement les parcelles de la Sainte Hostie.

Tout le monde admet qu'on peut entourer le bord du corporal et de la pale d'une petite dentelle: ceci n'est pas une applique, c'est une ajoute extérieure.

L'ornementation de la pale s'est développée davantage. Pour mieux imiter le « sudarium revolutum » du

---

(1) Le décret cité permet de se servir jusqu'à usure de nappes d'autel, d'aubes ou d'amicts déjà confectionnés en une autre matière; mais elle excepte de cette tolérance les corporaux et les pales qui ne seraient pas de lin ou de chanvre. Voir aussi décret n. 3868, 2.

(2) Toile des Philippines et du Madagascar que l'on fabrique avec du fil extrait du cœur des balisiers et des bananiers.

Sauveur, on semble avoir de prime abord replié ou doublé le linge qui devait servir de pale. Plus tard, pour lui donner de la consistance, on l'a amidonné : telle est la pale dont on se sert encore aujourd'hui en Italie : moins commode peut-être que la nôtre, elle est restée beaucoup plus conforme à son origine et à sa signification symbolique.

En France et dans les pays septentrionaux, on a glissé entre les deux carrés de la pale un carton, parfois même une planchette. Le symbolisme disparaissant ainsi en grande partie, on s'est efforcé d'orner la partie supérieure aussi richement que possible. Un décret de la S. C. des Rites du 22 Janvier 1701 (n. 2067, 2) défendant de couvrir la partie supérieure d'un drap de soie, n'enraya pas le mouvement. La S. Congrégation finit par consentir un compromis. Un décret du 17 Juillet 1894 (n. 3832, 2) permet de couvrir le haut de la pale d'un drap de soie, ou de broderies d'argent ou d'or, à l'exclusion toutefois de tout tissu noir et de tout symbole funèbre. Mais en même temps il exige qu'une pale de lin (ou de chanvre) cousue sous le tissu supérieur couvre le calice. Dans l'idée de la S. Congrégation c'est cette partie inférieure qui seule est considérée comme la vraie pale liturgique ; c'est à elle que continuent à s'appliquer les prescriptions rituelles : elle doit être de lin ou de chanvre et sans ornementation. Cela ressort plus clairement encore d'une décision récente, du 24 Novembre 1905, déclarant que la pale inférieure, la « pale proprement dite », doit être de lin, propre, qu'elle doit pouvoir se détacher facilement (1) de la partie qui lui sert de décor et ne doit pas être munie d'une croix (2).

C. Callewaert.

---

(1) Cette prescription marque plus nettement la différence entre « la pale proprement dite » et ce qui n'est qu'une ajoute tolérée, elle permet aussi plus facilement de laver la pale.

(2) Voir dans les *Collat. Brug.*, t. XI, p. 196 le texte et l'explication de ce décret.

Sacra Congregatio de Religiosis

Decretum de religiosis, servitio militari adscriptis.

1 Januarii 1911 (1).

Inter reliquas difficultates, quibus premitur Ecclesia Christi nostris temporibus, ea quoque recensenda lex est, qua ad militiam adiguntur etiam juvenes, qui in religiosis Familiis Deo famulantur.

Nemo sane non videt, quantum detrimenti ex hac infausta lege provenire possit, quum juvenibus, tum ipsis Sodalitatibus. Dum enim militiæ vacant religiosi tyrones, facile vitiis maculari possunt, quibus infecti, vel, neglectis, quæ emiserant, votis, ad sæcularia remigrabunt, vel quod longe pejus est, religiosam repetent domum, cum periculo alios contaminandi.

Ad hæc igitur præcavenda mala, Sacra Congregatio, Negotiis Religiosorum Sodalium præposita, in Plenario Cœtu E^morum^ Patrum Cardinalium, die 26 mensis Augusti 1910 ad Vaticanum coadunato, sequentia decrevit:

I. In Ordinibus Regularibus, in quibus vota solemnia emittuntur, juvenes, quos exemptos esse certo non constet a servitio militari activo, scilicet ab eo servitio, quod ipsi primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos præstare debent, admitti nequeunt ad Sacros Ordines vel ad solemnem professionem, quousque non peregerint servitium militare et, hoc expleto, saltem per annum, juxta infra dicenda, in votis simplicibus permanserint, servato quoad Laicos decreto *Sacrosancta Dei Ecclesia* (2) hac eadem die edito.

II. In Institutis votorum simplicium juvenes, de quibus in articulo præcedenti, ad vota dumtaxat temporaria admitti poterunt usque ad tempus militaris servitii: nec illis, dum militiæ operam dant, professionem renovare liceat. — A militari servitio dimissi cum fuerint, professionem iterum, saltem ad annum, emittent, antequam professionis perpetuæ vinculo se obstringant.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, p. 37 ss.

(2) Cf. supra p. 357.

III. Caveant autem juvenes militiæ servientes, ne sanctæ vocationis donum amittant ac ea semper modestia et cautela conversentur, quæ decet Religiosos viros. Quamobrem a locis et conventiculis suspectis abhorreant, a theatris, choreis aliisque spectaculis publicis abstineant; malorum commercium, lubricas conversationes, res a religione absonas, viros doctrinas suspectas profitentes, lectiones moribus aut fidei a S. Sedis dictatis contrarias ceteraque peccandi pericula evitent; ecclesias, sacramenta, quantum eis liceat, frequentare non omittant; circulos seu cœtus catholicos ad animi recreationem et instructionem adeant.

IV. Ubicumque eorum statio ponatur, si ibi domus suæ Religionis aut Instituti habeatur, eam frequentent et sub Superioris immediata vigilantia sint. — Si vero domus prædicta non adsit, vel eam commode frequentare nequeant, sacerdotem ab Episcopo designatum adeant, ejus consiliis et consuetudine utantur, ut quando eamdem stationem deserere oporteat, testimonium in scriptis de observantia eorum omnium, quæ in articulo præcedenti præscripta sunt, ab eodem accipere valeant. — Quodsi sacerdos ab Episcopo designatus non habeatur, ipsi sibi eligant prudentem sacerdotem, statim indicandum Superioribus suis, qui ab Ordinario de moribus, doctrina et prudentia ejusdem sibi notitias comparabunt. Præterea, epistolarum commercium instituant ac, quantum fieri potest, sedulo persequantur cum suo respectivo Superiore aliove religioso seu sodali sui Instituti ad id designato, quem certiorem faciant de suæ vitæ ratione et conditione, de singulis mutationibus suæ stationis et præsertim illi notificent nomen et domicilium illius sacerdotis, cujus cunsuetudine et directione utuntur, ut supra præscriptum est.

V. Superiores Generales aut Provinciales etiam locales, juxta uniuscujusque Instituti morem, per se vel delegatum sodalem (qui sacerdotali ordine sit insignitus in clericalibus Institutis) de vita, moribus et conversatione alumnorum, perdurante militari servitio, inquirere omnino teneantur, opera præcipue sacerdotis vel sacerdotum, de quibus supra, per secretas epistolas, si opus sit, ut certiores fiant, an ii rectam fidei et morum viam servaverint, cautelas supra præscriptas observaverint et divinæ vocationi se fideles præbuerint, graviter onerata eorum conscientia.

VI. Cum a militari servitio activo definitive dimissi fuerint, recto tramite ad suas quisque religiosas domus remeare teneatur, ibique, si certo constet de eorum bona conversatione, ut in articulo præcedenti dictum est, præmissis aliquot diebus sanctæ recollectionis, qui Institutis votorum simplicium addicti sunt, ad renovandam professionem temporariam admittantur; in Ordinibus vero Regularibus, inter juniores clericos seu professos, aut saltem in domo, ubi perfecta vigeat regularis observantia, sub speciali vigilantia et directione religiosi, pietate et prudentia commendabilis, qui in Institutis clericalibus sacerdos esse debet, collocentur. In eo statu integrum tempus (quod minus anno esse non poterit juxta dicta in articulis I et II) ad tramitem Apostolicarum Præscriptionum et propriæ Religiosæ Familiæ Constitutionum præmittendum votis solemnibus vel perpetuis, complere debent, ita tamen, ut computetur quidem tempus in votis simplicibus vel temporaneis transactum a prima votorum emissione usque ad discessum a domo religiosa, servitii militaris causa; non vero quod militiæ datum fuit.

VII. Eo tempore, studiis et regulari observantiæ dent operam; Superiores autem immediati ac sodales juniorum directioni præpositi eos diligentissime considerent, eorum mores, vitæ fervorem, placita, doctrinas, perseverandi studium perscrutentur, ut de eis ante ultimam professionem majoribus Superioribus rationem sub fide juramenti reddere valeant.

VIII. Si qui, perdurante militari servitio vel eo finito, antequam ad professionem solemnem aut perpetuam admittantur, dubia perseverantiæ signa dederint, vel præscriptis cautelis militiæ tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore Generali de consensu suorum Consiliariorum seu Definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur. — Quodsi ipsi juvenes a votorum vinculo se relaxari desiderent aut sponte petant, facultas fit Superioribus prædictis, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, vota solvendi, si agatur de Institutis clericalibus: si vero res sit de Institutis laicorum, vota soluta censeantur per litteras Superiorum, quibus licentia eis fit ad sæculum redeundi.

IX. Hisce præscriptis teneantur etiam ecclesiasticæ So-

cietates quæ, licet non utantur votis, neque solemnibus neque simplicibus, habent tamen simplices promissiones, quibus earum alumni ipsis Societatibus adstringuntur.

X. Si quid novi in hoc Decreto non prævisum, vel si quid dubii in ipsius intelligentia occurrerit, ad hanc S. Congregationem in singulis casibus recurratur.

Quæ omnia Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente Subsecretario, rata habere et confirmare dignatus die 27 ejusdem mensis Augusti 1910. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die 1 Januarii 1911.

L. ✠ S. Fr. J. C. Card. Vives, *Præfectus.*
† Donatus Archiep., Ephesinus, *Secretarius.*

S. Congregatio Indicis

I

Decreto diei 3 Januarii 1911 (1) in indicem librorum prohibitorum relata sunt hæc opera :

Franz Wieland, *Mensa und Confessio. — Der Altar der vorkonstantinischen Kirche. München, 1906.*

— *Die Schrift Mensa und Confessio und P. Emil Dorsch S. J. in Innsbruck. Eine Antwort. Ibid., 1908.*

— *Der vorirenäische Opferbegriff. Ibid., 1909.*

Joseph Turmel, *Histoire de la théologie positive du Concile de Trente au Concile du Vatican. Paris.*

La vraie science des Écritures, *ou les erreurs de la scholastique et l'enseignement officiel de l'Église sur le vrai sens de la Bible, par X. — Annonay et Montligeon, 1909.*

Lasplasas, *Origen, naturaleza y formación del hombre. San Salvador, 1896. — La Iglesia y los estados. Ibid., 1897. — Etologia ó filosofia de la educación. Ibid., 1899. — La sabiduria. Santa Tecla, 1901. — El compuesto humano. Ibid., 1901. —*

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1911, p. 41.

Evolución de los errores antiguos en errores modernos, Ibid., 1902. — Generación y herencia. San Salvador, 1902. — Ensayo de una definición de la escolastica. Barcelona, 1902. — La moral es ley moral. San Salvador, 1903. — La psicologia. Ibid., 1904. — La politica. Barcelona, 1905. — Mi concepto del mundo. Libro primero: Del hombre. Ibid., 1907; Libro segundo: Dios, Ibid., s. a.

Ten Hompel, *Uditore Heiner und der Antimodernisteneid, Grenzfragen: Erstes Heft. Münster, 1910.*

Pierre Battifol, *L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation. Paris. Decr. 26 Jul. 1907.*

Rivista storico-critica *delle scienze teologiche. Pubblicazione mensile. Roma. Decr. S. Off. fer. IV, 7 Sept. 1910.*

Alfonso Manaresi, *L'impero Romano e il cristianesimo nei primi secoli. Vol. I: Da Nerone a Commodo. Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Settembre 1910.*

Ernesto Buonajuti, *Saggi di filologia e storia del nuovo testamento. Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.*

Francesco Mari, *Il quarto vangelo. Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Settembre 1910.*

Alphonsus Manaresi, Ernestus Buonajuti et Franciscus Mari, Decreto S. Congregationis S. Officii, edito die 7 Septembris 1910, quo quidam libri ab eis conscripti notati sunt, laudabiliter se subjecerunt.

II

Decreto diei 8 maii 1911 in indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera (1):

Gabriele D'Annunzio, *Omnes fabulæ amatoriæ* (Romanzi e Novelle).

— *Omnia opera dramatica.*

— *Prose scelte. Milano.*

P. A. S. *Catechismo di storia sacra. Cremona 1910.*

Antonio Fogazzaro, *Leila, Romanzo. Milano 1911.*

Joannes Konrad Zenner, *Die Psalmen nach dem Urtext. Ergänzt und herausgegeben von Hermann Wiesmann. I. Teil. Uebersetzung und Erklärung. Münster 1906.*

---

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1911, p. 200.

Malachia Ormanian, *L'Église Arménienne: son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, son présent. Paris 1910.*

Joseph Turmel et Petrus Batiffol decreto S. Congregationis, edito, die 2 Januarii 1911, quo quidam libri ab eis conscripti notati et in Indicem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subjecerunt. Etiam auctor anonymus libri inscripti *La vraie Science des Écritures*, ab hac S. Congregatione eodem decreto diei 2 Januarii 1911 prohibiti, huic decreto laudabiliter se subjecit.

S. Congregatio de Sacramentis

VENETIARUM

Probationis matrimonii.

E^mus^ Patriarcha Venetiarum S. C. de disciplina Sacramentorum sequens proposuit

DUBIUM.

An et quibus in casibus quibusque sub conditionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eorum qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus cum interea rerum adjuncta moram inquisitionis non patiantur.

Cui dubio E^mi^ ac Rev^mi^ Patres in plenariis Comitiis habitis die 17 Februarii 1911, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Imprimis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur: quæ probationes, licet studiose quæsitæ, si haberi nequeant, deferatur partibus juramentum quo propriam assertionem confirment: hoc præstito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio conjunctæ, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus, in quibus jus plenam probationem

requirit, ex. gr. si agatur de præjudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis (1).

Matrimonium autem per juramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato.

Ex Ædibus ejusdem S. C. die 6 Martii 1911.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

S. Congregatio Consistorialis

DUBIA (2).

De studiorum cursu perficiendo et juramento præstando ante sacram ordinationem.

Propositis dubiis quæ sequuntur, scilicet: 1° utrum ad effectum sacræ ordinationis studiorum anni expleti dici possint ad festum Pentecostes seu SS^mæ^ Trinitatis; 2° utrum

(1) *Legitimam probationem* matrimonii constituit inscriptio in registro, aut etiam testimonium parochi seu testium coram quibus nuptiæ sunt celebratæ. Quodsi dicta probatio induci nequeat, uti facilè continget cum matrimonio extra formam Tridentinam seu Pianam celebrato, aut etiam coram facie Ecclesiæ contracta in extera regione, recurri debet ad *testimonium ipsorum conjugum:* nimirum ipsis deferatur juramentum quo proprium assertum confirment.

Hæc quidem partium affirmatio, licet consentiens ac sub fide juramenti data, non censetur plena nec legitima probatio, ipsi tamen *regulariter* stari potest.

Dicitur *regulariter,* quia *exceptionaliter* non sufficit hujusmodi probatio ac plena seu legitima est exquirenda, et quidem in duplici casu in tenore decreti relato: a/ quando nempe agitur *de præjudicio alterius matrimonii,* a. v. quotiescumque constat legitima probatione de existentia matrimonii in forma Ecclesiæ celebrati, non potest contra hoc matrimonium invocari existentia præcedentis conjugii, nisi et ipsum legitimè probetur; b/ quando res est *de ordinibus* suscipiendis, i. e. de legitimitate candidati ad ordines suscipiendos: debet de parentum matrimonio legitima probatione constare nec sufficit testimonium juratum ipsorum parentum de facto proprio testantium.

(2) *Acta Apostol. Sedis,* 1911 p. 181.

juramentum præstandum ante susceptionem ss. ordinum, a Motu proprio « Sacrorum Antistitum » 1 septembris 1910 præscriptum, emittendum sit ante singulos ss. ordines, vel solummodo ante s. subdiaconatum: hæc S. Congregatio, die 24 martii 1911, respondit:

Ad 1um *Negative;* sed requiri ut expleatur cursus scholasticus novem mensium cum examine finali feliciter emenso.

Ad 2um Sufficere ut præstetur ante ineundum sacrum subdiaconatus ordinem, salvo Ordinarii jure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

S. Congregatio S. Officii

De matrimoniis eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, ab infantili ætate in hæresi vel infidelitate aut sine ulla religione adoleverunt (1).

DECRETUM.

Cum decreti « *Ne temere* » per Sacram Congregationem Concilii die 2 Augusti 1907 editi articulo XI § I expresse edicatur novis circa formam sponsalium et matrimonii statutis legibus *teneri omnes in Catholica Ecclesia baptizatos et ad eam ex hæresi aut schismati conversos (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint) quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant;* quæsitum est: Quid dicendum de matrimoniis eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, postea, ab infantili ætate, in hæresi seu infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica vel infideli contraxerint?

Re in plenario conventu Supremæ Sacræ Congregationis Sancti Officii habito feria IV die 15 labentis mensis mature

(1) *Acta Apostol. Sedis,* 1911, p. 163.

perpensa, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Recurrendum esse in singulis casibus.*

Die vero sequenti SSmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori hujus ejusdem Supremæ Sacræ Congregationis impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobare et confirmare dignatus est.

Datum Romæ, ex Ædibus S. Officii, die 31 Martii 1911.

L. ✠ S. Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

S. Congregatio Rituum.

ATREBATEN.

Circa initia Epistolarum B. Pauli apostoli, nonam lectionem in festo S. Joannis ante Portam Latinam, hymnos in propria hora impeditos, versiculum « Ora pro nobis » in festo S. Elisabeth, et conclusionem quarumdam orationum (1).

Quum Ordinator Kalendarii Diœcesis Atrebatensis, de licentia sui Rmi Episcopi, a S. R. C. plurium dubiorum solutionem humillime postulaverit; eadem Sacra Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, reque diligenter expensa, ad relationem subscripti Secretarii, ita iisdem dubiis respondendum censuit:

I. Initium cujusvis Epistolæ beati Pauli Apostoli alicui Feriæ assignatum, in qua anticipatur Officium alicujus Dominicæ post Epiphaniam; sicuti et Initia antecedentibus Feriis assignata, quatenus sint in sua ipsorum die utcumque impedita, debent omnino in antecedenti Feria vel etiam Dominica recitari, etiamsi aliquando tria simul Initia sic legi contingat, et omitti quoque oporteat Lectiones alicui Festo semiduplici, vel duplici per annum tam minori quam majori, proprias vel de respectivo Communi per se tributas, prouti casus requirat. Lectiones autem ejusmodi propriæ vel de Communi per se assignatæ illi ex occurrentibus

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, p. 136.

Festis vel Officiis, in quantum necessitas exigat, adimantur, quod habet Lectiones de Communi assignatas, præ altero minus etiam nobili, sed Lectiones primi Nocturni proprias habente; vel quod alteri in concurrentia debet postponi: vel in cujus die Initium aliquod proprie cadit; vel denique quod posteriore tempore occurrit: et si ne hoc quidem pacto omnia recitari et reponi eadem Initia valeant, illa omittantur eo anno Initia, quæ alioquin forent posterius perlegenda, si nempe pro omnibus Initiis dies a Festis et Officiis duplicibus primæ, vel secundæ classis libera quomodolibet haberetur. Initia denique, quæ occurrunt post eam Feriam, in qua integrum alicujus Dominicæ post Epiphaniam anticipatur Officium, debent illo anno prorsus omitti, juxta Rubricas Generales Breviarii Romani sub Tit. XXVI, *De Lectionibus*, num. 8; quia per Officium integre de aliqua anticipata Dominica persolutum, jam nova incœpit hebdomada, infra quam nequeunt ulla præcedentis hebdomadæ Initia reponi.

II. Initium cujusvis Epistolæ beati Pauli Apostoli illi alioquin assignatum Sabbato, in qua integrum Officium, vel per Commemorationem aliqua ex Dominicis post Epiphaniam simul cum Septuagesimæ Dominica veniens anticipatur, in una ex antecedentibus Feriis jugiter perlegatur, prouti sub num. I, superius edicitur, non obstante Decreto num. 2503, *Urbis*, 28 martii 1775 ad I; atque in eodem Sabbato, si anticipata Dominica solam Commemorationem habeat, Lectiones semper ipsius Dominicæ recitentur. Si tamen Festum vel Officium duplex primæ aut secundæ classis celebretur, Initium Dominicæ anticipatæ eo quidem anno prorsus omittitur, etsi in Feriis Sabbatum ipsum præcedentibus dies liberi habeantur, quum nequeant omnino impedita Initia intra præcedentem hebdomadam anticipari.

III. In Festo S. Joannis ante Portam Latinam tamquam propria historica censeri debet Lectio nona Matutini, quæ de glorioso hujus S. Apostoli Martyrio mentionem facit: ideoque, juxta Decretum num. 2735, *Ordinis Minorum Capuccinorum*, 8 augusti 1835, ad II; eadem Lectio nona, quæ præpeditur Homilia Feriæ vel Dominicæ, vel nona Lectione Festi utcumque simplicis, adjungi debet Lectioni octavæ ipsius Festi.

IV. Hymni omnes proprii, qui ad integritatem historiæ

necessario non pertinent, prouti est Hymnus *Te gestientem gaudiis* ad II Vesperas in festo Ss. Rosarii B. M. V. appositus, tamquam summarium et repetitio ceterorum, si recitari nequeant ad eas Horas, pro quibus designantur, ex præcepto recitentur ad alias ejusdem diei Horas, in quibus alius hymnus vel de Communi utcumque desumptus vel jam in eodem recitatus Officio secus debeat adhiberi; imo, etiamsi Hymnus aliquis proprius in alia diei Hora minime recitatus possit, sine ulla Hymnorum conjunctione, ad aliquam Horam antecedentem vel subsequentem amandari. Si autem ejusmodi Hymni proprii, qui ad integritatem historiæ necessario non referuntur, nequeant servari nisi cum aliis conjungantur, tunc de congruo in privata tantum Officii recitatione cum aliis Hymnis quibuslibet ejusdem metri proximioribus uniri valent, prouti Rubricæ Generales Breviarii Romani, Tit. XXVI, *De Lectionibus,* num. 3, 4 et 6, de Lectionibus in privata item Officii recitatione fieri concedunt; quoniam in publica Officii celebratione non arbitrarium onus, sed necessarium tantummodo est urgendum atque in annuis Kalendariis adnotandum.

V. In festo S. Elisabeth, Reginæ Portugalliæ, Viduæ, sicuti et in aliis omnibus Officiis etiam votivis sub ritu semiduplici celebrandis, quibus ad Vesperas vel Laudes versus *Ora pro nobis* fuerit assignatus, idem versus pro ipso recurrenti Festo vel Officio jugiter asservetur, juxta normam in similibus casibus generaliter observatam: atque in posterum, hoc in casu, pro Suffragio beatæ Mariæ Virginis adhibeatur, tam ad Vesperas quam ad Laudes, versus *Dignare me,* non obstante decreto n. 1918 *Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis,* 18 decembris 1649, ad I.

VI. In Officio beati Joannis Mariæ Vianney, Confessoris, omnibus Galliarum Ecclesiis concesso, legendum est in VI Lectione *secretiorem lucum,* juxta textum approbatum; non autem *secretiorem locum,* prouti aliquæ exhibent editiones.

VII. Postcommunio Missæ Lanceæ et Clavorum Domini nostri Jesu Christi, pro aliquibus locis concessæ, necnon Oratio Officii Votivi et Missæ Votivæ de Passione D. N. J. C. concludendæ sunt: *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre.*

Atque ita rescripsit, die 23 martii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*

L. ✠ S. † PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Notæ Bibliographicæ

R. P. Lintelo, S. J. *La Communion fréquente dans le peuple.* Tournai, Casterman, 1911. In-12, 32 p. Fr. 0,30.

Rapport présenté au Congrès des Œuvres ouvrières tenu à Moulins (Oct. 1910) : la communion fréquente n'est pas le privilège d'une élite; la communion fréquente dans le peuple n'est pas une utopie. Moyens : l'affirmation catégorique de la doctrine, la création de ligues eucharistiques; les facilités d'accès aux Sacrements; certains moyens subsidiaires (exemple, tracts, dévotion à la Sainte Vierge etc.); enfin l'éducation eucharistique des petits enfants. Grâce au nouveau décret sur la première communion, ce dernier moyen devient le grand moyen : il faut amener les petits enfants à communier souvent, même tous les jours, *tout de suite après leur première communion.* C'est notre conviction intime : c'est la vraie méthode, c'est le seul moyen de généraliser *dans le peuple* la communion fréquente. L'auteur aurait pu insister davantage sur ce point.

Du même auteur viennent de paraître en nouvelle édition deux opuscules, déjà fort répandus : *La communion fréquente et quotidienne. Appel aux hommes* (40e mille). *Aux enfants de Marie* (65e mille).

Id. *Triduum sur la Communion quotidienne.* 3e éd. Tournai, Casterman, 1911, Fr. 1,50.

Cette troisième édition paraît avec des ajoutes et des retouches très importantes. Signalons particulièrement le chapitre entièrement nouveau : *La Communion pendant la Messe.* Nous avons recommandé cet ouvrage t. XIV, p. 124 et t. XIII, p. 539.

Kan. De Weerdt. *Eerste Communie der kinderen. Handboekje voor de christene Ouders en Opvoeders der kinderen.* Nieuwe uitgave, Mechelen, We Paul Ryckmans, 1911. 48 bl. Fr. 0,15.

Dat Kan. De Weerdt na korte weken een nieuwe uitgave moest geven van zijn handboekje, bewijst genoeg dat het in de smaak viel van Ouders en Opvoeders der kinderen. Schrijver heeft, zooals Kardinaal Mercier het hem schreef, *op eenvoudige, methodicke en nauwkeurige wijze* den weg aangetoond om de kindertjes, wat het onderwijs betreft, voor te bereiden tot de eerste H. Communie. Hetzelfde handboekje is ook in 't fransch uitgegeven.

Chan. J. Bouchat. *Les premiers Vendredis du mois* 25e mille. Namur, Godenne [s. d.]. Petit vol. in-18 de 160 p. Fr. 0,50.

Excellent opuscule, dans lequel on trouve une méditation pour chacun des premiers vendredis de l'année; les neuf premières méditations ont été arrangées pour la *Neuvaine de vendredis*, à laquelle est attachée, d'après la *grande promesse*, la grâce de la persévérance finale.

Id. *Aux petits Enfants.* Prières avant et après la Sainte Communion. Bruxelles, Chaussée de Wavre, 205.

Hetzelfde boekje vertaald in 't Vlaamsch.

Eerste Biecht en Eerste Communie. In-18, 96 bl. Fr. 0,10. — *Driedaagsche voorbereiding tot de Eerste Biecht en tot de Eerste H. Communie.* In-18, 32 bl. Fr. 0,05.

Twee werkjes verschenen te Geeraardsbergen, Werk van den H. Carolus Borrom., wel geschikt voor de kindertjes die zich voorbereiden tot de eerste Biecht en Communie. Ook in 't fransch.

Germano di S. Stanislao. *Gemma Galgani, de Maagd van Lucca* (1878-1903). Uit het Italiaansch vertaald door **M. W. A. Wytenburg.** Tweede druk (Volksuitgave), Leuven, Keurboekerij; Leiden, van Leeuwen, 1910. In-8, VI-190 bl. Fr. 1,30.

Een heilige ziel voorwaar, die jeugdige Maagd van Lucca! Niet zoozeer om de extasen en verschijningen die we hier vernemen, of de stigmata waarmede zij begunstigd werd — over dit alles moeten we ook het beslissend oordeel van de Kerk verwachten — maar om hare matelooze liefde tot God, hare buitengewone onthechting, gehoorzaamheid, nederigheid; om haar aanhoudend gebed, haar onuitputtelijk geduld, haren zielenijver. Een deugdoend boek, zoo leerzaam en zoo stichtend! Het is niet te verwonderen dat de eerste druk, ofschoon de oplage tamelijk groot was en de prijs het boek niet voor iedereen bereikbaar maakte, na min dan één jaar uitverkocht is geweest. Moge nu deze *Volksuitgave* een ruime verspreiding vinden.

Chr. Schets. *Hart van Jezus mijne toevlucht!* Brugge, Beyaert, 1911. 254 bl. Fr. 1,25.

Overwegingen voor elken dag der Juni-maand, voor den eersten Vrijdag van elke maand en voor eene Novene ter eere van Jezus' Hart, door **P. Gautrelet, S. J.** en **P. Borgo, S. J.**, uit het Duitsch in 't Nederlandsch bewerkt door **Chr. Schets Pr.** Dit werkje heeft in Duitschland grooten bijval genoten; het zal zeker hier ook welgekomen zijn bij priesters en leeken voor het overwegend gebed. De novene namelijk van P. Borgo is allerschoonst.

H. M.

E. Cornelisse, O. F. M., S. Theologiæ lector jubilatus: *Compendium Theologiæ Moralis,* ad Claras Aquas (Quaracchi) prope Florentiam, 1908-1910.

Variis certe titulis commendabile apparet novum istud compendium, tria complectens volumina, et quasi totius vitæ studiosæ laudati auctoris

fructum referens. Ubique tum logica tum facilis est methodus, stylus et compositio typographica clara nitidaque, brevitas parcens tempori. Præterea, etsi externo apparatu scientifico quasi spoliatum videatur, nec plurimis onustum notis, legenti tamen vere eruditum apparet opus, tumque vera scientia cum certa auctorum notitia instructum; inter omnes autem præponderans est influxus Patris Sporer, ejusdem ordinis, quo scriptor magistro utitur et antesignano.

In resolutionibus porro traditis, scite distinguitur quid certum, quid vero probabile tantum judicetur, itemque utrum multi an tantum pauci ex theologis tum antiquis tum modernis sententiæ vindicatæ calculum adjiciant.

Nullatenus sane in laudato compendio disquisitiones inveniuntur protractæ circa puncta sive difficiliora sive momentosiora; — quod quidem in hujusmodi operibus præstare impossibile esset, quippe quæ brevitati necessario studere debent; — summarium potius ibidem exhibetur logicum et ordinatum, per se solum minime sufficiens, sed vel studio proprio vel prælectionibus evolvendum.

Ad ipsarum rerum crisin si verbulum aliquod addere liceat, non possumus quin tendentiam moralem libri faciliorem quam par est pluribus in locis inveniamus, auctorem dicamus quandoque sententias amplecti quarum probabilitas non ita sarta tecta apparet. Qua in re theologi Genicot, quem frequenter citat, sensum sequitur Pater Cornelisse; sed inde fit ut hîc inde resolutiones in parte tum fundamentali tum speciali operis a communi sententia alienæ existant.

Nonnunquam præterea, et in specie ubi sermo est de actibus non consummatis impudicitiæ varias applicationes practicas decurtata tantum aliquot præcedunt principia, initio totius rei adumbrata, ex quo fit ut longa series applicationum sufficienti fundamento quasi orbata appareat, nimisque, ut ita dicam, casuistica inde videatur. Quod utique specietenus tantum verum esse fatemur; sed removeri potuisset impedimentum si connexionem inter principia et casus practicos in ipso decursu applicationum melius ostendisset auctor, ita ut resolutiones ubique ad instar corollariorum vere apparuissent.

Quæ quidem (ne ad particularia descendamus) animadversiones generales sufficient ut conspicuum sit quid in laudato opere optimum, quid vero minus commendabile nobis videatur; certum autem remanet non exigui meriti laborem exantlasse jubilatum auctorem.

A. Gemelli, O. F. M., doctor medicinæ et chirurgiæ, lector Medicinæ Pastoralis: *Non Mæchaberis, Quæstiones Theologicæ Medico-Pastorales,* vol. I^{um}, 2^{a} editio, ex Italico in sermonem Latinum translata, Florentiæ, 1911.

Recenter prodiit tomus primus operis a Patre Gemelli incepti, cujus finis est in usum confessariorum codicem scientificum et completum præbere disquisitionum medicarum ad ministerium spectantium. Septem quidem volumina comprehendet tota tractatio; primum autem nunc in

lucem editum ex ordine inquirit de sexuali instinctu, de continentia, incontinentia, de ejus prophylaxi et cura, et de sexualibus aberrationibus.

Non ita quidem facile currit lectio operis, ceterum utilissimi; quæstiones enim ibidem agitatæ scientificis verbis ubique exprimuntur, quæ in vernaculis linguis magis usu veniunt quam in latina.

Deinde, cum res ad imum usque dicto modo enodantur, probabile videtur fore ut laudatum opus iis imprimis arrideat sacerdotibus quos studium delectat; quamquam neminem attente legentem operam perdere dicendum est. Cum enim auctor medicus simul sit et theologus, optime novit quæ et quo modo res sint disputandæ, sciteque adjumento utitur modernorum scriptorum qui de iisdem tractavere; insuper logico semper ordine procedit et accurato.

Quare illam exoptamus diffusionem operis quam tum ingens labor tum certa scriptoris scientia absque dubio merentur.

E. Hosten.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

De Clermont-Tonnerre. *Pourquoi nous sommes sociaux.* Collection « Science et Religion, » n° 593. — Questions de Sociologie). Paris, Bloud, 1911. In-16 — (64 p.). Pr. 0,60 fr.

Duley J. A. *Visions d'Anne-Cathérine Emmerich sur la vie de Notre-Seigneur J.-Chr. et de la Très Sainte Vierge, la douloureuse Passion et l'établissement de l'Église par les Apôtres.* Trad. du texte allem. par Ch. D'Ebeling. — 3 vol. — 3e éd. Paris, Téqui, 1911. In-12, (xxxiv 517-512-523 p.).

Feige P. *L'Ange Gardien.* Paris, Téqui, 1910. In-24, 208 p.

Id. *La Piété. Le Zèle.* Paris, Téqui, 1911. In-16 (xiii-481 p.). Pr. 3,50 frs.

Feyel P. *Les Jeunes filles françaises et le problème de l'Éducation.* Collection « Science et Religion ». (Féminisme). Paris, Bloud, 1911. In-12, 63 p. Pr. 0,60 frs.

Fonsegrive G. *Art et Pornographie.* Colllection « Science et Religion » (Questions Sociales). Paris, Bloud, 1911. In-12, 63 p. Pr. 0,60 frs.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Géron. *La Pratique Religieuse.* Tournai, Casterman, 1909. In-18, 394 p. Pr. 2 frs.

Jean de Beaucorps Cte. *Lourdes. Les Pèlerinages.* Paris, Bloud. 1911. In-16, 197 p. Fr 2,50.

Impressions et descriptions. Du mauvais réalisme.

Julien E. *Civisme et Catholicisme.* Collection « Science et Religion ». (Questions de Sociologie). Paris, Bloud, 1911. In-12, 64 p. Pr. 0,60 frs.

Krick L. H. *Les Vertus chrétiennes,* trad. de l'allem. par F. Buelens, 2 Vol., Averbode, 1909. In-16, (367-361 p.). Pr. 4 frs.

Labauche. *Leçons de Théologie Dogmatique.* Dogmatique spéciale. Tome I, Paris, Bloud, 1911. In-8 (viii-388 p.). Pr. 5 frs.

Laplace. *La Mère Marie de Jésus.* 2 vol. Lyon, Vitte, 1906, In-12, 419-390 p.

Lastella G. *Buchez* (1796-1865). Collection « Science et Religion ». (Philosophes et Penseurs). Paris, Bloud, 1911. In-12, p. 64. Pr. 0,60 fr.

Laurdet F. *La Sœur Rosalie.* Collection. « Science et Religion ». (Série Biographique). Paris, Bloud, 1911. In-12, 64 p. Pr. 0,60 frs.

Le Bienheureux Théophane Vénard. Paris, Téqui, 1911, In-12, p. 349. Pr. 2 frs.

Le Couronnement de la Statue du Sacré-Cœur et la basilique d'Anvers. Turnhout, 1904. In-12, 24 p.

Le Gouvello H. *Pierre de Keriolet,* 3e éd. Paris, Téqui, 1910. In-12, xi-412, p. Pr. 3,50 frs.

Lemarié. *Catéchisme de la Doctrine Chrétienne.* Paris, St Augustin, 1910. In-16 (vii-425 p.).

Id. *Abrégé du Catéchsime de la Doctrine Chrétienne.* Paris, St Augustin, 1910. In-16 (48 p.).

Lépicier A. M. *L'Immaculée Mère de Dieu, Corédemptrice du genre humain.* Turnhout, 1906. In-12, 237 p.

Le salut assuré par la Dévotion à Marie. Paris, Téqui, 1911. In-32 (187 p.).

Leytens. *Opleiding tot de Godsvrucht.* Brugge, Desclée, De Brouwer, 1910. In-24, 908 bl.

Lyonnard. *L'Apostolat de la Souffrance.* 5e éd. Tournai, Casterman, 1910. In-16, 291 p.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Tum ex traditione, tum ex ipsa epistola, inquire ad quosnam lectores fuerit scripta epistola quæ *Ad Hebræos* inscribitur.

II

Quomodo a nobis cognosci potest Jesum esse Deum?

III

Breviter expone doctrinam protestanticam circa naturam sacramenti.

IV

Expone assertum: Pro valore sacramenti non refert fides aut probitas ministri.

V

An, undenam et quousque obligatur sacerdos ad ministrandum sacramenta fidelibus rite dispositis illa postulantibus?

VI

Quelles sont les conditions d'éligibilité des conseillers de fabrique?

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii, 21ª Junii (feria V) hora 2ª. Omnes quorum interest sacerdotes enixe rogantur ut huic cœtui intersint.

*
* *

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Camerlynck. *Compendium Introductionis Specialis in S. Sam.* Pars prior, XII-128 p. Fr. 1,75.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter.

PRIJZEN PER EXEMPLAAR. GEBROCHEERD: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

GECARTONNEERD: **met lustrine rugje**, per ex. 40 cent., per 50 ex. 35 cent., per 100 ex. 33 cent.

GEBONDEN: nº 1. Engelsche cartonnage zwarte percaline, roode sneê: per ex. 50 cent., per 50 ex. 45 cent., per 100 ex. 43 cent.

nº 2. Engelsche cartonnage percaline, gouden sneê met verguld platte, per ex. 66 cent, per 50 ex. 61 cent., per 100 ex. 59 cent.

nº 3. Leder Grenat, goude sneê, ronde hoeken, platte rijk verguid. lintje en étui: per ex. fr. 1,50, per 50 ex. fr. 1,40, per 100 ex. fr. 1,35.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. De Meester. *De la protection et propriété des objets d'art et des documents d'histoire conservés dans les églises.* — Extrait des *Collationes Brugenses,* t. XVI, 40 p. Fr. 1.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 30 Maii 1911, in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator,* Ill^{mus} ac Rev^{mus} Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Venerabiles admodum ac dilectissimi Domini,

Solicitudo pastoralis quæ Nobiscum vos urget, utpote cooperatores electissimos, cum ad totum fidelium gregem sese extendit, tum merito præprimis ipsos in sacerdotio fratres complectitur. Hi nimirum præ cæteris charitate diligendi sunt, horumque saluti ac sanctificationi eo vel magis prospiciendum est, quod eorum perfectioni allaborando nihil efficacius fieri potest quo simul ipsius gregis saluti provideatur.

Itaque gratum vobis et perutile Nos facturos existimamus, si dilecto Clero vitæ perfectæ viam, duce ipso Magistro Christo, paucis verbis demonstraverimus. Quod quidem eo opportunius nostro ævo apparet, quo majora pericula integritatis fidei et morum christianorum hac nostra tempestate suscitant vesana impietas et effrænata libido. Re quidem vera, neque præterito tempore patuit zelo sacerdotali campus adeo latus, neque umquam fuit aut erit zelus genuinus qui non fuerit interno sanctitatis afflatu inspiratus. Unde et intensior charitas nostra eoque perfectior vita sit oportet, quo plures majoresque labores zelus noster amplectitur, eo vel magis quod secus propria sanctitas atque salus facile in periculum vocantur, scilicet nimis effusi in exteriora, propriæ sanctificationis obliviscimur, in supremum nostrum simulque animarum nobis commissarum detrimentum.

*
* *

Estote ergo vos perfecti, ait Magister Christus (1), *sicut et pater vester cœlestis perfectus est.*

(1) *Matth.*, V, 48.

Jamvero, docente S. Thoma (1): « Unumquodque dicitur esse perfectum, inquantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis: quia *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,* ut dicitur 1 Jo., IV. Et ideo secundum charitatem specialiter attenditur perfectio christianæ vitæ. »

Ut autem charitas vera probetur, efficax sit oportet, docente eodem Magistro Christo: *Si diligitis me, mandata mea servate* (2). Equidem reliqua omnia mandata ad primum maximumque charitatis mandatum referuntur, sicut ad finem.

Unde hoc inter et illa discrimen intercedit valde notandum. In fine enim non adhibetur mensura, sicuti adhibetur in mediis: quemadmodum medicus, ut advertit S. Thomas (3), non quantam sanitatem det, sed qualem et quantam in finem sanitatis medicinam præscribat, mensurare debet. Itaque præceptum charitatis est diligendi Deum, quantum possumus, ex tota mente, ex toto corde, sine mensura aut modo, diligendique proximi sicut quisque seipsum, id est quam maxime, diligit.

Reliqua præcepta ut media ad finem charitatis servanda sunt, et quo perfectius implentur eo quoque perfectius exercetur charitas.

Infimus quidem perfectionis gradus est ut mandata serventur quoad substantiam, ita ut excludatur quidquid contrarium est charitati: isque gradus est de necessitate salutis, cum sine eo charitas haberi atque servari nequeat.

Ut vero perfecta sit charitas, quanta in vita præsente haberi potest, perfecto modo impleri mandata oportet, ita ut actu dirigantur in finem charitatis seu ex motivo charitatis serventur, atque excludatur non solum quod contrariatur charitati, sed quidquid obstat ne affectus amoris totaliter feratur in Deum.

*
* *

Porro modus iste perfectus exercendi charitatem attingi potest variis viis.

---

(1) 2. 2, q. 184, art. 1, in corp.
(2) *Joan.*, XIV, 15.
(3) Ead. q. 184, art. 3. in corp.

Viam breviorem, maxime aptam ac securam rursum demonstravit Magister Christus, cum dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me* (1). Et iterum: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat* (2). Atque tertio: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (3). Quod intellexerunt sancti Apostoli, testante Petro: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (4); ubi sedulo adverte cum S. Hieronymo in h. l., quod non sufficit tantum relinquere; ideo Petrum adjungere quod perfectum est, id est, secutus sumus te; videlicet, non corporis gressu, ut loquitur Ambrosius (5), sed mentis affectu, quod fit per charitatem. E quibus constat consiliorum evangelicorum observationem non ipsam perfectionem esse, sed viam quamdam seu instrumentum perfectionis.

Idque maxime attendendum est, nempe consiliorum viam aptissimam quidem esse, minime vero unicam quæ ducat ad vitam perfectam. Etenim, quavis in vitæ conditione, etiamque extra statum exteriorem perfectionis, puta religiosum, valet unusquisque charitatis supremum gradum interiorem attingere. Profecto nihil prohibere quempiam potest, quin et impedimenta removeat quæ obstant ne mens totaliter assurgat ad Deum; et dein affectum omnem amoris in Deum dirigat. Et hoc quidem posterius a sola voluntate, juvante Dei gratia, pendet; illud vero prius obtinetur, affectu et æquivalenter consilia evangelica sequendo. Sic, divitem nihil impedit quin spiritu paupertatem amplectatur, bonisque fortunæ minime adhæreat, iisdem solummodo utens in proximi levamen Deique gloriam. Neque prohibentur *qui habent uxores,* ut loquitur Apostolus (6), *tamquam non habentes sint..., et qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur.* Tandem propriam voluntatem atque libertatem quid obstat ita amoris divini vinculo constringere, ut jam sola Dei voluntas sit

---

(1) *Matth.*, XIX, 21.
(2) *Matth.*, XIX, 12.
(3) *Luc.*, IX, 23.
(4) *Matth.*, XIX, 27.
(5) Super Luc., V.
(6) 1 *Cor.*, VII, 29, 31.

omnium agendorum atque omittendorum suprema et unica regula?

Quamquam arduum id multis, præsertim mundanis, haud minus forte quam realiter et facto consilia evangelica exsequi, ultro fatemur, posse tamen æquivalenter et affectu eadem consilia servare unumquemque, ac porro in Deum toto ferri cordis amore, negari nequit.

*
* *

Atvero, nunc de sacerdotibus agendo, inquiramus an et quatenus ad illam charitatis perfectionem teneantur, et qua via eamdem attingere commode valeant.

Sacerdotis dignitatem eminentem summopere saltem decere ut vitam perfectam degat, inficiabitur nemo, quamquam vi præcise status, qua sacerdos sæcularis, ad perfectionem stricte non obligatur.

Atvero, si actus sacros vereque divinos, quorum exercendorum potestatem accepit, exercere vult utque digne eosdem exerceat, omnino exigitur perfectio charitatis, eaque etiam major, testante Doctore angelico (1), quam requirat status religiosus.

Qui præterea curam aliquam animarum habent, eatenus suo modulo participant vitæ apostolicæ seu episcopali, adeoque et perfectionem æmulari debent apostolorum ac episcoporum, qui non tantum ut perfecti sed ut perfectores sese habent, ut loquitur S. Thomas (2).

*
* *

Cæterum, sacerdotem ullum a perfectione ne deterreat labor, de se ne dubitet ullus: divina enim juvante gratia, sacerdoti præ cæteris patet planior perfectionis semita. Re quidem vera, tum obstacula vitæ perfectæ facilius a sacerdote removentur, tum etiam sine labore totum affectum voluntatis seu amoris in Deum dirigere valet sacerdos.

Utrumque demonstratione vix indiget.

Impedimenta vitæ perfectæ removent consilia evangelica.

---

(1) 2. 2, q. 184, art. 8, in corp.

(2) Ibid., art. 7, in corp.

Atqui sacerdos, æque ac religiosus, castitatem perfectam servandam habet.

Obedientiam quoque suo Prælato promisit; non intra eosdem religionis limites, esto, attamen haud ægre potest spiritu et affectu, adeoque et merito, obedientiam extendere ad omnem suam actionem: si nihil omittat quod scit esse præscriptum aut vel suspicatur esse gratum Prælatis suis; si nihil quoque moliatur quasi proprio marte, sed ex spiritu reverentiæ et obedientiæ, cum plena a voluntate Superiorum dependentia; memor se non principalem curam gerere, quod est episcopi, sed per simplicem commissionem et intra limites ejusmodi missionis. Imo et in reliquis vitæ totius actibus potest sacerdos obedientiæ meritum acquirere, si non tantum præcepta sed et consilia, monita, exempla Superiorum cum reverentia in omnibus sequi conetur, in ordine ad sequelam supremi Magistri Christi, ita ut et ipsius quoque sacerdotis cibus sit facere voluntatem Patris (1).

Tandem religiosam paupertatem æmulari quam facile sacerdoti! Nonne plerique domum inhabitamus nobis titulo eleemosynæ commodatam? Nonne fidelium eleemosynis vivimus? Nonne quod solvitur nobis ex ærario publico, titulo restitutionis direptorum bonorum ecclesiasticorum, eadem bona Ecclesiæ repræsentat quibus titulo eleemosynæ alamur? Et, si quæ propria habemus, quot nobis offeruntur quotidie opportunæ occasiones eadem in levamen proximi, in bonorum operum subsidium expendendi, ita ut jam nullus locus sit thesaurizandi, aut nimis adhærendi bonis hujus mundi; sed, e contrario, quam facillimum sit vitare omnem vel speciem avaritiæ, qua nihil deterius nobis, nihil magis odiosum aliis, natumque ministerio nostro omnimodam sterilitatem afferre. Igitur vere loculos Domini portamus, non quo, sicut miser Judas, avari fiamus et fures, sed quo membris Christi opitulemur, Ecclesiæ Christi deserviamus.

*
* *

Remotis vitæ perfectæ obstaculis, etiam admodum facile erit sacerdoti totaliter adhærere Deo, ita ut omnis ejus affectus charitate integra feratur in Deum.

---

(1) *Joan.*, IV, 34.

Re quidem vera, vita quam degit hodie bonus sacerdos tota continetur in æmulanda suo modulo vita apostolica, quæ alia non est quam vita mixta ex contemplatione divinæ Veritatis et actione convertendi ad Deum ac sanctificandi animas. Jamvero, vita perfecta, quovis in statu, consistit, ut vidimus, in perfectione charitatis. Atqui « ad dilectionem Dei, ut loquitur Angelicus (1), directe pertinet contemplativa vita, quæ soli Deo vacare desiderat. Ad dilectionem autem proximi directe pertinet vita activa, quæ deservit necessitatibus proximorum ». Ergo in vita apostolica et sacerdotali perfectio erit principaliter in contemplativa unione seu commercio intimo cum Deo, secundario in actione, qua quisque tum moderatur proprios affectus seu passiones animi, ut ad unionem contemplationis sese disponat, tum per ministerium sacrum proximi necessitatibus subvenit.

Notatu dignissimum est, nec unquam satis inculcandum omnino necesse esse partem principem obtineat in vita nostra, ut ad perfectionem attingamus, vita interior unionis contemplativæ cum Deo; vitamque activam ex ea haurire lumen, unctionem, fervorem charitatis, integram tandem suam efficaciam oportere, eique totam subordinari.

Cæterum, quot et quanta sacerdoti, præ cæteris hominibus, præsto sunt tum ad unionem contemplativam, tum ad actionem præsidia, cui vel solum sacrificium quotidie pie oblatum omnem pinguedinem largitionum divinarum, abundantiamque gratiarum præbet, quibus sponte ad vitam perfectam ducatur.

Ideo rogamus dilectissimum clerum nostrum ut hæc omnia sedulo perpendant, et, ne nimis protrahatur præsens oratio nostra, legere velint attente quæ nuper fusius hac de re scripsimus (2). Absque dubio ibi indicatam viam invenient vitæ contemplativæ ac perfectæ tum sibi, tum electis animabus quæ sive in vita religiosa, sive etiam in mundo viventes ad perfectionem aspirant; hæque, nostra quidem sententia, numero majores sunt, quam æstimare solemus, quarum etiam

(1) 2. 2, q. 188, art. 2. in corp.

(2) Apud *Collationes Brugenses*, a. 1911, n^is Maii et Junii. — Petitum fuit ac libenter concessum ut hæc in linguam vernaculam verterentur, in usum tum communitatum religiosarum, tum populi universim christiani.

adaugebit numerum frequens communio a Summo Pontifice tam feliciter instaurata.

Vos quoque, Amplissimi Domini ac cooperatores nostri dilectissimi, obsecramus, sæpius ea monita in memoriam revocetis fratrum sacerdotum vobis subditorum, firmiter persuasi hanc esse viam tum perfectionis nostræ propriæ, tum salutis populi nobis commissi.

Igitur satagamus omnes sæpe quotidie, clauso ostio orare Patrem in abscondito (1), id est, relicta turba exclusisque rumoribus ac tumultu mundi, atque pace facta quoque interius per mortificationem christianam affectuum, intime conversari cum Deo, exercendo præcipue virtutes theologales: fide integra, robusta, vivida Deum apprehendentes ejusque contemplationi vacantes, atque soli spei cœlestium rerum et divinæ charitati inhærentes, ita ut nulla sit cogitatio mentis nisi Dei aut in ordine ad Deum; nullum desiderium cordis nisi Dei perfectius cognoscendi, ardentius amandi, hujusque amorem promovendi; nullus sit amor nisi Dei aut in ordine ad Deum, nulla denique delectatio voluntatis ac fruitio nisi summi boni, Dei; sit vero tota vita mentis nostræ prælibatio ac prægustatio æternæ contemplationis beatificæ in cœlo.

Quum Rev^{mus} D^{nus} dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. votis, a Rev^{ma} sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Deinceps catechesi præparatoriæ ad communionem solemnem biennio duraturæ, *ubique* adscribantur pueri qui ante 1^{m} Maii anni currentis nonum ætatis annum compleverint, ità ut in omnibus parochiis diœceseos eadem ætate seu anno undecimo ad solemnem communionem admittantur.

II.

Hortamur RR. DD. Parochos ut faciles esse præbeant ad concedendam pueris licentiam communionem paschalem,

---

(1) *Matth.*, VI, 6.

imò et communionem solemnem celebrandi unà cum aliis alumnis scholæ quam frequentant extrà parochiam propriam.

III.

Nomine *Directorum generalium* monialium qui juxtà præscripta diœcesana (Congr. Prosyn. ann. 1882 et 1889) bis per annum domos filiales visitare debent, declaramus comprehendi etiam Parochos, qui communitatis religiosæ domos affiliatas habentis ipsimet curam gerunt: quare et his, quantùm necesse est, concedimus jurisdictionem et facultates consuetas, ad audiendas, intra Nostram diœcesim, confessiones Sororum Religiosarum ad domos visitandas pertinentium.

IV.

Reparationes vasis sacris aut supellectili ecclesiarum afferendæ non committantur nisi artificibus bene notis et fide dignis. Quodsi sint res antiquitate aut arte conspicuæ nihil fiat, sine prævio consensu Nostro.

Similiter quod spectat emptionem aut reparationem paramentorum sacrorum omnem prudentiam adhibeant parochi ne decipiantur; ea verò non vendant sine Nostra licentia.

V.

Deinceps *post* benedictionem cum SSmo Sacramento, etiam sub laudibus vespertinis, non fiat incensatio.

VI.

Ordo hierarchicus necnon fraterna charitas requirunt ut si Parochus aliquid carpendum in agendi ratione sui vicepastoris observet, hunc ipsemet paterne moneat prius quàm apud Decanum aut Episcopum accuset.

Brugis, 14 Junii 1911.

† G.-J., Episc. Brugen.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Exhibe varias metaphoras sub quibus in epistola quæ* ad Ephesios *inscribitur designatur Ecclesia Christi; hujusque Ecclesiæ proprietates essentiales ex eadem epistola describe.*

R. Inter epistolas captivitatis *(Philipp., Coloss., Eph.)* quæ omnes christologicæ vocantur, eo quod doctrinæ de Christo in illis præcipuum momentum obtinent, epistola quæ *ad Ephesios* inscribitur magis complete et magis didactice (utpote minus polemice) de Christo procedit, Eumque describit quasi centrum vitale ad quod omnia reducenda sunt: speciatim vero agit de relationibus Christum inter et Ecclesiam. Nimirum:

I. **Variis metaphoris** exhibet Paulus unionem aliquam mysticam seu moralem, attamen plane realem, inter Christum et fideles.

1. Præcipua metaphora ea est quæ a **corpore humano** (1) desumitur. Quam breviter evolvimus, explicando tum typum tum antitypum et quid a parte rei huic metaphoræ respondeat indicando.

a/ In *corpore humano* adsunt enim: *membra plurima* (2), situ, structura, munere diversa, quæ habent inter se mutuas relationes dependentiæ et influxus, sine quibus verus organismus non daretur, sed merum aggregatum variorum entium juxtapositorum; — adest in specie

---

(1) Intellige, ut patebit ex omnibus dicendis, non corpus demortuum, sed *animatum*. Cæterum ipse Paulus edicit quomodo, justificatione accepta, cum Christo unum novum *hominem* constituamus, II, 15; IV, 13.

(2) Cfr. Rom. XI, 3 ss., I Cor. XII, 14-19.

caput quod situ eminet super reliqua, quod relate ad corpus reliquum est principium dirigens, et inde principium quoque unitatis et augmenti, quodque tandem in ratione capitis per reliquum corpus completur (1); — *reliqua omnia membra* subeunt motum et influxum a capite, ipsi subjiciuntur; sunt quidem diversa, ast eorum diversitas unitatem totius non tollit; sed contra, quum mutuo sibi auxilium præstent, confert illa diversitas ut verus organismus isque unus habeatur; — adest tandem et *anima* quæ est principium vitæ commune, quo animantur et vivunt et agunt tum caput tum reliqua membra.

b/ Quam pulchre hæc Paulus applicat *Ecclesiæ!* Et hanc enim Ecclesiam, fideles np. omnes et omnis gradus simul cum Christo, exhibet Paulus ut integrum quemdam organismum et corpus animatum. In eo enim invenit Paulus imprimis ipsum *caput,* quod est ipse *Christus* naturalis et physicus, qui vixit in terra, morte sua redemit mundum et sedet ad dexteram Dei. Christus enim in Ecclesia eminet super omnia (2); Ipse existit pro omnibus fidelibus principium unitatis et augmenti, dirigens reliqua membra, influxu suo religans ea inter se, et illis quæ sibi adhærent influens vitam et vitæ augmentum (3); Ipse tandem in ratione capitis completur per Ecclesiam tanquam per corpus (4). — Præter

---

(1) Caput enim caput non est nisi relate ad reliquum corpus in quod influxum suum exercet et per quod quæ concipit exsequitur.

(2) Passim. in Epp. captivitatis. Cæterum est ipse scopus Pauli, saltem partialis, propugnare hanc eminentiam Christi super omnia, ita ut superiorem ullum non admittat.

(3) Cfr. præsertim Ephes. IV, 15 s., coll. Coloss., II, 19.

(4) Quæ omnia compendiose continentur verbis Pauli ad Eph. I, 22 s.: Christum dedit seu constituit Deus tanquam caput super omnia (gr. ὑπὲρ πάντα), caput np. super quod aliud non datur caput supremum Ecclesiæ, *het opperste hoofd* (Beelen), quæ Ecclesia est corpus Christi, et plenitudo, complementum Ejus qui omnimodo in omnibus membris suis adimpletur. Sicut enim caput humanum non est caput nisi in ordine ad reliqua membra corporis, et sic in ratione capitis per reliquum corpus completur, ita et Christus habet quod sit caput ex membris Ecclesiæ in

Christum qui est caput, invenit Paulus *membra* varia, quæ sunt *fideles,* qui omnes Christo adjunguntur, cum ipso unum ens morale constituunt (1), ab ipso regimen et vitam desumunt; sunt quidem et hæc membra situ et munere diversa, at hæc diversitas non impedit unitatem, quum contra omnia conferant ad perfectionem unius communis corporis (2). — Hoc denique corpus unum animatur una *anima*, *Spiritu* np. sancto (3): in ipso enim vivimus, ipse agit in nobis, ipse animat nos et confert nobis filiationem divinam (4).

c/ Quid *a parte rei* respondeat huic metaphoræ, vide expositum apud Collat. Brug., XIV, pp. 229 ss. (5).

---

quæ influxum suum exercet: et inde ipsa Ecclesia est complementum Christi, qui ipse completur, seu adimpletur perfecte, seu habet rationem perfectam capitis a reliquis membris Ecclesiæ. In hunc sensum Prat, *Théologie de S. Paul,* I, p. 422. Cfr. *Collat. Brug.*, XIV, p. 226 s. Alii tamen verbum græcum πληρουμένου in sensu activo vertunt: qui omnia sua membra omnibus bonis replet.

(1) Hoc ens morale vocatur a Paulo: *Christus*. Et hinc notabis Paulum quasi duplicem Christum distinguere: *Christum physicum,* illam np. personam, Deum-hominem qui vixit in terra: cum hoc Christo nos omnes constituimus unam societatem, Ecclesiam, quasi unum corpus, cujus Christus ille est caput et nos sumus membra. Illud corpus, illa societas tota simul *Christum mysticum* constituit.

(2) IV, 7 ss. præoccupat Paulus difficultatem quæ unitati corporis objici posset: Si enim omnes unum corpus sumus, quid ergo munera varia exercent Christiani? Varietatem hanc Paulus non negat (v. 7), sed: hoc factum est ex ordinatione Christi (7-11), et omnia illa munera varia ordinantur ad utilitatem et perfectionem omnium, et sic ipsi unitati conferunt (12 ss.). Cfr. IV, 25; Rom. XI, 3 ss.; I Cor. XII, 14-19.

(3) Ita Prat, *o. c.*, pp. 419 ss., ex variis textibus tum Ep. ad Ephes. tum aliarum Epp. Pauli. — Notemus tamen Spiritum Sanctum non posse vocari animam Ecclesiæ, nisi ratione gratiæ et donorum quibus vivunt Christus-homo, caput, et fideles, membra Ecclesiæ. « Quod est anima corpori hominis, hoc est Spiritus S. corpori Christi, quod est Ecclesia: hoc agit Spiritus S. in tota Ecclesia, quod agit anima in omnibus membris unius corporis » (S. Aug., Serm. 267, al. de Tempore, 186). Cf. De Brouwer, *Tractatus de Ecclesia Christi,* ed. 2ª, p. 220.

(4) Per Christum enim Mediatorem et Redemptorem tum Judæi tum ethnici, uno Spiritu animati, fiducialiter accedimus ad Deum tanquam ad Patrem. II, 18. Cfr. Gal. IV, 6; V, 16, 18, 25; Rom. V, 5; VIII, 15; IX, 14; I Cor. XII, 4-11.

(5) Cum hac doctrina Pauli de corpore mystico, cujus Christus est

2. Ad hanc metaphoram corporis prope accedit et aliquatenus cum ipsa permiscetur metaphora **sponsi et sponsæ.** Sicut enim caput et membra unum corpus constituunt, se invicem complentia, ita sponsus et sponsa in unam carnem, in unum principium generationis, conjunguntur, ita tamen ut dignitate, auctoritate præeat vir, ipsiusque sit uxori suæ amorem et protectionem præstare. Similiter et Christus eminet super Ecclesiam, situ et potestate; Ipse item dilexit Ecclesiam quasi carnem suam, et pro ea seipsum tradidit ut illam sanctificaret, nutritque et fovet eam (1).

3. Aliæ metaphoræ (2) potius per transennam indicantur: Exhibetur enim Ecclesia quasi **regnum** cujus Deus ipse est rex, a quo gentiles jam non sunt, ut antiquitus, alienati, peregrini et advenæ, sed vere jam cives, omnibus juribus civium gaudentes, nam concives eodem titulo ac reliqui christiani (3); — quasi **populus** unus, ex unione duorum, muro intermedio antea separatorum, exortus (4); — quasi **familia**, cujus idem Deus unus est Pater (5), ad quam gentiles æquo jure ac Judæi pertinent (6); — quasi **ædificium sanctum**, cujus Apostoli et Prophetæ fundamentum sunt, utique secundarium, nam et Christus est fundamentum, illudque primarium, utpote ipse lapis angularis (7): Ipse enim ad modum lapidis angularis Judæos et gentiles, quasi

---

caput, nos vero sumus membra, cohæret usus frequentior in epp. captivitatis formularum: *in Christo Jesu, in Christo, in Domino*: eæque ordinarie notant fidelem qua partem integrantem Ecclesiæ, seu corporis Christi mystici, qua corpori huic mystico insertum eique unitum. Interdum tamen habent sensum simplicem: christiano modo, ut christianum decet, etc., vel: per Christum, de Christo, etc. Cfr. PRAT, *o. c.*, 424 ss., 434 ss.

(1) Ephes. V, 23-33. — Est quidem illa unio viri et uxoris in se res non ita momentosa; ast magna est et sancta si refertur ad Christum et Ecclesiam, quatenus np. repræsentat unionem mysticam Christum inter et Ecclesiam, v. 32.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, XV, 456, in *notis*.

(3) II, 12, 19. — (4) II, 14. — (5) IV, 6 — (6) II, 19. — (7) II, 20.

duos parietes ex diverso latere venientes in unum ædificium conjungit.

II. Hujus Ecclesiæ assignat proprietates essentiales. Nimirum:

1. **Unitas** Ecclesiæ sequitur jam ex ipsa metaphora corporis humani: in eo enim omnia apte ad invicem sunt colligata, mutua dependentia et influxu invicem se habent, ita ut diversitas membrorum nedum noceat unitati, imo sit elementum sine quo verus organismus isque unus non haberetur: ipse occurrit Paulus objectioni quæ ex hac diversitate munerum contra unitatem adduci posset. Cæterum ipse explicite docet hanc unitatem: Ecclesia enim unus est populus, ex unione duorum exortus (1); unum regnum ad quod æquali jure pertinent Christiani ex Judæis aut ex gentilibus, una quoque omnium familia (2); unum ædificium eidem uni lapidi angulari Christo superstructum (3); in ipsa unum est corpus, una est anima, Spiritus sanctus; una spes ad quam omnes sunt vocati; una auctoritas et Dominus; una fides quam profitentur et sectantur omnes; unus ritus, Baptisma, quo omnes ipsi adscribuntur; ipsa tandem iterum una familia cujus Deus unus est Pater (4).

2. **Catholicitas** seu universalitas sequitur ex plerisque dictis de unitate: unitas enim illa supponit non Judæos tantum, sed et gentiles vocatos esse ad eamdem Ecclesiam Christi, ad regnum illud et populum illum qui ex unione *utriusque* (5) partis generis humani exsurgit. Cæterum hæc universalitas Ecclesiæ, seu vocatio gentilium, absque distinctione aut limite, est *Sacramentum* seu *Mysterium* illud de quo tanto æstu admirationis et gratitudinis eructat Paulus (6) per totam suam epistolam.

---

(1) II, 14. — (2) II, 19. — (3) II, 20. — (4) IV, 4.

(5) ἀμφότερα. II, 14.

(6) I, 10; III, 3, 5-9; VI, 20. In quonam sit, dicitur III, 6. Cfr. Coloss. I, 27; Rom. III, 29; X, 12, etc.

3. **Apostolicitas** elucet ex eò quod Ecclesia dicatur fundata super Apostolos tanquam fundamentum (1).

4. **Sanctitas** tandem desumitur vel ex ipsa metaphora sponsi et sponsæ: si enim decet sponsam esse sponso dignam, quanto decebat ut Ecclesia Christi sponsa, sancta esset et immaculata. Christus item dicitur nutrire et fovere Ecclesiam tanquam sponsam imo et carnem suam; quæ necessario ingerunt ideam societatis continuo sanctificatæ et sanctæ (2): cæterum Christus ea omnia præstat et seipsum tradidit pro ea, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata (3).

A. Vander Heeren.

II

Q. *Quomodo intelligi potest dolorem sensibilem ab igne corporeo causari in hominibus damnatis per resurrectionem factis incorruptibilibus.*

R. I. **Difficultas enucleatur.** Suprà, p. 256, demonstravimus homines damnatos, post corporum resurrectionem, esse incorruptibiles quoad *esse substantiale,* et diximus, secundum communem theologorum sententiam, damnatos illos etiam quoad *esse accidentale* esse incorruptibiles: hoc porro importat quod organa corporea ipsorum, et nominatim organa sensus *tactus,* non possunt physice lædi: inde sequitur inferni ignem, quem realem esse et physicum demonstravimus suprà,

(1) Supra. Sicut *Christus* est summus angularis lapis, ita et *Apostoli* sunt fundamentum. Hoc autem sunt ratione doctrinæ et institutionis Ecclesiæ, cujus, Christo innixi fuerunt auctores. II, 20.

(2) Cfr. Ceulemans, *Comment. in Epp. Pauli*, II, 38.

(3) Ephes. V, 27. Controversia est utrum hæc verba intelligenda sint de Ecclesia militante, an vero de Ecclesia triumphante. Præplacet agi de militante Ecclesia, non quidem quatenus omnia membra sint sancta, sed quatenus Ecclesia in se est fons et principium sanctitatis, doctrina sua, sacramentis suis, auctoritate sua.

p. 492, non posse agere in corpora post resurrectionem *eadem actione* qua ignis agit in nostra corpora prout sunt in hac vita præsenti. Ex altera parte si inferni ignis non agit in corpora damnatorum, nec etiam causare posse videtur *dolorem* sensibilem (1) : quippe qui consequitur ad apprehensionem immutationis ingratæ habitæ in sensu tactus. Difficultas est igitur in explicanda *actione* ignis inferni in corpora damnatorum.

II. **Solutio S. Thomæ proponitur.**

1. Prænotemus oportet non a nobis cognosci intimam naturam ignis inferni, nec utrum sit ejusdem speciei ac ignis quem hac in terra habemus. Deinde status hominis post resurrectionem est *præternaturalis:* nec de hoc statu propriam nunc acquirere valemus cognitionem. Quapropter non contendimus solutionem omnino certam tradere, nec plene satisfacientem nostro cognoscendi studio : sed sententiam solide probabilem (tum intrinsece, tum extrinsece), qua nobis elucet essentia doloris sensibilis.

2. a/ In omni sensatione sensuum *externorum*, de quibus nunc loquimur, distinguenda est *duplex immutatio: una* est *mere physica* seu *corporea:* v. gr. laceratio pellis ; altera est *intentionalis*, quæ nempe dicitur *species impressa*, quæ formaliter determinat sensationem ut sic : v. gr. ipsa intentionalis similitudo coloris albi in organo visivo (2).

« Dupliciter organum potest transmutari. Uno modo, transmutatione spirituali [h. e. intentionali] secundum quod recipit intentionem [h. e. intentionalem similitudinem] rei. Et hoc *per se* invenitur in actu apprehensivæ virtutis sensitivæ; sicut oculus immutatur a visibili, non ita quod colo-

(1) V. suprà, p. 336.

(2) Necessitas immutationis intentionalis distinctæ ab immutatione mere corporea patet ex hoc quod corpora multa quæ alterantur non tamen sentiunt: v. gr. corpus inanimatum, puta lignum, calefit per ignem, sed calorem non percipit; homo et calefit et percipit calorem. Cf. S. Thomas, 1, p. 78, a. 3; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 376.

retur, sed ita quod recipiat intentionem coloris. Est autem alia transmutatio naturalis [h. e. mere physica, v. gr. mechanica, thermica, electrica etc.] organi, prout organum transmutatur quantum ad suam naturalem dispositionem : puta quod calefit aut infrigidatur, vel alio modo consimili transmutatur. Et hujusmodi transmutatio *per accidens* se habet ad actum apprehensivæ virtutis » (1).

b/ Secundum exposita, immutatio intentionalis seu species impressa est sola *per se* requisita ad sensationem, et ipsa est causa formalis ipsius sensationis. Hoc posito, docet S. Thomas quod ignis inferni non physice immutat sensum tactus, nec corrumpit ipsum ; sed quod *præternaturaliter* agendo, tamquam instrumentum Dei, imprimit in sensum tactus similitudinem intentionalem, seu speciem impressam, improportionatam seu disconvenientem sensui, et ex hac apprehensione sequitur dolor sensibilis. Quia autem hæc intentionalis impressio potest esse valde disconveniens, ideo potest esse dolor intenssissimus (2).

« Ignis et aqua, et hujusmodi, non agunt in corpora damnatorum actione naturæ, ita quod reliquant suas qualitates

---

(1) S. Thomas, 1-2, q. 22, a. 2 ad 3. Cf. in IV, dist. 44, Q. 2, a. 1, sol. 3. Immutatio *corporalis* qua forma in subjecto recipitur secundum esse naturale materialiter vocatur etiam *passio naturæ*. Immutatio *intentionalis* qua forma in subjecto recipitur secundum esse intentionale vocatur *passio animæ*. Cf. S. Thomas, *Supplementum*, q. 86, a. 3.

(2) Quia ipse dolor est, secundum dicta, absque immutatione corporali, ideo etiam intensitas doloris nullo modo dependet ab aliqua immutatione corporali.

In quadam conferentia putavit quidam se peremptorie refutasse sententiam S. Thomæ hac jocosa animadversione : « Et si ignis infernalis nimis acute lucet pupilla corrumpetur !!! per illam passionem animæ quæ non est tantum solius animæ, sed et etiam naturæ ?? ». Si hæc conferas cum sententia S. Thomæ, facile perspicies ineptiam *apud S. Thomam* inveniri nullam. Sanctus enim doctor nitide distinguit transmutationem *spiritualem* seu *intentionalem* a transmutatione *naturali :* quæ ultima quum absit omnino a damnato, secundum sententiam S. Thomæ, nulla fit corruptio, sive valde acute, sive non acute luceat ignis infernalis. Licet quod vocatur a S. Thoma *passio animæ*, sit passio compositi humani, id tamen est aliud omnino ac id quod vocatur *passio naturæ*.

in corporibus damnatorum secundum *esse naturæ*, sicut ignis relinquit calorem in lignis quæ facit esse calida,... Sed agunt in corpora damnatorum actione spirituali, imprimendo scilicet suas qualitates in corporibus damnatorum secundum *esse spirituale* [h. e. intentionale], per modum quo species coloris sunt in aëre et pupilla, non ita quod fiant colorata. Unde corpora damnatorum sentient afflictionem ignis, sine hoc quod convertantur in naturam ignis [et corrumpantur] » (1).

In hoc igitur *præternaturalis* erit ignis actio quod intentionalem speciem caloris imprimet sensui tactus, quin ipsum organum corporeum urat et sic lædat. — Secundum hoc dici potest corpora damnatorum veraciter *ardere,* secundum quod ardorem et calorem *intentionaliter* in se recipiunt et consequenter dolent (2).

c/ Præter dolorem sensibilem ab igne causatum modo suprà explicato, videtur admittenda in damnatis *tristitia* sensibilis causata ab *igne*, quatenus scilicet hic *detinet* damnatos, impeditque quominus moveant libere seipsos: hanc resistentiam percipiunt damnati et inde tristitia afficiuntur. Duplex proinde præternaturalis actio agnoscenda est igni inferni: actio *influxiva*, qua *intentionale esse caloris* imprimit sensui tactus, et actio *detentiva,* qua impedit motus damnatorum et libertatem sentiendi alia delectabilia (3).

Nota. Quemadmodum dolor sensibilis in sensu tactus haberi potest ab igne absque organi corruptione, ita in aliis sensibus externis haberi potest *displicentia*, absque corruptione: fieri proinde potest ut damnati torqueantur in gustu, olfactu, auditu et visu: v. gr. visio perpetua ignis ardentissimi esse potest magnum tormentum.

J. Van der Meersch.

---

(1) S. Thomas, *Quodlibetum* VIII, a. 18. Cf. in IV, dist. 44, Q. 3, a. 1, sol. 3; *Supplementum Summæ,* a. 86, a. 3.

(2) Cf. Capreolus, in IV, dist. 44, Q. IV, a. 3. (Edit. Turonibus, 1908, t. VII, p. 111).

(3) Ita Capreolus, *o. c.*, l. c. (p. 114).

III

Q. *Indica præcipuas formas sub quibus, in variis Europæ regnis, inductum est regimen matrimonii civilis.*

R. *Prima forma* est forma matrimonii civilis **obligatorii**, quatenus scil. omnibus indiscriminatim imponatur matrimonium civiliter celebrandum, ita ut aliter copulati non habeantur coram foro civili nec tractentur ut conjuges. Equidem integrum est illis qui volunt coram Ecclesia jungi, consensum emittere etiam in forma religiosa; sed religiosæ solemnitati nullum effectum agnoscit Status, eamque rem privatam ac inefficacem reputat (1).

Sub hac forma obligatoria, matrimonium civile accipit suam speciem plenam et perfectam, prorsus sæcularisatam; passim etiam intelligitur sub nomine matrimonii civilis absque addito.

Porro matrimonium civile obligatorium, anno 1792 introductum est in Gallia a Cætu Legislativo (Assemblée Législative), ac extensum est idem regimen ad nostrum Belgium, Galliæ adnexum; in utroque regnum servatum est sub disciplina Codicis Napoleonis. Viget etiam, inter alia, in Hollandia, in Imperio Germanico, in Helvetia, in Hungaria, in Italia necnon in pluribus Statibus Americæ meridionalis (2).

Secunda forma est forma matrimonii civilis **facultativi**, quatenus nempe civibus liberum sit pro arbitrio matrimonium *vel civiliter* celebrare *vel religiosè*, utraque matrimonii specie pro valida admissa coram auctoritate civili.

Ita, *in Anglia*, integrum est sponsis Anglicanis matrimonium inire *sive mere civiliter*, coram « registrar »,

(1) In nonnullis locis, uti apud nos, vetatur illam cæremoniam præmittere matrimonio civili.

(2) « En Amérique la contraction obligatoirement civile a été introduite dans les États principalement catholiques suivants: Mexique, 1884; Chili, 1884; Unigay, 1885; République Argentine, 1888-1889; Brésil, 1890 ». Ita Roguin, *Traité de droit civil comparé. — Le mariage*, Paris, 1904.

absque ulla solemnitate religiosa, *sive religiosè,* coram ministello Anglicano, adeo ut matrimonium sic religiosè celebratum agnoscatur ceu validum in foro civili non secus ac si coram officiali civili civiliter fuisset initum. Quod idem privilegium concessum est aliis ecclesiis dissidentibus legaliter recognitis, necnon, inde ab anno 1898, Ecclesiæ catholicæ (1).

Similis disciplina viget in plerisque Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis, uti videre est apud SCHULZE, *Eherecht und Ehegesetzgebung in den Vereinigten Staaten Nord-Amerikas* (Theol.-Prakt. Quartalschrift, 1909, p. 754-760).

Tertia forma est forma matrimonii civilis **subsidiarii**, seu *Nothcivilehe*, uti eam vocant. Consistit in hoc quod nupturientes religioni a Gubernio agnitæ adscripti, *debeant* matrimonium inire juxta formalitates in respectiva Ecclesia præscriptas, reliqui autem iique soli, infideles nempe areligiosi vel dissidentes (quibus plerumque assimilantur sponsi qui, ecclesiæ alicui adscripti, ad nuptias religiosè celebrandas existunt inhabiles), possunt recurrere ad matrimonium civile.

Hæc est œconomia, salvis nonnullis varietatibus, adoptata in Austria, in Hispania (2), necnon in Norvegia, Suecia et Dania (3).

---

(1) Plerique Episcopi catholici opportunum censuerunt dicto privilegio non utendi, ob nimiam formalitatum complexitatem. Solent proinde catholici matrimonium prius celebrare in forma canonica et deinceps emittunt consensum coram registrar, juxta formulam civilis matrimonii, quam subsignant simul cum parocho et testibus.

(2) In Hispania, ubi sola religio catholica est legaliter recognita, non existit nisi matrimonium canonicum et matrimonium civile. Catholici non possunt aliter contrahere nuptias in foro civili validas quam in forma Ecclesiæ catholicæ; matrimonium civile præsto est solis acatholicis, illis nimirum qui prævie declaraverint se non profiteri religionem catholicam. Circa cujus declarationis necessitatem ad hoc ut quis possit recurrere ad matrimonium civile, recentius ortæ sunt difficultates, ac conatus sunt adhibiti ut abrogaretur dictæ declarationis necessitas. De quibus cf. *Études,* du 5 Avril 1907, p. 46 s.

(3) Cf. hic ROGUIN, *o. c.*, p. 120 ss., qui Auctor harum regionum disci-

Circa varia illa regimina breviter adumbrata ulterius consule ROGUIN, o. c., p. 116-152; HOLLWECK, *Das Civileherecht des Bürgerlichen Gesetzbuchs,* Mainz, 1900, 1er Abschnitt; VERING, *Lehrbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrechts*, Freiburg i. B., 1893, p. 875 ss.; LEITNER, *Lehrbuch des katholischen Eherechts*, Paderborn, 1902, p. 84 s.; SCHNITZER, *Katholisches Eherecht*, Freiburg i. B., 1898, p. 52 ss.; SAEGMÜLLER, *Lehrbuch des katholisches Kirchenrechts,* 2e aufl., Freiburg i. B., 1909, p. 540 ss.; HERGENRÖTHER-HOLLWECK, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, Freiburg i. B., 1905, n. 1015.

IV

Q. *Indica quomodo Ecclesia dijudicet matrimonium civile, et quasnam normas agendi respectu illius servandas proponat.*

R. I. **Judicium Ecclesiæ** circa matrimonium civile.

1° Matrimonium civile *inter infideles* seu non baptizatos initum, habetur uti validum, salvo in omnibus jure naturali ac divino.

2° Matrimonium civile *inter duos fideles* vel inter partem fidelem et partem infidelem celebratum, *qua tale et in se spectatum,* est habendum pro pseudo-matrimonio ; censetur mera formalitas absque ulla efficacia constituendi matrimonium (1).

Et sane natura sua non est nisi cæremonia civilis, formalitas quædam civilis ad solos effectus in foro civili consequendos ordinata, præsupposito vinculo canonicè valido : nihil namque aliud efficere valet

---

plinam potius ad restrictum quoddam regimen matrimonii facultativi reducendam censet.

(1) Hunc respectum intendunt RR. PP. et documenta Romana, quando matrimonium nullius valoris dicunt et concubinatum. Cf. HEINER, *Gültigkeit oder Ungültigkeit der Civilehen,* apud *Archiv für kath. Kirchenr.*, 1909, p. 475-480.

Status in negotio matrimonii christiani, utpote quod soli Ecclesiæ regimini exclusive obnoxium existit (1).

Dicitur: matrimonium civile, *qua tale et in se spectatum*, esse habendum pro pseudo-matrimonio. Potest enim, *in intentione contrahentium,* iniri matrimonium civile, non tanquam cæremonia ad meros effectus civiles ordinata, qualis in rerum objectivitate est, sed tanquam verum matrimonium. Tunc autem, si contrahentes exempti sunt a lege clandestinitatis, validè contrahunt: non quia servatur lex civilis et quia adimplentur formalitates civiles, sed quia sponsi, dum servant legem civilem, emittunt consensum matrimonialem (GASPARRI, *Tractatus Canonicus de Matrimonio,* Parisiis, 1892, II, n. 1228) (2); si vero clandestinitatis legi sunt obnoxii, ineunt matrimonium invalidè, ex capite clandestinitatis (3).

---

(1) HEINER, *l. c.*, p. 475 et 477 matrimonio civili rationem veri matrimonii abjudicare videtur ex eo quod legaliter dissolubile sit ac adeo careat proprietate essentiali. Atvero altius quærenda est illa ratio, juxta exposita, in ipsa scil. inhabilitate Status civilis moderandi matrimonium christianum, ita ut ratio attingat matrimonium civile etiam in locis in quibus non admittitur divortium civile, quemadmodum in Italia.

(2) Consensus ille matrimonialis, inter sponsos Decreto *Ne Temere* non ligatos, *generatim* præsumi potest, adeo ut præsumptio stet pro matrimonii valore; et hæc quidem intentio facile admittetur pro casu quo *duo acatholici* civiliter contrahunt, cum passim habeant, præsertim protestantes, matrimonium civile pro vero matrimonio. Quod spectat matrimonia *mixta*, in Germania et Hungaria, idem videtur dicendum, cum a catholica parte cognita censeatur exemptio, ac adeo sciatur civiliter posse verum iniri matrimonium. Non est tamen nisi præsumptio et intentio est in singulo casu perscrutanda. Cf. HEINER, l. c., p. 483-491; BÖCKENHOFF, apud *Strassbürg. Diözesanblatt,* 1911, p. 18 ss., collata Causa *Colonien.*, 27 Aug. 1910, apud *Acta Ap. Sed.*, II, p. 917 ss., speciatim p. 922 et 928.

(3) Non desunt tamen exempla in quibus S. Sedes hujusmodi matrimonium civile ex capite clandestinitatis invalidum, licet speciem matritrimonii non habens, *sanaverit in radice,* modò rite constiterit de intentione putatorum conjugum verum emittendi consensum conjugalem. Hæc porro intentio, si non præsumitur, haud ægre admittetur penes nupturientes a sensu christiano prorsus alienos, Status suprematiæ faventes, ac adeo legem clandestinitatis, cui subduntur, non curantes; contrà pro sponsis verè christianis et instructis in doctrina catholica, coram qua

II. Normæ servandæ.

1° Tolerat Ecclesia ut formalitates civiles, licet a foro civili ipsis agnoscatur ratio veri matrimonii, equidem adimpleantur a fidelibus, etiam, si ad id urgeat legis dispositio, *ante* matrimonium canonicum; imo, ne effectibus civilibus destituantur nuptiæ, neve conflictus provocentur, ad legis observationem *regulariter* adducendi sunt sponsi, nec parochi *regulariter* debent ad nuptiarum celebrationem admittere sponsos quos non constat formalitates civiles prævie adimplevisse (1). Vult autem ut fidelibus sedulò inculcetur tunc tantum matrimonium verum iniri quando coram Ecclesia consensus emittitur, non autem quando cæremonia præstatur coram officiali civili, quam habeant oportet pro mera formalitate (2).

---

matrimonium civile meram constituit formalitatem: hujusmodi sponsorum intentio præsumitur fuisse intentio emittendi consensum matrimonialem coram Ecclesia ac nullatenus coram magistratu civili.

(1) Cf. Responsum S. Pœnitentiariæ 15 Jan. 1866 (*Collectanea*, n. 1406), sub 5° et 6°. Ita etiam, in limine anni 1911, ab Ordinario Brugensi impetratum est a S. Sede rescriptum dispensationis super impedimento affinitatis licitæ in 1° gradu lineæ collaterali, cum hac clausula, ut nempe dispensatio non fulminetur antequam obtenta fuerit dispensatio regia super impedimento civili, in ordine ad celebrationem matrimonii civilis.

Ex alia parte monet eadem S. Pœnitentiaria, in laudato responso, sub n. 7, ut, ubi urgetur præmittendum esse matrimoninm civile, « matrimonium coram Ecclesia *quamprimum* contrahatur ». Quod monitum inculcat *Liber Manualis* pro diœcesi Brugensi, p. 167, volens a parochis invigilari ad hoc ut *ipsa die* matrimonium celebretur qua formalitates civiles implentur.

(2) « Non ideo, quemadmodum notat Rosset, *De Sacramento Matrimonii*, Parisiis, 1895-1896, n. 2317, post Secretarium S. C. C., in causæ cujusdam discussione anni 1879, internum veri matrimonii consensum præstant neque mendacium proferunt contrahentes civiliter, etsi coram magistratu civili eadem verba aut signa adhibeant ac in matrimonio canonico. Nam verba et signa, quæ sic coacte compelluntur adhibere, directa sunt ad significandum obsequium erga legem civilem et ad satisfaciendum ejus præcepto, ut matrimonium verum jam contractum vel deinde contrahendum non debitis privetur civilibus effectibus. Talis significatio verborum ac signorum determinatur sive ex sensu Ecclesiæ, juxta cujus leges intendunt contrahere, sive ex communi fidelium usu et opinione, sive ex natura actus, prout licite fieri potest ».

2° Tolerat etiam Ecclesia, variis in locis, puta missionum, ipsos sacerdotes officio fungi magistratus civilis, ac coram ipsis celebrari civilia matrimonia, illa saltem quæ non sunt legi divinæ et ecclesiasticæ contraria (1).

3° Possunt dari et dantur casus in quibus ex una parte necessitas urget matrimonium coram Ecclesia celebrandi, et ex alia parte non potest ad civile matrimonium procedi, vel deficit temporis copia ad præmittendas formalitates civiles: quo casu, si aliter vitari nequeunt a sacerdote graves sanctiones pœnales matrimonii civilis anterioritatem urgentes (2), applicari posse censemus normam in Decreto *Ne Temere,* art. VIII, propositam, ut nempe celebretur matrimonium coram duobus dumtaxat testibus (3); quodsi ad hanc solutionem recurri non posse judicetur, non vereatur zelosus parochus officio suo fungi non obstante pœnalitatum comminatione: prudenter tamen et cautè ut

---

(1) Cf. decreta C. S. O. 20 Dec. 1837, 11 Dec. 1881 (*Collectanea,* n. 1523, 1525 et 1533) ac 26 Jan. 1895 (*Canon. Contemp.,* 1895, p. 501), quorum decretorum tenor in aliis benignior, in aliis rigidior apparet circa assistentiam a sacerdote præstandam nuptiis *acatholicorum:* quibus attentis responsis non posset assistentia ad hujusmodi acatholicorum matrimonia haberi qua *universim* tolerata; quod autem spectat matrimonia civilia celebranda, quando alterutra pars, validè juncta coram Ecclesia, divortio civili existit separata, non videtur unquam tolerari posse assistentia sacerdotis tanquam officialis civilis, quam assistentiam excusari posse censemus ex parte syndici laici, ob urgentem rationem boni publici.

(2) Notum est, in Belgio, favore legis 3 Aug. 1909, matrimonia *in extremis,* positis ponendis, jam subtrahi legi anterioritatis. Cf. *Collat. Brug.,* t. XV, p. 99 ss., coll. t. XIII, p. 514 ss.

(3) Circa hanc controversiam videsis *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 646 ss. et t. XV, p 107 ss., ubi plures Auctores faventes adduximus, quibus jam addi possunt Van den Acker, *Decreti Ne Temere de Spons. et Matr. Interpretatio,* 1909, p. 79 s. Miguel de Arquer, *Novissima Disciplina sobra Esponsales y Matrimonio,* 1910, n. 294; Standaert, apud *Collat. Gandav.,* II, p. 187 ss., ubi sententiam contrariam *ibidem,* I, p. 152 ss. vindicatam retractavit, ac præ cæteris Wernz, *Jus Decretalium,* IV, in priori parte, p. 300, in altera editione nuperrimè vulgata (eam edendam curavit *Laurentius*).

quo meliori modo conflictum vitet cum foro civili ac pœnalem sanctionem.

Nota. Juvat hic, per modum excursus, adnectere doctrinam *protestanticam* circa matrimonium civile.

Protestantes tenent matrimonium etiam christianum universim esse a Principe civili moderandum, hujusque regimini esse exclusive obnoxium (1), ac proinde illud debere juxta formalitates in foro civili conditas pro valore celebrari; consequenter docent solum validum esse, in præsenti œconomia (2), matrimonium civile.

Equidem urget ecclesia protestantica ut a nupturientibus etiam serventur solemnitates religiosæ coram ministello adimplendæ: sed eas non urget nisi pro liceitate tantùm, easque habet pro mera cæremonia huc unice spectante ut matrimonium, civiliter adeoque validè celebratum, coram ecclesia recognoscatur ac immatriculetur (3).

A. De Smet.

---

(1) Hanc doctrinam tuentur non tantùm illi protestantes qui, ad modum Lutheri, matrimonium habent ut quid profani (ein weltlich, ausserlich Ding, wie Haus und Hof), sed etiam illi qui matrimonium proponunt uti aliquid naturâ sanctum. Ita Sohm, *Das Recht der Eheschliessung aus dem deutschen und canonischen Recht geschichtlich entwickelt*, Weimar, 1875, p. 2: « Allerdings ist die evangelische Kirche sich darüber klar, dass die katholische Anschauung ein Irrthum ist, dass die Ehe, obgleich eine heilige göttliche Ordnung, nichtsdestoweniger nach ihrer aüsseren Seite einen Theil der bürgerlichen Ordnung bildet und darum der weltlichen Rechtsentwicklung unterliegt ».

(2) Dicitur: in præsenti œconomia; quia, ante introductionem matrimonii civilis, ad matrimonii valorem requirebatur, juxta protestantes, celebratio religiosa, quatenus scilicet censebatur Princeps civilis illius solemnitatis religiosæ observationem pro valore urgere. Cf. *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, t. V, p. 203 s.; Sohm, o. c., p. 254 et 267 s.; Friedberg, *Das Recht der Eheschliessung in seiner geschichtlichen Entwicklung*, Leipzig, 1865, p. 272 s. et p. 300-305.

(3) Hæc doctrina de vi purè declarativa cæremoniæ religiosæ est doctrina vulgata inter protestantes et, sub presenti œconomia matrimonii civilis, magis logica videtur cum principio ab ipsis admisso de regimine exclusivo Principis civilis in negotio matrimoniali.

Non desunt tamen Auctores protestantici, uti Sohm et Roedenbeck, qui etiamnum cæremoniam religiosam habent uti elementum constituti-

V

Q. *Faites connaître la situation politique des papes dans l'empire décadent, jusqu'à l'intervention de Pépin le Bref dans les difficultés romaines. Montrez en même temps comment cette situation favorisa la formation des États Pontificaux.*

R. Au point de vue de la formation des États Pontificaux la fortune foncière des papes fut sans doute d'une importance capitale (1); plus significatives cependant et plus directement préparatoires à la souveraineté temporelle furent la situation des souverains pontifes et leur influence sur le terrain politique. Cette influence ils la devaient tout d'abord, comme tous les évêques de l'empire devenu chrétien, à la législation impériale; mais à Rome le prestige de la dignité pontificale, la grande puissance matérielle de la papauté et surtout les circonstances extérieures vinrent providentiellement favoriser et accroître cette influence, pour le bonheur des peuples dont les papes devaient être les pères et les défenseurs avant d'en être les souverains reconnus.

---

vum matrimonii. Nimirum censent matrimonium duplici elemento constare, contractu scil. et sponsorum traditione, ad modum quo olim patroni copulatheoriæ volebant matrimonium coalescere ex consensu et copula: contractus initur in cæremonia civili, traditio autem in cæremonia religiosa; unde matrimonium civile non exhibet nisi matrimonium initiatum, cæremonia religiosa perficiendum ac complendum, hoc attento quod efficacia cæremoniæ religiosæ ad matrimonium partim constituendum, ultimatim derivetur ab illam acceptante ac sanciente auctoritate civili, cujus exclusivo regimini obnoxium vidimus matrimonium. Ita Sohm, o. c., p. 284-314, signanter p. 289 s.; *Verlobung und Trauung*, Weimar, 1816, p. 146 s.; Roedenbeck, *Die Ehe in besonderer Beziehung auf Ehescheidung...*, Gotha, 1882, p. 34-37. Contrà Friedberg, *Verlobung und Trauung*, Leipzig, 1876, p. 70-78; Ebeling, *Ehescheidung, Eheschliessung und kirchliche Trauung*, Gütersloh, 1904, p. 62 s. et 66-68; collatis Vering, o. c., p. 881 s.; et Wernz, o. c., n. 207, nota 345.

(1) Voir *Collat. Brug.*, supra p. 412, et la bibliographie citée à cet endroit: voir aussi Jungmann, *Dissertationes selectæ in H. E.*, 1882, t. III, Diss. 14 et *Collat. Namurc.* t. IX, pp. 295-306.

Dans cette réponse nous avons à signaler les étapes principales de ce développement du rôle civil et politique des papes jusqu'à l'établissement définitif de leur souveraineté temporelle.

I. Les papes investis de fonctions civiles et politiques par la législation impériale.

Déjà sous Constantin les évêques avaient obtenu une part importante de droits purement politiques (1). La translation de la résidence impériale de Rome à Byzance, la division de l'empire et finalement la disparition de l'empire d'occident devant les incursions des barbares eurent une grande influence sur l'accroissement du rôle politique exercé par les évêques en Italie et tout d'abord par le pape, métropolitain de la péninsule et évêque universel.

Au milieu des invasions barbares, les empereurs d'Orient, qui n'avaient pas abandonné leurs prétentions à la suzeraineté de Rome et de tout l'Occident, et pour qui Odoacre et Théodoric n'étaient que des lieutenants, tenaient à y exercer directement leur autorité. Or ils s'aperçurent bientôt que nul intermédiaire ne pouvait leur être plus utile que l'évêque de Rome: lui seul pouvait avoir une autorité morale suffisante pour apaiser des sujets mutinés; à lui seul on pourrait confier la gestion des deniers publics, qu'un officier impérial aurait peut-être dilapidés (2). Le pape devint ainsi la plus grande autorité sociale et politique de la péninsule.

La situation acquise et consolidée au cours du IVe et

(1) Tels le droit de médiation, la protection légale des pupilles et des esclaves; les évêques se substituent insensiblement aux *defensores civitatis*. Cfr. Dufourq, *Histoire de l'Eglise*, t. IV. *Le Christianisme et l'Empire*, 4e éd., Paris, 1910, p. 93 ss.

(2) Déjà durant cette première période d'invasions, les papes usèrent de leur fortune et de leur grand crédit pour sauver la ville et le peuple de Rome. Saint Léon le Grand (440-461) arrête Atilla, roi des Huns, obtient de Genseric, roi des Vandales qu'il s'abstienne de bruler Rome et d'égorger les habitants et met plusieurs villes en état de défense. Cfr. Ch. Mœller, *Histoire du Moyen âge*, Louvain 1910, p. 70.

du Ve siècle, fut officiellement confirmée par Justinien, lorsqu'il parvint, en 554, à ruiner le royaume des Ostrogoths. Sa Pragmatique Sanction augmenta considérablement les pouvoirs temporels des papes. Désormais l'évêque de Rome eut une part dans la nomination des administrateurs de province, reçut leurs serments, veilla à l'accomplissement des instructions qui leur étaient données à leur entrée en charge. En cas de déplacement, il eut le droit de vérifier leurs comptes; en cas de destitution, il eut le droit pendant cinquante jours, de les citer devant son tribunal pour malversations. Avec trois citoyens, il fut chargé du soin de toutes les affaires municipales, telles que l'entretien des bains, acqueducs, ponts, murailles, ainsi que l'inspection des prisons et des marchés. Le jour du combat, il devait être le premier sur les remparts. Il était désormais le protecteur légal de chacun contre les exigences des soldats, les vexations du fisc et les fraudes des juges (1).

II. **Les papes entre les Lombards et l'Empire.**

Les troubles causés dans la péninsule italienne, à partir de 568 par l'invasion lombarde mirent bientôt plus en évidence le grand ascendant des papes (2). Au dire de M. Lavisse, les souverains pontifes sont déjà dès lors les vrais maîtres de Rome (3); saint Grégoire (590-604) effectivement en prenant possession du souverain pontificat, effrayé de se voir chargé de tant d'affaires séculières se demande, *utrum pastoris officium an terreni proceris agat* (4). C'est que, à partir

(1) Voir Mourret, *L'Eglise et le Monde Barbare*, Paris, 1909, p. 42; Dufourcq, *o. c.*, p. 304.

(2) Les Lombards s'étaient emparés sous la conduite d'Alboin en 568 de toute l'Italie sauf des lagunes de Vénise, l'exarchat de Ravenne, le duché de Rome et quelques territoires au sud restés aux Byzantins.

(3) *Histoire générale* de Lavisse et Rambaud citée par Mourret, *o. c.*, p. 43.

(4) *Epistulæ*, Lib. I, ep. 23, Migne, *P. L.*, t. LXXVII, col. 676-677.

de cette époque, le peuple de Rome et de certaines parties de l'Italie se détache de plus en plus de Byzance, pour former petit à petit autour du pape un état, indépendant de fait, comme d'ailleurs se forment dans les mêmes circonstances et à la même époque la république de Vénise, les principautés de Gaète, Naples Sorrente et Amalfi (1).

Ce n'est pas cependant que le rétablissement du régime impérial en 554 n'avait pas été bien venu: les romains, les anciens maîtres de la civilisation ne voulaient à aucun prix devenir des barbares; mais un fisc impitoyable qui pressurait les habitants, la violence du pouvoir impérial, surtout des empereurs iconoclastes, contre les souverains pontifes rendirent bientôt odieuse la domination des souverains de Byzance (2). Ceux-ci ne surent pas même défendre la population italienne contre les nouvelles invasions, celles des Lombards; ils préférèrent s'en décharger sur les papes, qu'ils envoyaient comme délégués au devant des envahisseurs et auxquels ils laissaient le soin et les frais de la défense.

Déjà nous voyons intervenir saint Grégoire le Grand comme médiateur entre Grecs et barbares; alorsque l'empereur ne bouge pas, il négocie avec le roi lombard Agilulf et lui arrache la paix à deux reprises, il veille à l'approvisionnement, fait réparer les remparts et encourage la formation des milices locales (3). Le VIIe siècle donne quelque répit, bien que les Lombards maintiennent leurs positions, continuant ainsi à séparer

(1) Duchesne, *Les premiers temps de l'Etat pontifical*, Paris, 1898, p. 1 ss.

(2) Les papes Silvère (536-37), Vigile (537-55), Martin (649-53) furent envoyés en exil; Sergius (687-701) et Jean VI (701-705) n'échappèrent que grâce à l'intervention du peuple romain. Surtout les persécutions iconoclastes furent très mal accueillies en Italie; le peuple résista aux édits et dans plusieurs villes élut ses ducs, sans tenir compte de l'empereur.

(3) Mœller, *o. c.*, p. 181; Doisé, *Le rôle politique et social de saint Grégoire le grand pendant les guerres lombardes*. — *Etudes*, t. XCIX (1904) p. 182-208.

le territoire romain du reste de l'Empire (1). Mais au VIIIe siècle commence la période d'envahissement et les papes, plus que jamais, eurent à exercer leur mission protectrice sur Rome et sur l'Italie (2). Sous le pape Jean VI (701-705), Gisulphe dévaste la Campanie et emmène beaucoup de prisonniers; le pape doit les racheter et obtenir la paix avec l'argent de l'Église. Quoique Jean VII (705-707) ait recouvré les *patrimonia* pris sur la côte de Gênes, la situation reste critique. Rome est toujours étroitement cernée par les Lombards: le pape Sisinnius (706) et après lui Grégoire II (715-730) s'occupent activement de la restauration des remparts de Rome. Aux difficultés causées par la soif de conquêtes des barbares, s'ajoutent bientôt les troubles suscités par la guerre de l'empereur Léon III contre les images. Dans cette double lutte les papes Grégoire II et Grégoire III (731-741), protecteurs du peuple, mais aussi soutenus par lui, agissent comme les maîtres de Rome et de son territoire, c'est-à-dire de la Campanie romaine et de la province maritime de la Tuscie suburbicaire. Ces deux papes reconnaissent encore l'autorité de l'empereur, mais leur successeur Zacharie (741-752) semble avoir agi avec plus d'indépendance. Deux fois le roi lombard Luitprand, touché de ses remontrances, posa les armes qu'il avait reprises par ambition et fit restitution à *Saint Pierre* des terres et villes injustement occupées par lui; or soit dans les

---

(1) C'est durant le VIIe siècle que l'Italie Byzantine est divisée en *duchés*, sorte de divisions militaires; le duché de Rome était enclavé dans le territoire lombard, il devait ses limites à l'arrêt de l'invasion aux abords de l'an 600; le duc militaire qui le gouvernait envoyé d'abord par Constantinople, fut depuis 727 élu par l'aristocratie militaire, mais comme nous disons plus loin son autorité était éclipsée pas celle du pape. DUCHESNE, *o. c.*

(2) Bien que les Lombards eussent embrassé le christianisme et semblassent mieux disposés que les Grecs à l'égard des Romains, ces derniers ne purent se résoudre à accepter leur domination, ils avaient une véritable aversion pour cette *gens, barbara, nefanda, putida*. Cfr. JUNGMANN, *l. c.*

revendications du pape, soit dans les actes de restitution du roi, aucune mention n'est faite de l'empereur (1). De fait le pape était le seul souverain du pays ; sa situation sera encore menacée, quand Astolphe montera sur le trône des Lombards (750); mais dans ce nouveau péril le pape se tournera vers les Francs et l'intervention des Francs aura pour conséquence la confirmation, la reconnaissance formelle et l'agrandissement du pouvoir temporel du Saint-Siège.

III. **Les papes et le peuple romain.**

Nous ne pouvons pas cependant passer ici sous silence le rôle du peuple romain dans ces événements. Les Romains ne laissaient pas d'avoir leurs aspirations politiques et de peser en ce sens sur la ligne de conduite de la papauté. L'éloignement du gouvernement central et le péril Lombard, en forçant les villes à se défendre, avaient aussi suscité chez les habitants des sentiments d'indépendance, des aspirations vers l'autonomie politique (2). Des milices urbaines étaient partout organisées et sans doute à Rome, comme ailleurs, l'armée obéissait à des ducs et tribuns militaires envoyés ou nommés par l'empereur ; mais à la suite des édits iconoclastes, lorsque les officiers voulurent se porter à des voies de fait contre le pape, les habitants les chassèrent, affranchissant du même coup Rome et

---

(1) *Eidem Sancto viro* (Zacharie)... *redonavit... Beato Petro reconcessit;* voir MARION, *Histoire de l'Eglise*, t. II, p. 20, MARX, *o. c.*, p. 273 d'après le *Liber Pontificalis*. Autre fait significatif: Zacharie avait été ordonné aussitôt qu'élu sans attendre la confirmation habituelle de l'empereur ; d'autre part cependant tout en gouvernant à sa guise, il était en relation avec le Copronyme et ne mettait pas en question l'autorité impériale sur le territoire romain.

(2) Voir MŒLLER, *o. c.*, p. 496 ss. Les Romains d'abord ne songeaient pas à se séparer de l'empire; dans la rébellion contre l'empereur iconoclaste, ils n'avaient d'autre prétention que celle d'élire un empereur orthodoxe; les papes Grégoire II et Grégoire III prirent la défense de l'autorité impériale qu'ils espéraient ramener à l'orthodoxie. Mais à la fin du pontificat de Grégoire III, les opinions étaient changées, et les Romains présentèrent la souveraineté temporelle à Charles Martel.

la papauté ; ils se firent les défenseurs de l'orthodoxie et de Saint Pierre qui en est le gardien. De là, selon une conception familière au moyen âge, incarnant l'institution dans son patron, ils en vinrent à considérer le prince des Apôtres comme le prince des Romains ; le peuple de Rome fut réputé le *peuple spécial de Saint Pierre* (1). Autour du sanctuaire apostolique, on voit se former comme une banlieue spéciale, les limites se tracent toutes seules, fournies par la frontière du duché de Rome, lequel avait été délimité lui-même par l'arrêt de l'invasion lombarde (2). C'est sur cet « état de Saint Pierre », que dès le VIIIe siècle le pape exerce une souveraineté politique de fait indépendante.

Et remarquons, pour finir, qu'il ne se passa à Rome, que ce qui s'était passé ailleurs, avec cette différence que les papes ici profitèrent des circonstances : à Vénise par exemple et à Naples, un duc indigène nommé par l'aristocratie avait remplacé le duc impérial. Mais à Rome où résidaient de nombreux étrangers, chrétiens venus de toute part, l'aristocratie laïque, le duc militaire avec les *optimates militiæ,* chefs du *felicissimus exercitus*, étaient éclipsés par une autorité plus grande et une aristocratie plus influente, par le Pape, le *venerabilis clerus* et les *proceres ecclesiæ*. L'autorité de l'empereur venant à disparaître, le pape, successeur de saint Pierre, était tout indiqué comme souverain de « l'État et du peuple de saint Pierre » (3).

R. De Schepper.

---

(1) *Sancti Petri peculiaris populus*. Cette expression se trouve à plusieurs reprises dans les lettres du pape Grégoire III à Charles Martel, du pape Etienne II à Pépin. Mourret, *o. c.*, p. 287 ; Mœller, *o. c.*, p. 499 ss.

(2) Cfr. Duchesne, *o. c.*, p. 7. Le duché de Rome tel qu'il apparaît à cette époque équivalait à peu près à la province de Rome actuelle, c'est-à-dire à l'ancien Etat Pontifical dans ses dernières limites entre 1860 et 1870.

(3) Cfr. Duchesne, *o. c.*, p. 7-8.

VI

Q. *Interpretare hanc præscriptionem Rit. Rom., tit. VI, c. II. nº 6 « negatur ecclesiastica sepultura... iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt ».*

R. Ut recta tradatur hac de prohibitione interpretatio conferendus est textus *Ritualis Romani* cum canone non abrogato Concilii Lateranensis IV *Omnis utriusque sexus fidelis* (1), attentis simul declarationibus Congregationum Romanarum et sententiis Auctorum.

I. Primo solvenda venit quæstio utrum pœna illa privationis sepulturæ ecclesiasticæ sit *latæ* vel *ferendæ sententiæ,* seu utrum necne a parocho possit applicari propria auctoritate, absque prævia sententia Ordinarii condemnatoria.

a/ Patres Lateranenses, cum suspicarentur haud esse defuturos qui præceptum annuæ confessionis et paschalis communionis exsequi detrectarent, eam duplicem pœnam statuerunt « alioquin et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur (2) et moriens careat christiana sepultura ». Jam vero pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ certissime est *ferendæ sententiæ* et valde convenienter idem affirmatur de privatione sepulturæ sacræ, in quantum consideratur ut effectus et sequela interdicti (3), cujus sequitur naturam. Unde pronuntiata sententia interdicti, eo ipso carent defuncti honore funerum religiosorum; « si vero ante declarationem

(1) Receptus in Corpore Juris C. 12, X, V, 38; cf. *Trid.*, Sess. XIII, can. 9.

(2) Non agitur hic de pœna excommunicationis ut quidam volunt, sed de interdicto ab ingressu ecclesiæ cf. *Archiv für katholisches Kirchenrecht,* 1908, t. LXXVIII, p. 181 ss.

(3) C. 20 in VIº, V, 11; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can -civ. compend.*, nº 1432.

moriuntur, non privantur sepultura ecclesiastica, modo obierunt cum signis contritionis (1) ».

Tamen animadvertendum est quod si interdicto censuratus ante mortem manifestaverit signa pœnitentiæ, donandus est sepultura ecclesiastica, saltem post absolutionem ab illata censura impertitam (2).

Denegatio vero sepulturæ ecclesiasticæ non semper supponit interdictum, est enim una pœna separata ab alia.

Jam vero, etsi non desint antiqui et moderni auctores qui privationem funerum christianorum semper ut pœnam *ferendæ sententiæ* habuerunt (3), tamen communior sententia tenet hanc sanctionem, seorsim spectatam independenter ab interdicto, esse *latæ sententiæ,* cum sit lata per verbum *careat* et nullo facto positivo indigeat ad sui executionem (4). Unde absque ulla sententia condemnatoria incurritur, posito quod sit *notorium* talem defunctum malitiose prætermisisse confessionem annuam et communionem paschalem.

b/ Hæ juris communis præscriptiones per plura statuta et synodos particularia fuerunt promulgatæ, imo severioribus sanctionibus corroboratæ. Dum in quibusdam diœcesibus, sententia episcopi, præhabitis denunciationibus et monitionibus de jure, ad inflingendas pœnas lateranenses requirebatur; in aliis tamen, tum pœna interdicti, tum privatio supulturæ sacræ ut

---

(1) S. C. Episc. et Regul., *Causa Cajetana* 14 junii 1595, ap. Bizzarri, *Collectanea in usum secretariæ S. Congr. Episcop. et Regul.*, p. 689, Romæ 1886; Cavalieri, *Commentaria in authentica S. Rit. Congr. decreta,* tomo IV, cap. 2, p. 11, Venetiis 1768. — De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 788, Wernz, *Jus Decretalium.* T. III, *Jus administrationis*, nº 781, nota 46 et multi alii mendose exscribunt datam hujus declarationis.

(2) Cf. citatum cap. 20, in VIº; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1432.

(3) Cf. Thesaurus-Giraldi, *De pœnis ecclesiasticis*, p. 375, Romæ, 1740; Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiasticæ.* Instit. XLV, nº 6, 7, 8; Folium *Causæ Ragusinæ,* 26 fev. 1859, ap. *Thesaurus Resolut. Cong. Conc.*, t. CXVIII, p. 78.

(4) Thesaurus-Giraldi, *o. et l. c.*

sanctiones *latæ sententiæ* fuerunt habitæ, adjecta etiam excommunicatione in contumaces (1). Ideo factum est ex præscriptionibus juris particularis legitime leges communes urgentis, ut tum interdictum, tum denegatio sepulturæ ecclesiasticæ jam induerent naturam pœnæ ipso facto commissi delicti contractæ.

Ita decisum est a S. Congr. Episc. et Reg. incurri privationem sepulturæ ecclesiasticæ ante omnem sententiam Episcopi, si ex statuto diœcesanæ synodi interdictum *ferendæ sententiæ* jam mutatum esset in pœnam *latæ sententiæ* (2).

c/ Alludens ad Sacrorum Canonum decreta, jussit *Rituale Romanum* parochi auctoritate excludendos esse *ipso jure* a sepultura ecclesiastica:.. « eos de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt Sacramenta Confessionis, et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt ». Concludendum est cum plerisque auctoribus (3), quod, si textus lateranensis ansam præbere potuit controversiæ circa naturam hujus pœnæ seorsim ab interdicto consideratæ, prohibitio Rit. Rom. indubie statuat, privationem sepulturæ sacræ esse pœnam *latæ sententiæ*, quæ incurritur ipso facto criminis commissi, dummodo verificentur conditiones delicti hac sanctione puniti (4).

---

(1) Cf. *Analecta juris pontificii*, 1861, col. 354 ss.; HOLLWECK, *Die kirchlichen Strafgesetze*, p. 202, § 134, Mainz 1899; HINSCHIUS, *Kirchenrecht*, t. V, p. 766 nota 3; t. IV, p. 74 ss.; Cf. Causa C. Concilii anni 1581, HINSCHIUS, *l. c.*, p. 75, nota 3; alia, 4 martii 1726, ap. RICHTER, *Canones et decreta Conc. Trid.*, p. 69, Lipsiæ 1853.

(2) *Causa Barensis*, 15 dec. 1696 et *Causa Neapolitana* 9 martii 1855, ap. BIZZARRI, *o. c.*, p. 689; *Anal. jur. Pontificii*, 1861, col. 362-367; CAVALIERI, *o. et l. c.* — DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *l. c.* et WERNZ, *l. o.*, iterum mendose exscribunt datam prioris causæ.

(3) Cf. GASPARRI, *De Eucharistia*, t. II, p. 391 s., nº 1172, Parisiis, 1897; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *l. c.*; MOULART, *De sepultura*, p. 283, Lovanii 1862; SANTI-LEITNER, *Prælectiones jur. can.*, t. III, p. 256, Ratisbonæ 1898; HOLLWECK, *o. c.*, p. 202 ss., nota 11; *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 627, etc.

(4) Non desunt Auctores qui contrarium tenent: VON SCHERER, *Handbuch*

II. Jam vero, attentis verbis Rit. Rom., tres præcipue conditiones examinandæ veniunt, juxta principia superius tradita (1).

a/ Oportet ut certo constet de facto specifico notato in jure, quod nempe aliquis peccaminose, ex malitia, ex contemptu Sacramentorum aut Ecclesiæ, ex indifferentismo neglexerit præceptum annuæ confessionis et communionis paschalis. Multi auctores, præsertim ex his regionibus ubi spiritus fidei et praxis religionis infeliciter decrevit, censent non sufficere omissa fuisse semel hæc sacramenta, aut aliquoties, sed requiri usum seu consuetudinem transgrediendi mandatum Ecclesiæ (2).

Sed non videtur quomodo illa benignior interpretatio conciliari possit cum veteri jure, cum textu Conc. Later., Conc. Trid., et Rit. Rom., quæ urgere intendunt præceptum annuæ confessionis et communionis paschalis ita, ut factum quod denunciandum est et sanctionibus interdicti et privationis sacræ sepulturæ puniendum, sit culpabilis et scandalosa omissio præcepti Ecclesiæ. Hæc, etiam si semel contigerit, prævia monitione contempta et habita notorietate prætermissionis, nata est demonstare culpabilitatem et pertinaciam delinquentis et scandalum movere apud populum christianum.

Fatendum quod si semel tantum aliquis prætergre-

---

des Kirchenrechts, t. II, p. 605, nota 13, Gratz, 1898; ARNDT, ap. *Theol.-Prakt. Quartal-Schrift*, 1893, t. XLVI, p. 902; LEX, *Das kirchliche Begräbnisrecht*, p. 364, nota 4, Regensburg, 1904, et alii ibidem citati.

Sunt etiam statuta diœcesana quæ semper requirunt sententiam condemnatoriam Episcopi ad privandum aliquem sepultura sacra. Cf. *Instructio Eystettentis*, can. 150, 9°, Friburgi-Brisgoviæ, 1902; Synod. Paderb. 1867 ap. v. SCHERER, *l. c.* Sed non fulcitur hæc sententia argumentis ex jure desumptis; nititur autem praxi mitiori.

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 269 ss.

(2) Cf. MANY, *De locis sacris*, p 359, Parisiis, 1904; BARGILLIAT, *Prælectiones jur. can.* ed. 22, n° 1333, Parisiis, 1905; ALBERTI, *De sepultura ecclesiastica*, p. 6, Romæ, 1901; LEX, *o. c.*, p. 362; v. etiam DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. et l. c.* etc.

diatur mandatum Ecclesiæ, difficulter cum certitudine constabit de malitia actus et de publicitate delicti sed agitur tunc quæstio facti non vero juris.

b/ *Publica* sit oportet omissio annuæ confessionis et communionis paschalis, tum in ratione facti, tum in ratione peccati. Illa publicitas seu notorietas potest esse *juris*, nempe ex prævia sententia interdicti a judice pronunciata, aut *facti*, quando, ex evidentia rei, delictum cognoscitur a majori parte communitatis, aut a pluribus ita ut nulla tergiversatione celari possit (1).

Publicitas autem *facti* probabitur ex evidentibus adjunctis delicti, ex rumore publico, ex testimoniis virorum proborum et prudentum. Quod si dubium hac de re remaneat aut prævideantur difficultates, consulatur Ordinarius, juxta prædicta (2).

c/ Oportet ut *publice* constet contemptorem præceptorum Ecclesiæ absque ullo signo contritionis obiisse.

Signa pœnitentiæ etiam per unicum testem qui moribundo adfuit probari valent ; cui adstanti, pro adjunctis personarum et facti, attestatio jurata exposci potest. Nec requiritur resipiscentia in ipso instanti mortis, dummodo hæc in fine vitæ fuerit modo sufficienti expressa (3). Præterea requiritur ad vitandum scandalum ut illa signa pœnitentiæ communitati innotescant, nam publici et notorii delicti, publica et notoria esse debet reparatio (4).

---

(1) Lex, *o. c.*. p. 363 ss., ad demonstrandum privationem sepulturæ ecclesiasticæ esse ferendæ sententiæ falso arguit ex natura *notorii*. Censet ad *notorium* constituendum requiri sententiam Episcopi, qui solus competens foret ad judicandum de notorietate delicti.

(2) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 270 s.

(3) Conferatur nota a Sancto Officio communicata diario *Osservatore Romano*, occasione funerum religiosorum regis Italiæ, Humberti I, violenter necati a. 1900, qui in fine vitæ signa non æquivoca pœnitentiæ dederat. Cf. *La Civiltà Cattolica*, 13 ser., t. XI, p, 610 s.; *Le Bien Public*, 1900, 23, 25, 29 août et 2 sept.

(4) Moulart, *o. c.*, p. 285.

Quidam auctores (1), benignius interpretando verba hujus prohibitionis, asserunt, ad negandam sepulturam ecclesiasticam non sufficere ut certo et publice constet de defectu pœnitentiæ ante mortem sed requiri ut certo et publice constet de impœnitentia. Atqui, aiunt, de hac tantummodo notorie constabit, si moribundus, publice, coram testibus, sacramenta exeuntium ex malitia recusaverit.

Sed aliena est hæc interpretatio a textu Ritualis, ubi sermo est de publico defectu pœnitentiæ, nec componi posse videtur cum doctrina probata Auctorum (2) nec cum decisionibus S. C. Episc. et Regularium (3). Juxta quæ, si quis morte subitanea occubuit, dum delictum, tum in ratione facti, tum in ratione peccati, sit certissimum majori parti communitatis, ei deneganda foret sepultura sacra; merito enim præsumitur quod delinquens mortuus sit sicuti vixit.

Opportune in fine adducitur textus canonis 926 Concilii plenarii Americæ Latinæ (4): « Ne autem multiplicentur difficultates in sepultura indignorum, parochi, paternæ prævidentiæ normas præ oculis habentes, et præsertim caritatis officia totis viribus adimplentes, infirmos catholicos qui vitam a christianis institutis alienam duxerunt, cum publico fidelium scandalo, prudenter et sollicite disponant, ut christianus sit eorum ab hac mortali vita discessus: quod si inanes fuerint vel inutiles futuri prævideantur conatus ad conversionem obtinendam, opportuna consilia et mandata ab Episcopo exquirere non omittant ».

A. De Meester.

---

(1) Cf. Many, *o. c*, p. 359 s.; Gousset, apud De Brabandere Van Coillie, *o. et l. c.* et Moulart, *o. c.*, p. 284.

(2) Gasparri, *o. c.*, nº 1172; Hollweck et alii ibid. citati, *o. c.*, p. 203, nota 11.

(3) *Causa cit. Neapolitana*, 9 martii 1855.

(4) *Acta et decreta Conc. plenarii Americæ Latinæ*, a. 1899, p. 406; *Pastorale Brugense*, de exequiis ap. *Coll. Epist. Past.*, t. II, p. 303.

Suprema S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis).

DECRETUM.

Portiunculæ, quam vocant, Indulgentiæ lucrandæ redeunte jam die, innumeræ propemodum Apostolicæ Sedi preces undequaque gentium oblatæ sunt aliæque offerendæ prævidentur tum ad jam obtentarum hac in re concessionum prorogationem tum ad novarum elargitionem impetrandam. Cum igitur Supremæ hujus Sacræ Congregationis Sancti Officii, cui Indulgentiarum moderandarum munus incumbit, mens sit certas ac fixas super præstantissimo hujusmodi spirituali favore normas præstituere, ne forte alicubi fideles, dum hæ parantur, eo fraudari contingat, E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales Inquisitores Generales in plenario conventu habito feria IV die 24 hujus mensis generali Decreto, *usque ad novam dispositionem valituro,* statuendum censuerunt:

1° Omnes et singulæ tam pro fidelibus in sæculo viventibus quam pro piis communitatibus antea a Sancta Sede factæ et jam nunc expiratæ vel in posterum expiraturæ de Portiunculæ Indulgentia concessiones prorogatæ habeantur sine die, firmis, quoad cetera, clausulis et conditionibus præcedentis Indulti habitaque ratione, quoad utile sacris visitationibus peragendis tempus, novissimi hujus ejusdem Supremæ Sacræ Congregationis Decreti diei 26 Januarii anni currentis *(Acta Apostolicæ Sedis, an. III, vol. III, pag. 64).*

2° Quod ad novas concessiones tam pro fidelibus in sæculo viventibus quam pro piis communitatibus, providendum pariter sine die committitur respectivis Ordinariis cum facultatibus necessariis et opportunis, salvis tamen clausulis et conditionibus *Motu-Proprio* die 11 Junii anni elapsi præscriptis *(Acta Apostolicæ Sedis, an. II, vol. II, pag. 443).*

3° Itidem, demum, respectivis Ordinariis prorogatur sine die facultas, præfato *Motu-Proprio* superiore anno eisdem concessa, statuendi ad supradictam Indulgentiam lucrandam, loco diei secundæ Augusti, Dominicam proxime insequentem, servatis clausulis et conditionibus ibidem appositis.

Quæ omnia SS^mus D. N. D. Pius divina providentia PP X, in solita audientia R. P. D. Adsessori sequenti die impertita, benigne adprobare ac suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Romæ, ex Ædibus S. O., die 26 Maii 1911.

L. ✠ S. Aloisius Giambene,
Substitutus pro Indulgentiis.

Adnotationes.

Præsens decretum respicit *Portiunculam franciscanam* seu secundæ diei Augusti et statuit sequentia, donec aliter S. Sedes disposuerit:

1° *Concessiones antea factæ,* et jam nunc expiratæ vel in posterum expiraturæ *prorogantur indefinite.* At servari debent clausulæ et conditiones præcedentis Indulti (1).

Addit decretum habendam esse rationem decreti S. O. diei 26 Januarii 1911, quoad utile sacris visitationibus peragendis tempus (2). Videlicet currit illud tempus *a meridie 1^æ Augusti ad mediam noctem 2^æ Augusti*, etiamsi indultum expresse statuat tempus a vesperis diei primæ ad occasum solis diei secundæ Augusti.

Obiter notare liceat momentum hujus mutationis in materia indulgentiarum: haud parva erat varietas quoad determinationem temporis utilis ad instituendam visitationem requisitam ad lucrandas indulgentias. Sublata nunc hac varietate, jam habetur quædam quasi codificatio completa relate ad conditiones indulgentiarum. Nimirum *Communio* semper fieri potest pridie diei cui est adnexa indulgentia (S. C. Indulg. 6 Oct. 1870); *confessio* anticipari potest tribus diebus, si indulgentia pluries eadem die sit concessa, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus (S. C. Indulg.

(1) Ita providetur postulationibus ad Curiam episcopalem directis.
(2) Cf. *supra,* hoc t. XVI. p. 235.

11 Martii 1908) (1); *visitatio* denique potest institui semper a meridie diei præcedentis usque ad mediam noctem constituti diei.

2° *Quoad novas concessiones faciendas :* Ordinariis respectivis datur facultas pariter sine die concedendi indultum Portiunculæ tam pro fidelibus in sæculo viventibus quam pro piis communitatibus.

At servari debent clausulæ et conditiones *Motu-Proprio* die 11 Junii 1910 præscriptis (2). Nimirum possunt Ordinarii designare « unam aut plures, pro rei opportunitate, in quovis propriæ ditionis loco ecclesias aut publica vel semipublica oratoria ». Visitatio, ut dictum est, fieri potest a meridie primæ Augusti ad mediam noctem secundæ Augusti, quamvis in præfato *Motu-Proprio* ponatur tempus « a vesperis diei primæ ad solis occasum diei secundæ mensis Augusti » ; fideles utriusque sexus vitam communem agentes debent visitare propriam ecclesiam, si habeant, non vero proprium domesticum oratorium.

Prorogatur denique sine die facultas Ordinariis assignandi loco diei secundæ Augusti *Dominicam proximam insequentem*, hac tamen sub lege ut nequeat quis eadem concessione bis frui.

H. Mahieu.

(1) *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 464.

(2) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 430. At ponitur *Motu-Proprio* ad diem IX Junii : *Acta Apost. Sedis*, t. II, p. 443.

Consultationes

I

Quæritur utrum in Gratiarum actione post missam, dicenda sit doxologia *Gloria Patri* etc. in fine cantici *Benedicite?*

Respondetur Negative. In Missali enim non additur *Gloria* et in Breviario expresse dicitur non esse adjungendam hanc doxologiam. Ratio autem omissionis est quia canticum illud habet doxologiam, seu laudem Dei Unius Trinique finalem, sibi propriam. Duo enim ultimi versus « Benedicamus *Patrem* et *Filium* cum *Sancto Spiritu* etc. » respondent doxologiæ consuetæ: « Gloria *Patri* et *Filio* etc. » et in liturgia additi sunt cantico ex S. Scriptura (Dan. II, 57-88) desumpto. Ideo canticum illud dicitur sine *Gloria Patri* etiam in officio, v. g. ad Laudes, quamvis hæc doxologia addatur singulis psalmis et canticis nisi plures per modum unius recitentur.

II

Quær. Utrum reliquia S. Crucis debeat incensari non tantum ante sed *etiam post benedictionem* cum Sacræ Crucis particula impertitam?

Resp. Negative. Hæc secunda incensatio non magis præscribitur post benedictionem S. Crucis quam post benedictionem SS. Sacramenti. Et quamvis non exstet decretum eam expresse prohibens, sicut diserte prohibetur post benedictionem cum Venerabili, uniformitatis causa, oportet ab iterata incensatione abstinere, sicut ab ea abstinemus post benedictionem SS. Sacramenti (1). Ceterum ita communiter auctores.

C. Callewaert.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 375 et decreta prosynod. anni 1911, n. V, supra p. 448.

Notæ bibliographicæ

Bittremieux J. *Apologetical Questions.* Louvain, Wouters-Ickx, 1910. In-8, 106 p.

Sous ce titre, M. Bittremieux, professeur à l'Université de Louvain, a réuni trois opuscules; le premier *About the Notion of dogma* (1) expose la notion catholique du dogme, qui, pris au sens strict, doit se définir: une vérité révélée par Dieu et proposée comme telle par l'Eglise. Cette définition est inconciliable avec la doctrine des Modernistes, notamment avec celle de M. Le Roy, qui ne veut voir dans le dogme qu'une règle pratique d'action. L'A. montre bien pourquoi ce *pragmatisme* est insoutenable et réfute les objections principales que l'on oppose à l'*intellectualisme.* L'A. a résumé avec précision et mis à la portée du public la doctrine concernant l'essence du dogme: l'opportunité de ce travail est évidente.

Nous n'avons pas moins de bien à dire des deux autres opuscules: *The doctrine of the blessed Trinity, Independent and Christian Morality:* ils sont la traduction de deux contributions, connues et estimées d'un grand nombre de nos lecteurs, publiées dans la Collection « Geloofsonderricht » (2): on y trouve un exposé exact de la vraie doctrine, la réfutation des principales objections et l'indication d'ouvrages utiles à ceux qui désirent entreprendre une étude plus approfondie.

de Poulpiquet, O. P. *La notion de catholicité.* Paris, Bloud, et Cie, 1910. In-16, 63 p. Fr. 0,60.

Dans cette étude, le P. de Poulpiquet se propose de montrer que la notion de catholicité telle qu'elle est exposée communément par les théologiens et qu'il appelle catholicité *quantitative*, n'est pas suffisante à constituer une *note* de l'Eglise; qu'il faut y ajouter un aspect *qualitatif* et *spirituel:* la catholicité *qualitative.*

Le travail du savant A., qui fait surgir beaucoup de questions, pourrait faire l'objet d'une longue et intéressante discussion: qu'on nous permette quelques remarques.

« La catholicité de l'Eglise se composerait, d'après les auteurs classiques, des trois facteurs suivants: *unité, chiffre considérable des adhérents, extension géographique* » p. 9. Ici nous sommes d'accord avec l'A., a condition cependant qu'il admette: 1/ que l'unité est *présupposée* à la notion formelle de catholicité; 2/ que l'élément principal de la notion de catho-

(1) Cette dissertation existe aussi en tiré-à-part.

(2) *Onafhankelijke en christene zedenleer. — De leer der h. Drievuldigheid.* Burcel van Geloofsonderricht, Klein Seminarie, Rousselare.

licité est l'*extension géographique*, c'est-à-dire le fait que l'Eglise est répondue chez tous les peuples (1).

Ce que l'A. appelle catholicité *qualitative* est un universalisme *spirituel*, opposé à tous les particularimes : à savoir, le particularisme du *moi* ou individualisme religieux, le particularisme de la faction politique ou de l'école philosophique, le particularisme national, qui limiterait l'Eglise au territoire d'une nation ou la soumettrait à la domination politique (p. 30 ss). Ce serait cet universalisme qui, d'après l'A., serait la cause ou le principe de la catholicité *quantitative* et celle-ci ne serait *note* que pour autant que celle-là (catholicité *qualitative* ou universalisme *spirituel*) s'y ferait voir.

Nous ne pouvons nous rallier à cette conclusion : ce qui, d'après nous, vérifie la notion formelle de *note* est précisement l'*extension géographique* avec le *nombre considérable d'adhérents* de l'Eglise une.

En effet : ce que l'A. désigne par universalisme spirituel n'est pas une réalité distincte, mais c'est le résultat, d'ordre moral, d'un ensemble de propriétés et de dons surnaturels, qui, en eux-mêmes, sont invisibles. Qu'est ce, en effet, l'universalisme opposé aux particularismes divers? Avant tout, l'*unité* parfaite de l'Eglise. En quoi consiste cette unité? En ce que les fidèles *coopèrent* réellement à leur salut mutuel (unitas *communionis*), qu'ils croient tous les mêmes dogmes (unitas *fidei*), qu'ils sont soumis et obéissent à la même autorité (unitas *regiminis*) (2). Comment s'obtient cette unité? d'une part, par l'exercice du pouvoir d'enseigner et du pouvoir de jurisdiction; d'autre part, par les grâces habituelles et actuelles par lesquelles Dieu incline les intelligences et les volontés à l'exercice de la foi et des autres vertus.

Et si nous considérons ultérieurement cette puissance de l'Eglise par laquelle elle échappe, non seulement au particularisme du moi et de la faction, mais encore au particularisme *national*, nous verrons que cette puissance est réalisée dans sa *sainteté* et son *apostolicité*. C'est par la *sainteté* que l'Eglise maintient l'apostolat qui la répand chez tous les peuples, c'est encore par la sainteté, considérée surtout dans ses chefs, qu'elle s'oppose victorieusement à la domination du pouvoir civil. Enfin c'est par l'*apostolicité* qu'elle exerce le triple pouvoir (jurisdiction, enseignement, ordre) d'où découle toute sa vie sociale. L'universalisme spirituel parconséquent, comme nous le disions, n'est pas une propriété distincte, mais le résultat, d'ordre moral, d'un ensemble de propriétés et dons surnaturels.

Mais cet universalisme est il une *note* de l'Eglise? Si on le considère dans sa réalisation concrète, oui : en ce sens, que cet universalisme est un *miracle moral*, comme le dit l'A. p. 48 ; d'où l'on conclut que la société,

---

(1) Comme le fait très bien remarquer le P. Billot, *De Ecclesia*, t. I, Roma, 1898, p. 228. La phrase, isolée de son contexte, que cite le P. de Poulpiquet, p 18, peut induire en erreur, sur l'opinion du P. Billot. — Nous admettons que la catholicité quantitative *seule*, considérée sans l'*unité*, ne serait pas une note *positive*. Cf. Wilmers, *De Ecclesia*, n. 536; De San, *De Ecclesia*, n. 166; Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, t. I, 1a Edit. 1894, n. 406.

(2) Cf. *Conc. Vatic., Constist. de Ecclesia*. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, n. 1821.

qui possède cet universalisme, est divine (1). Mais je ne vois pas comment on puisse prouver directement que l'Eglise, instituée par Jésus, doive avoir, d'après l'intention de son fondateur, l'universalisme spirituel, tel que le décret l'A.: ce ne peut-être qu'une conclusion tirée de ce que l'Eglise doit-être une, sainte, catholique et apostolique.

Si l'on compare maintenant l'universalisme spirituel avec ce que l'A. appelle catholicité *quantitative*, où se trouve réalisée la *note*, le caractère *distinctif* et *visible pour nous?* C'est dans l'extension géographique et le grand nombre de fidèles: c'est parce que l'Eglise garde sa parfaite unité en des membres si nombreux et surtout chez des peuples si différents (malgré les obstacles si multiples, les oppositions si puissantes d'idées et de mœurs), c'est pour cela qu'elle *se distingue*, sous se rapport, de toutes les autres sociétés religieuses; c'est en ce sens que l'extension géographique et le nombre considérable d'adhérents sont une *note;* de plus l'extension géographiphe et le nombre considérable d'adhérents est pour nous un effet qui ne s'explique que par une intervention spéciale de Dieu, en dehors et audessus de toutes les forces naturelles. La visibilité de l'Eglise consiste précisément dans les effets extérieurs, qui s'offrent immédiatement à notre connaissance et d'où nous *concluons* qu'elle est la vraie Eglise.

*
* *

Fillion, *L'existence historique de Jésus et le rationalisme contemporain.* Paris, Bloud et Cie, 1909. In-16, 64 p. Fr. 0,60.

Mr l'abbé Fillion a publié un travail important, bien documenté, sur les *Etapes du rationalisme dans ses attaques contre les évangiles et la vie de J.-C.* (2). Le rationalisme, caractérisé et radicalement vicié par le préjugé qui rejette, sans examen, tout surnaturel, a engendré, dans la critique historique, le subjectivisme impressionniste (3). Il en est sorti une école ultro-radicale, qui va jusqu'à nier l'existence même du Christ (4). Les protagonistes de cette négation et leurs écrits sont signalés dans l'opuscule de Mr Fillion, qui y expose ensuite brièvement et clairement les preuves irrécusables de l'existence de Jésus: le témoignage des écrivains païens, celui des écrivains juifs, celui des auteurs chrétiens et enfin celui du christianisme.

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. Billot, *o. c.*, p. 241.

(2) *Revue du Clergé français*, t. **58**, p. 5, 549, 662; t. **59**, p. 175, 409; t. **61**, p. 279, 513.

(3) Cf. *o. c.*, t. **61**, p. 514; G. Goyau, *L'Allemagne religieuse: le Protestantisme*, Paris, 1898, p. 91 ss.

(4) Cf. *Revue du Clergé français*, t. **61**, p. 313 ss. Il faut remarquer que le grand nombre des protestants libéraux et des rationalistes n'adhère pas à cette négation et que plusieurs l'ont réfutée.

Miguel de Arquer, *Novissima disciplina sobre Esponsales y Matrimonio*, 2ª editión, Barcelona, 1910. In-8, 237 p. — *Supplemento,* 1911, 30 p. Pretium: 2,50 lib.

Inter plurima Decreti *Ne temere* commentaria hucusque in lucem edita, non infimum sane locum occupabit opella in fronte nuntiata. eamque libenter commendamus utpote egregia interpretandi methodo, solerti opinionum discussione necnon facili scribendi forma præstantem.

Juvat autem quasdam indicare solutiones quas A., in variis quæstionibus controversiæ obnoxiis. vindicat tenendas, quasque studiosus lector omnes, una excepta, conformes reperiet cum doctrina in Tractatu nostro *De Sponsalibus et Matrimonio,* 2ª ed., aut apud *Collat. Brug.* proposita.

Num. 10 et 28, omnis efficacia *etiam in foro interno* abjudicatur sponsalibus extra formam Decreti celebratis: quod saltem practice tutum diximus in Tractatu, n. 7; urget etiam A., sub n 27, sententiam quam *ibidem,* in nota, tenemus, promissionem scil. unilateralem futuri matrimonii oraliter factam servare suum nativum valorem, siquidem a Decreto attingitur sola promissio sponsalitia, adeoque bilateralis. Ad n. 23, non jam agnoscit, sub nova disciplina, vim sponsalium matrimonio impuberum; cf. Tractatum, n. 9.

Censet, sub n. 167, sponsum, in ordine ad assistentiam matrimonii, fieri subditum Ordinarii per commorationem mensilem in diœcesi, etiamsi in diversis degerit diœceseos parœciis; videtur potius ad hoc requiri ut per mensem versatus fuerit in determinata diœceos parochia; cf. Tractatum, n. 73. Ultro consentimus cum Auctore (n. 184) in hoc quod vagi, in quorum gratiam obtinenda est licentia Ordinarii, ut ipsorum matrimonio assistere queat parochus, quod, inquam, vagi intelligantur soli vagi habitualiter seu vagabundam vitam ducentes, non autem momentaneè vagi: id suadet ipsa ratio legis. Cf. Tractatum, n 75.

Præ cæteris placuit laudatum Auctorem nobiscum consentientem habere in duplici quæstione admodum disputata. Et primò quidem vindicat, sub n. 268, sacerdotes, vi decreti S. C. de Sacram., diei 14 Maii 1909, dispensantes cum moribundis, in casu articuli VII Decreti *Ne temere*, dispensare posse etiam super impedimento clandestinitatis, adeo ut valeant hujusmodi nuptiis assistere absque præsentia duorum testium (1). Propugnat etiam (n. 293 ss.) sententiam, pluries jam, idque in præsenti etiam fasciculo, p. 463, vindicatam, privilegium nempe art. VIII Decreti *Ne temere* applicari posse quando matrimonium celebrari nequit coram parocho ejusve delegato, quia, cum non possint adimpleri formalitates civiles, sacerdos a dicta assistentia sub gravi pœna prohibetur per legem anterioritatis matrimonii civilis; potest scil. matrimonium tunc validè et licite celebrari coram duobus dumtaxat testibus.

A. De Smet.

---

(1) Cf. *De Spons. et Matr.*, n 369, sub fine, coll. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 197, ubi citantur Auctores in utramque partem.

GELOOFSONDERRICHT

« VOOR ONZE JONGE LIEDEN »

Liceat benevolam mentem sacerdotum nostri dioceseos vocare in conamina quæ, suadente et probante Illustrissimo ac Reverendissimo nostro Episcopo, ab organismo *Geloofsonderricht* ante aliquot hebdomadas incæpta sunt. Ea exposuimus in primo fasciculo novi Periodici **Voor onze jonge lieden!** (*Geloofsonderricht, Brugge, Reeks* C) qui omnibus sacerdotibus dioceseos fuit ante aliquot hebdomadas transmissus una cum serie quadam quæstionum circa opera juventutis forte existentia, ad Rev. Dominos Parochos directa. Quamplurium sacerdotum adhæsionem periodico læti accepimus, sicut et multorum RR. DD. Parochorum responsa. Liceat iterum insistere ut velint RR. DD. Parochi qui responsum hucusque non dederunt, id quantocius præstare. (Responsa transmittenda ad *Geloofsonderricht*, Groot Seminarie, Brugge). — Brevi edentur proximi fasciculi, indolis potius practicæ, complectentes schemata conferentiarum vel lectionum, circa Dei existentiam, introductionem in rem socialem, principia in re scholari, etc. Qui dicto periodico subscribere adhuc cupiunt, scribere velint ad: *Geloofsonderricht, Klein Seminarie, Rousselare.*

A. VANDER HEEREN.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Berlière Ursm. O. S. B. *Suppliques d'Innocent VI* (1352-1362). Textes et analyses [Analecta Vaticano-Belgica, t. V]. In-8, 998 p. Bruxelles, De Wit, 1911.

Bourdaloue *Sermons du carême de 1678.* Introduction par Eug. Griselle. (Science et Religion, n. 601-602). In-16, 128 p. Paris, Bloud Cie, 1911. Fr. 1,20.

Calippe Ch. (Abbé). *Les tendances sociales des Catholiques Libéraux.* (L'attitude sociale des Catholiques Français au XIXe s.). In-16, 302 p. Paris, Bloud Cie, 1911.

De Beaucorps. *Lourdes. Les apparitions.* In-16, 300 p. Paris, Bloud Cie, 1911. Fr. 3.

De missionarissen van Scheut. Beknopt overzicht over het ontstaan, de uitbreiding, de missiën en werken der Congregatie van het Onbevlekt Hart van Maria. Gr. in-8, 96 bl. met plat. Scheut, 1911.

Denzinger-Bannwart. *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.* Edit. 11a. Friburgi Br., Herder, 1911. Fr. 6,25.

Duplessy E. *Victor Hugo Apologiste.* Paris, Téqui, 1910. In-16, 160 p.

Ferreres J. B., S. J. *La Comunión frecuente y diaria y la primera Comunión* según las ensenanzas y prescripciones de Pío X. 3e édit. In-12, 296 p. Barcelona, G. Gili, 1911.

Hockenmaier Fr. O. F. M. *Le chrétien au tribunal de la pénitence.* Exposé pratique de la morale chrétienne. Trad. de l'allem. par A. Ingels O. F. M. In-24, 622 p. Liège, Demarteau, 1911.

Hugon Ed. O. P. *Le mystère de la Rédemption.* Paris, Téqui, 1910. In-16, 270 p.

La Mennais. *Pages et pensées catholiques* extraites des œuvres et de la Correspondance de l'auteur, par L. Maugin-Enlart. In-16, 202 p. Paris, 1911, Bloud Cie, 1911. Fr. 2,50.

Martin J. *Thomassin (1619-1695).* Collection « Science et Religion » (Les Grands Théologiens). Paris, Bloud, 1911. In-12, 127 p. Pr. 120 frs.

Millot J. *Laissez venir à moi les petits enfants.* Paris, Lethielleux, 1910. In-32 (139 p.). Pr. 0,50 fr.

Mohlberg Cun. O. S. B. *Radulph de Rivo,* der letzte Vertreter der altrömische Liturgie. Erst. Band: Studien. In-8, 160 p. Louvain, rue de Namur 40, 1911.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Murat L. et F. *Les Merveilles de l'œil.* Collection : « Science et Religion, » n. 593 (Questions scientifiques). Paris, Bloud, 1911. In-16 (71 p.). Pr. 0,60 fr.

Nouvelle A. *Méditations sur l'Évangile sèlon S. Jean.* Les entretiens de Jésus avec ses disciples après la Cène. In-16, 248 p. Paris, Bloud Cie, 1911. Fr. 3.

Palhoriès F. *Nouvelles orientations de la morale.* (Etudes de morale et de sociologie). Paris, Bloud, 1911. In-16 (162 p.). Pr. 2,50 frs.

Perriollat Ch. *Chrétien et Philosophe.* Paris, Bloud, 1910. In-16, 519 p.

Renard. *Pensées et maximes du R. P. de Ravignan.* Paris, Téqui, 1911. In-32 (IX-115 p.). Pr. 0,50 fr.

Rivière J. *Allez à Lui.* Paris. Téqui, 1911. In-12, p. 311. Pr. 3,50 frs.

Schneider. *Qu'est ce que le ciel.* (Science et Religion, 509. Questions théologiques). Paris, Bloud. In-16 (64 p.). Pr. 0,60 fr.

Schwalm. *L'acte de foi est-il raisonnable?* (Science et Religion, n° 591, Apologétique générale). Paris, Bloud, 1911. In-16 (63 p.). Pr. 0,60 fr.

Sepet M. *Louis XVI.* Paris, Téqui, 1910. In-12, 495 p. Pr. 3,50 frs.

Snell. *Essais sur la Foi dans le Catholicisme et dans le Protestantisme.* Paris, Téqui, 1911. In-12, 170 p.

Suau P. *La Mère Marie de Jésus Émilie d'Oultremont,* 2de éd., Tournai, Casterman, 1909. In-8° VIII-468 p.

Thiriet T. *Loi d'Exil.* Paris, Téqui, 1911. In-16 (320 p.). Pr. 3,50 frs.

Thureau-Dangin P. *Le Cardinal Vaughan.* (Science et religion n. 603-604). In-16, 127 p. Paris, Bloud, 1911. Fr 1,20.

Triollet J. *Examen de Conscience.* (Science et Religion, Piété-Ascetique). Paris, Bloud, 1911. In-16 (64 p.). Pr. 0,60 fr.

V. d. B. M. *Pour la Communion, Prière de préparation et d'action de grâces.* Paris, Casterman, 1910. Gr. in-32, de VIII-247 p. Pr. 1,25 frs.

Vandeur. *La Sainte Messe préparant la jeune fille à la Communion Eucharistique.* Louvain, 1910. In-24, XIII-144 p.

Van Deur E. *Une fidèle garde d'honneur au S. Cœur de Jésus La Mère Marie de Jésus.* Namur, 1909. In-16, 72 p.

Van Laack H. *Harnack et le Miracle.* (Etudes de théologie et d'histoire). Paris, Bloud, 1911. In-16 (125 p.). Pr. 2 frs.

von Keppler P. W. (bisschop van Rottenburg). *Meer vreugd.* Vert. CHRYS. WISSKIRCHEN O. Præm. In-16, 238 bl. Meerhout, Lebon, 1910.

Wehrlé J. *La méthode d'immanence.* Paris, Bloud Cie, 1911. In-16, 60 p. Fr. 0,60. (Collection « Science et Religion »).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

Interpretare Psalmum 94: *Venite exultemus*, attento textu qualis legitur in Psalterio *Romano* (recitatur ad Invitatorium Matutini), et in Psalterio *Gallicano* (refertur in Vulgata, et recitatur in II° Nocturno festi Epiphaniæ).

II

An et cur demonstrari potest Christum esse Deum ex hoc quod in N. T. sæpe vocatur « Filius Dei ».

III

Expone præcipuas sententias circa institutionem Sacramentorum.

IV

Vindica sententiam de eadem institutione præplacentem.

V

Vindica doctrinam Ecclesiæ de numero septenario Sacramentorum.

VI

In quibusnam missis et quare omittitur ps. *Judica me?*

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Epistolas Catholicas,* 5ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 300 p. Fr. 3.

Van Steenkiste-Camerlynck. *Commentarius in Actus Apostolorum,* 6ª editio aucta et emendata, Brugis, Beyaert, 460 p. cum tabula geographica. Fr. 5.

Camerlynck-Coppieters. *Evangeliorum secundum Matthæum, Marcum et Lucam* **Synopsis.** Editio altera auctior et emendatior. Brugis, Beyaert, 1910; pp. LXXVI-200. Fr. 5,50.

Camerlynck. *Compendium Introductionis Specialis in S. Sam.* Pars prior, XII-128 p. Fr. 1,75.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter.

PRIJZEN PER EXEMPLAAR. GEBROCHEERD: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

GECARTONNEERD: **met lustrine rugje,** per ex. 40 cent., per 50 ex. 35 cent., per 100 ex. 33 cent.

GEBONDEN: nº 1. Engelsche cartonnage zwarte percaline, roode sneê: per ex. 50 cent., per 50 ex. 45 cent., per 100 ex. 43 cent.

nº 2. Engelsche cartonnage percaline, gouden sneê met verguld platte, per ex. 66 cent., per 50 ex. 61 cent., per 100 ex. 59 cent.

nº 3. Leder Grenat, goude sneê, ronde hoeken, platte rijk verguld, lintje en étui: per ex. fr. 1,50, per 50 ex. fr. 1,40, per 100 ex. fr. 1,35.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. De Meester. *De la protection et propriété des objets d'art et des documents d'histoire conservés dans les églises.* — Extrait des *Collationes Brugenses,* t. XVI, 40 p. Fr. 1.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Interpretare* Philip. II 5-11.

R. Hoc loco epistolæ suæ, hortatur Apostolus Philippenses ut impleant gaudium suum, idem sapiendo, eamdem caritatem habendo, sentiendo unanimiter; removeant a suo modo agendi omnem vitiosam æmulationem et omne vanæ gloriæ studium; exerceant autem virtutes quæ concordiæ et caritati fraternæ sunt quasi conditiones fundamentales: humilitatem np., qua quisque alios sibi meliores arbitretur, et abnegationem qua discant curare et prosequi non sua tantum commoda, sed etiam commoda et bonum aliorum (II, 1-4).

Ut hanc abnegationem eos edoceat (v. 5), proponit, inter alia, tum admirabile exemplum Christi qui, sui quasi oblitus et intuitu nostræ salutis, « *cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* » (6-8), tum mercedem ingentem quam ob suam abnegationem adeptus est, siquidem propter illam « *Deus exaltavit illum super omne nomen* » (9-11).

Hujus in re dogmatica tam momentosi loci hæc dari potest:

I. **Paraphrasis.**

5. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: 6. qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: 7. sed semetipsum exinanivit formam servi	5. Foveatis in animis vestris affectus quales erant in Christo Jesu: 6. qui, etsi erat in summa Independentia et Majestate divina, non tamen cupide tenaciterque retinuit illam suam æqualitatem cum Deo Patre, 7. sed, semetipsum depressit, deposita

accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. 9. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: 10. ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, 11. et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

summa illa Independentia sua et assumpta conditione servili, factus nempe ejusdem conditionis ac reliqui homines, et tanquam verus homo in omnibus deprehensus. 8. Et ulterius adhuc humiliavit semetipsum, obedientem se præstando (Deo Patri), et quidem eo usque ut etiam mortem subierit, imo ipsam mortem crucis (quæ mors est servorum). 9. Propterea Deus eum vicissim ad summum honoris fastigium evexit, ipsique dignitatem donavit aliam quamlibet dignitatem excedentem, 10. nempe dedit illi ut ad nomen ipsius genua flectant rationales creaturæ omnes, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra, sive quæ sub terra sunt, 11. et omnis lingua confiteatur Jesum Christum esse Dominum, quod cedit in gloriam Dei Patris.

II. **Explicatio.**

Breviter explicanda, et per summa capita probanda interpretatio quam in Paraphrasi assumendam censuimus.

Qui, ὅς, scil. *Christus Jesus,* de quo v. 5, Deus-Homo, ille np. quem Philippensibus prædicavit, quem in seqq. supponet illis notum existere tum ut Deum tum ut hominem.

In forma Dei existens, ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων (1). Hæc *forma* Dei, μορφὴ θεοῦ, etsi forte alibi pro *natura* poni contingat, et etiam hic, ut dicemus naturam divinam indivulse connotet et supponat, — tamen non videtur

(1) ὑπάρχων, intelligimus non sensu causali: *siquidem, quia* erat; sed sensu adversativo; *etsi erat.* Vide Paraphrasim. — Beelen: sensu *temporis*: *dum erat, terwijl hij was.*

proprie et directe significare naturam aut essentiam, φύσις aut οὐσία (1), sed potius significat *conditionem* quamdam divinam, et quidem, in concreto, *summam independentiam et majestatem divinam* (2).

Ipsius sane, si, vitio illi quod Paulus impugnat, egoïsmo np. fuisset deditus, interfuisset hanc suam independentiam et summa jura sua quasi rem pretiosam sibi retinere; ast, — et en exemplum abnegationis — **non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.**

Esse se æqualem Deo, vel potius juxta t. gr.: *esse æqualiter Deo :* τὸ εἶναι ἴσα θεῷ (3), iterum non significat æqualitatem substantiæ seu naturæ Christum inter et Deum Patrem, sed, eodem sensu quo ἐν μορφῇ θεοῦ exposuimus, æqualitatem jurium et independentiæ (4).

Hanc suam independentiam et majestatem non arbitratus est rapinam, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο. — Ἁρπαγμὸς (5) intelligimus sensu passivo, quo intellexerunt omnes

---

(1) Et revera ipsa antithesis exigit ut *formam* v. 6 eodem sensu intelligas quo v. 7. Jamvero *natura servi* non datur ulla, datur vero *conditio* seu *status* servi. — Verum utique est Patres plerosque vocem μορφὴ in præsenti loco per φύσις et οὐσία interpretari; ast, ut bene ostendit Beelen (*Comment. in Epist. S. Pauli ad Philippenses,* ed. 2ª, Lovanii, 1852) bene fieri potuit, et exemplis factum esse probatur, ut ideo notionem naturæ seu essentiæ voci μορφὴ tribuerint quia sentiebant per formam Dei — sicut per formam servi — *simul connotari* naturam divinam et humanam.

(2) Bene iterum adverte connexionem idearum apud Paulum: Christus deposuit formam Dei, quatenus assumpsit conditionem servi, quæ est conditio omnimodæ subjectionis et dependentiæ. Hæc interpretatio ex complexu totius loci ut infra exponetur apte confirmatur.

(3) Hæc expressio intelligenda est qua accusativus qui pendet a verbo ἡγήσατο.

(4) Diceres: *être à l'égal de Dieu, être sur le même pied; — op denzelfden rang staan met God.* Tertull. vertit: *pariari Deo* (*Adv. Marcionem,* V, 20). — Revera Christus non dicitur, ut vertit Vulgata: ἴσον θεῷ, sed ἴσα, quod sumendum est adverbialiter pro ἴσως = *æqualiter* Deo (Beelen). — Illud *esse æqualiter Deo* sumimus pro eodem ac esse *in forma Dei.* (Cfr Beelen, *o. c.,* in h. l.; contra, *Rev. Bibl.,* 1898, p. 408).

(5) Cfr. Beelen, *o. c.,* p. 61 (aliter tamen in *Het Nieuwe Testament,* t. II, h. l.); Haupt, *Die Gefangenschaft-briefe* (Göttingen, 1902), pp. 69 ss.; Prat, *La théologie de S. Paul,* p. 445; — contra Van Steenkiste, in h. l.

Patres græci: *res rapta, præda*, et inde *res pretiosa* seu *thesaurus;* non autem sensu activo pro *actione rapiendi* (1). — Christus ergo illam summam Independentiam suam non consideravit tanquam rem pretiosam, scilicet: noluit eam sibi servare sicut servari solent a nobis res pretiosæ, sed

Exinanivit se, ἑαυτὸν ἐκένωσεν: litt.: *vacuum se fecit,* np. ab ea conditione divina, eamque deposuit (2).

Quo modo hæc exinanitio facta sit explicat Paulus triplici aoristo participii (3).

a/ **Formam servi accipiens,** μορφὴν δούλου λαβών: accipiendo conditionem servilem et omnimodæ dependentiæ (4). Hæc forma servi iterum non directe signi-

---

(1) Si cum plerisque Patribus latinis sensu activo vocem sumeres, vertere deberes; Christus, *siquidem* in forma Dei erat, non putavit se *injuste agere* dum sibi attribueret æqualitatem cum Deo, seu: pleno jure se Deo parem reputabat; *nihilominus* semetipsum exinanivit....

(2) *Vacuum se fecit,* intelligi posset etiam sensu absoluto: seipsum exinanivit, ut vertit Vulgata (*hij heeft zich zelven vernietigd)*, sed melius videtur intelligi sensu relativo: se vacuum fecit, np. ab illa μορφὴ θεοῦ, *(hij heeft zich zelven ontledigd, ontdaan van zijne goddelijke Onafhankelijkheid).* Nota enim oppositionem: cum esset in *forma Dei* exinanivit se *formam servi* accipiens: mens Pauli videtur esse revera: loco formæ Dei accepit formam servi: loco summæ suæ Independentiæ divinæ, assumpsit conditionem dependentiæ: dum antea erat independens nunc jam est dependens.

(3) In his sequimur exegesim traditionalem juxta quam hæc exinanitio est ipsa *Incarnatio.* Omittimus paucorum explicationem, quæ nullatenus textui convenire videtur, juxta quam exinanitio in hoc fuerit quod Christus, dum potuisset ut homo sibi eligere gloriosam conditionem, puta regiam, prætulit tamen servilem conditionem in humanitate recipere. Cfr. *Collat. Brug.*, t. X, p. 582, *nota* (2). Hanc tenuerunt VELASQUEZ, *In Epist. ad Philipp. commentarii* (Lugduni, 1628); CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum* (Gandavi, 1884, t. II, p. 76); LINGENS, in *Zeitschrift für kathol. Theologie* (1896, pp. 449 ss.). — Contra: NISIUS, *Zeitschrift.....* (1897, pp. 276 ss.).

(4) Paulus non dicit *cujusnam* servus factus fuerit; intendit enim unice ostendere Christum statum Independentiæ suæ pro statu dependentiæ mutasse. — Ast ex ipso contextu apparet quod Christus intelligatur servus *Dei,* puta in opere Redemptionis (cfr. v. 8 et 9, ubi pergit eadem idea quæ hic ponitur, et ubi etiam, non dicitur *cuinam* factus sit obediens, — dum tamen certo obebientia intelligenda sit præstita Patri in opere Redemptionis).

ficat *naturam humanam;* attamen dubium non est quin hæc connotetur, adeo ut *exinanitio* de qua loquitur Paulus per ipsam Incarnationem Verbi fuerit verificata: est enim humana natura ut omnis creatura respectu Dei tota servilis. Et revera ipse Paulus magis explicite determinat quanam ratione Christus formam servi acceperit (sub b/ et c/).

b/ **In similitudine hominum factus,** ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος: incipiens esse in similitudine hominum, seu assumens conditionem humanam, similis hominibus factus (1).

c/ **Habitu inventus ut homo,** σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος (2): in tota sua conditione externa, in forma corporis, in victu, gestu, sermone et actione, inventus est, agnitus est ut verus homo, et sic omnibus manifestum factum est quod assumpserat illam formam servi (3).

Hisce nondum complete exposuit Paulus exinanitionem Christi, et nunc, in v. 8, ostendit quomodo ulterius adhuc factus sit conditionis servilis, et non immerito suppleres mente hunc nexum cum præcedentibus: Ulterius adhuc exinanivit se, adhuc **humiliavit se,** quatenus, ut homo, **factus** est **obediens,** (quod est caracter et proprium servorum), obediens np. Deo Patri in opere

(1) Hisce verbis S. Paulus minime dicit Christum *apparenter* tantum fuisse hominem, minime docetismo indulget: id abunde apparet, non tantum ex omnibus aliis epistolis suis ubi absque dubio Christum ut verum hominem apprehendit (Gal. IV, 4; Rom. I, 3, etc.), sed et ex præsenti loco: etenim v. 8 s. dicit Christum mortem subiisse et per mortem illam sibi gloriam meruisse: unde veram naturam humanam habere debuit.

(2) Quidam (ita Prat, *o. c.*, p. 439 s.), forte non immerito, hæc verba jungunt cum seqq., et sic intelligi potest tota phrasis distinguendo quasi duplex momentum in exinanitione Christi: Dum erat in forma Dei, factus est in forma servi, assumens naturam humanam; dum autem omnibus apparebat ut Homo, adhuc abnegavit semetipsum et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

(3) Flandr.: *In gansch zijn uiterlijk werd hij bevonden een mensch te zijn.* — Iterum deest omnis docetismus. Cfr. *notam* (1). Revera Paulus volens exemplum Christi suis lectoribus proponere, merito insistit in eo quod omnes homines in eo animadvertere potuerant.

Redemptionis perficiendo; imo ad apicem usque factus est conditionis servilis: eousque enim factus est obediens ut etiam **mortem** subierit, imo ita assumpsit conditionem servorum ut etiam subierit illam mortem quæ servis infligi solet, **mortem** nempe **crucis** (1).

III. **Proponitur præclara gloria quam Christus ob abnegationem suam adeptus est** (9-11).

Propter quod, διὸ, propter illam abnegationem quam Paulus in præcedentibus (6-8) descripsit, **et Deus,** Deus vicissim, in mercedem np. et remunerationem, **exaltavit,** ὑπερύψωσεν, superexaltavit illum, illum evexit in summam sublimitatem. In quonam hæc exaltatio fuerit explicatur statim: **et** (quod habet sensum: *nimirum*), **dedit illi nomen** (2).

Nomen, τὸ ὄνομα, videtur designare *dignitatem* (3), quo sensu in Vetere et Novo Testamento sæpe occurrit, adeo ut sensus sit: Deus dedit Christo dignitatem super omnem dignitatem.

In quonam hæc dignitas sit statim explicat: Nimirum id præstitit Deus **ut in nomine Jesu, omne genu flectatur**: ubicumque nomen Jesu audiunt, (non quidem ob *vocem* ipsam et vocabulum, sed propter dignitatem Personæ illius quæ Jesus vocatur), omne genu flectatur: dignitatem Christi *adorent* omnes creaturæ, *omnes*

(1) Unde Paulus non videtur insistere in hoc quod Christus subierit mortem *tam acerbam*, vel quod *morte nos redemerit*, vel, quod factus sit obediens *usque ad finem vitæ suæ*: sed refert mortem Christi et mortem quidem crucis, ut ostendat quousque Christus seipsum exinaniverit a summa Majestate et independentia divina, seu quousque conditionem servi et summam dependentiam assumpserit.

(2) Cfr. hic locum parallelum: Ephes. I, 20.

(3) Non videtur designare ullum *nomen* determinatum, puta: *Jesus*, nam erat hoc nomen multis hominibus commune, et — ipse Christus illud nomen jam habebat per vitam suam, adeoque antequam ob obœdientiam suam fuerit exaltatus a Patre; — aut *Deus* aut *Filius*, nam hæc nomina nullibi innuuntur in textu; — aut tandem *Dominus*, κυρίος, nam *nomen* hoc non est omnium excellentissimum, quum multi illud ferre possint; cæteroquin si hoc nomen intenderetur ab Apostolo, nonne diceret: ut in nomine *Domini* omne genu flectatur?

sive quæ in cœlo, sive quæ in terris sive quæ sub terra sunt.

Demum quid hæc adoratio importet explicatur: et, id est: scilicet, **omnis lingua** (1), omnis creatura rationalis **confiteatur** (2) **quia Dominus** (est) **Jesus Christus**: agnoscant Christum ut Dominum, ipsius supremum dominium agnoscant.

Christus sane ratione unionis hypostaticæ, jam ante resurrectionem et ascensionem suam jam erat omnium Dominus et summe independens (3) illudque in vita sua mortali per miracula sua ostendit, ast per passionem et mortem suam meruit sibi supremum illud dominium, et ideo nunc qua homo super omnem creaturam est elevatus sedetque ad dexteram Patris, et dum antea eum ejusque dignitatem non agnoscebant, nunc contrà ipsum agnoscunt ipsiusque dominium confitentur, perfectissime autem agnoscent post judicium universale.

Hæc autem gloria Christi cedit **in gloriam** (εἰς δόξαν) **Dei Patris,** puta cum sit gloria Patris talem habere Filium, vel cum sit gloria Patris talem dare dignitatem Filio.

Scholion. Momentum doctrinale hujus loci quantum ad **Divinitatem Christi.** Licet, ut videtur, *naturam divinam Christi* Paulus non directe enuntiet, eam tamen *manifeste connotat et supponit.* Etenim nisi Deus esset et Patri æqualis in ipsa natura sua, immerito diceretur Christus esse in majestate et summa independentia divina, in iisque Patri æqualis. — Cæterum μορφὴ θεοῦ, si non directe significat ipsam naturam, nihilominus significat aliquid intimi et interni, distinctum ab ipsa apparentia et a sic dicta forma externa, sed conditionem cum natura arcte cohærentem et ab ea inseparabilem (4). — Tandem forma Dei opponitur

(1) Per anthropomorphismum *lingua,* sicut et *genu,* tribuitur etiam *spiritibus.*

(2) Confiteatur: ἐξομολογήσηται, *voluit bekennen, prijzend bekennen.*

(3) Cfr. II Cor., VIII, 6; X, 4; Col., I, 15.

(4) Cfr. Prat, *o. c.,* p. 442; Lightfoot, *Epistle to the Philippians* (London) (ed. 15), p. 127-133.

formæ servi: hæc autem certe in mente Pauli connotabat realitatem naturæ humanæ, unde idem parallelo modo dicendum est de forma Dei.

En ergo, in epistola tota paterna, quæ unice apparet scripta ob varia motiva ordinis practici: ut gratias agat pro eleemosyna, gaudium exprimat pro bonis nuntiis acceptis, hortetur quosdam ad majorem concordiam et ideo ad humilitatem et abnegationem sui, occurrit naturali et simplici omnino modo præclare expressum dogma Divinitatis Christi. Huic declarationi doctrinali nulla videtur adfuisse occasio controversiæ doctrinalis, sed simplici modo adducitur alta illa doctrina ad fulciendam exhortationem moralem ad concordiam et abnegationem. Veritas hæc non docetur quasi aliquid novi, sed supponitur ab omnibus lectoribus notum et admissum quod Christus fuerit Deus et Homo. Unde apparet quod hæc veritas debuerit pertinere ad primas et fundamentales veritates quas quivis christiani cognoscere debebant; item apparet quod Paulus hanc Divinitatem Christi jam docuerat Philippenses ante plures annos, in primo suo itinere apostolico, et inde cadit omnis theoria quæ circa hoc dogma fundamentale statuit, decursu ministerii sui, evolutionem substantialem locum habuisse apud Paulum.

A. Vander Heeren.

II

Q. *Indica præcipuas catholicorum sententias de modo quo ignis inferni cruciet animas separatas a corpore* (1).

R. 1. Quidam, quos memorat S. Thomas (2), dixerunt animam pati, quia ignem *videt;* alii, quia ut *nocivum* sibi apprehendit ignem. Utraque sententia est rejicienda cum S. Thoma: a/ quia sola visio vel cognitio ignis non

(1) Cf. Suarez, *De Angelis*, L. VIII, c. 14; Pesch, *Tractatus dogmatici*, Friburgi Br., 1899, t. IX, n. 662 ss.; Del Val, *Sacra theologia dogmatica*, Matriti, 1908, t. III, p. 670 ss.; Heinrich-Gutberlet, *Dogmatische Theologie*, Munster, 1904, t. VII, p 521 ss.; Bernard, ap. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Enfer*, col. 1387 ss.

(2) In IV, dist. 44, Q. 3, a. 3, sol. 3; *Supplementum Summæ*, q. 70, a. 3.

est mala, nec proinde dolorem vel tristitiam ingerens; b/ nec admitti potest animas apprehendere *ut nocivum* ignem qui reapse ipsis non nocet (1).

2. **S. Thomas** docet ignem realiter *nocere* animæ, et consequenter animam *tristitia* affici in voluntate: etenim ignis, ut Dei instrumentum, præternaturaliter *detinet* animam in determinato loco contra animæ naturalem appetitum quo vult esse libera ab omni extrinseco ligamine: inde anima hanc sui cognoscit violentam detentionem, hoc nocumentum, et consequenter tristitia afficitur interiori: « quæ quidem maxima est cum considerat [anima] se infimis rebus subdi quæ nata fuit Deo per fruitionem uniri » (2).

Licet non perspiciatur quo modo ignis detineat animam in loco, tamen S. Thomæ sententia admittendam censemus, quippe quæ sola, ut videtur, naturæ immateriali non contradicit et tristitiæ realis rationem reddit.

Scotus, ut videtur, docet animam ab igne cruciari ex hoc quod ignis, præsentia sua, in considerationem suam detinet animam definitive; nempe ignis, ut instrumentum Dei, efficit ut anima necessario ac perpetuo consideret ignem, tamquam locum in quo detinetur, et consequenter impeditur quominus libere consideret alia (3). Hæc sententia, quoad substantiam, non videtur diversa a S. Thomæ sententia. Nam Scotus etiam admittit ignem definitive detinere animam in loco, sed rationem tristitiæ ponit in apprehenso impedimento *considerationis intellectus*, potius quam in apprehenso impedimento liberi exercitii actionis in omni loco. S. Thomas admittit angelum tristari ex consideratione continua ignis alligantis, sed primam rationem tristitiæ invenit in hoc quod anima apprehendit se non posse

(1) L. c. præterea: *De Anima*, a. 21; *Summa*, 1, q. 64, a. 4, ad 3. Cf. Capreolus, in IV, dist. 44, Q. 4 (Ed. Turonibus, t. VII, p. 96 ss.).

(2) S. Thomas, *De animo*, art. 21. Cf. Billot, *De Novissimis*, Romæ, 1902, p. 82 ss.

(3) *Reportata Parisiensia*, L. IV, dist. 44, schol. II.

actionem exercere extra locum a quo detinetur ab igne: et hoc impedimentum est primum nocumentum quod animæ infert ignis et quod *præsupponitur* ad alia.

3. **Suarez** censet ignem, agentem ut Dei instrumentum, in animam separatam producere quamdam qualitatem spiritualem in suo ordine doloriferam, dolore utique pure spirituali, ac proinde tanto majore, quanto spiritualia superant materialia (1).

Impossibilis autem nobis videtur qualitas mere *spiritualis* quæ esset in suo ordine *dolorifera*. Anima ipsa neque lædi neque corrumpi potest per aliquod accidens spirituale.

4. **Lessius** (2) censet animam separatam posse ab ipso igne affligi *sensibiliter* quia in anima remanent in radice facultates sensitivæ: ideoque sicut anima naturaliter dolorem sensibilem ex igne patitur quando unitur materiæ, ita eumdem dolorem ab igne pati potest quando separata est a corpore, dummodo ignis agat præternaturaliter, ut instrumentum Dei.

Hæc opinio etiam rejicienda videtur: nam in anima separata nulla remanet facultas sensitiva (3): hæc enim est potentia operativa *compositi* humani: quo dissoluto, simpliciter perit capacitas sentiendi. Nec objicias remanere *radicitus* in anima facultates sensitivas: hoc nihil aliud importat quam quod anima, quæ et quatenus unitur materiæ, constituit facultates sensitivas *in composito;* id quod dicitur radix facultatis sensitivæ in anima non est facultas capax agendi aut patiendi.

Præterea hæc opinio non applicaretur dæmonibus, quibus tamen paratus est ignis infernalis.

5. **Fr. Schmid** (4) censet non repugnare animæ

(1) *O. c.*, l. c. n. 41.

(2) *De divinis perfectionibus*, L. XIII, c. 30, n. 218 ss.

(3) Cf. S. Thomas, 1, q. 87, a. 8; *Collat. Brug.*, suprà, p. 23, 101.

(4) *Quæstiones selectæ*, Paderbornæ, 1891, Q. III, cit. a Pesch, *o. c.*, n. 665: « Num absolute impossibile dicere poterimus ut talis spiritus per extraordinarium influxum divinæ omnipotentiæ contra naturalem

separatæ et etiam spiritui puro *dolorem sensibilem* causari ab igne, agente ut instrumento Dei: censet nempe corpus posse agere in spiritum quia spiritus potest movere corpus.

Hæc sententia rejicienda videtur quia omnino impossibile censemus perceptionem *sensibilem* vel actum appetitus *sensibilis* inveniri in anima separata vel spiritu puro: his non inest nisi *rationalis* appetitus, seu voluntas, in quo tristitia esse potest, non vero sensibilis dolor.

6. **Gutberlet** (1) postquam refutavit sententiam a Schell propugnatam (2), opinionem proponit qua conatur ostendere possibilem esse *dolore sensibili* animam ab igne affici: censet nempe ignem animæ imprimere diversos ac inordinatos motus, quos anima percipit et exinde dolet: illustratur hæc opinio exemplo doloris sensibilis (vel displicentiæ) quo afficitur homo ex *dissonantia:* hanc displicentiam ex dissonantia provenientem, quæ certo intensa esse potest, explicant quidam ex *diversitate* motus quo anima sentiens a sonibus dissonis afficitur et quasi contrariatur in exercitio activitatis.

Contra hanc sententiam etiam valet principium, quod videtur ineluctabile, nempe nullum sensationis actum, nullamque sensibilem passionem fieri posse in *sola* anima: de *essentia* enim sensibilis actionis et passionis est ut eliciatur a *composito principio*, ab anima corpori unita vel a corpore animato.

J. Van der Meersch.

---

tendentiam naturæ suæ, sive secundum potentiam obedientialem, dolorem pati possit, qui nequaquam rationem tristitiæ sive doloris [pure] rationalis habet, sed vere sensibilis simulque in eo genere intensissimus est et per consequens cum dolore adustionis, qui inter dolores sensibiles animalis omnium vehementissimus esse censetur, genericam identitatem aut saltem maximam similitudinem præ se fert? »

(1) *O. c.*, p. 528-542.

(2) Nomine inferni designari censet Schell statum inordinatum, perturbatum materiæ, quæ velut chaos erit; anima porro torquetur quatenus hoc chaos cognoscit et intuetur tamquam horribilem imaginem propriæ inordinationis ex peccatis provenientis. Cit. a Gutberlet, *o. c.*, p. 526 s.

III

Q. *Theoretice dijudica gravitatem actuum inconsummatorum luxuriæ a* sponsis *inter se admissorum.*

R. Actus non consummati luxuriæ sunt, proprie loquendo, aspectus et tactus, oscula et amplexus aliquam aptitudinem habentia ad excitationem carnis, et *in quibus quæritur vel voluntarie admittitur delectatio venerea illicita.*

Principium enim in tota quæstione inconsummatorum tenendum sequens est: *ex fine operantis libidinoso,* ubicumque agentes ad delectationem veneream jus nullum habent, fiunt prædicti actus et ipsi libidinosi, seu fiunt actus inconsummati luxuriæ; et hoc capite sunt semper mortales. Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 240 s.; t. XIII, p. 406 s. (1).

Potest sane aliquis tactus et oscula admittere ob varia alia motiva: puta ob medicationem vel amicitiam, ob delectationem sensibilem vel vanam curiositatem, ob jocum vel levitatem etc.; et hæc possunt quidem esse peccaminosa, venialiter vel mortaliter, ratione finis intenti vel periculi prævisi et ita porro; non tamen sunt actus inconsummati luxuriæ (2).

Quæstio ergo nostra de sponsis huc *primum* redit: an sponsi, relate ad incompletam delectationem veneream quæ est propria istis actibus, jus aliquod habeant, ita ut illam fine operantis intendere vel saltem semel ortam voluntarie admittere possint? Dein attingendum est *secundum* quoddam punctum: utrum ulterius tales

(1) Loquimur de casu in quo agentes usque ad actum consummatum, sive juxta sive contra naturam, non deliberate procedunt; secus enim actus non consummati, in eodem passionis impetu admissi, non nisi partem unius peccati consummati constituunt.

(2) Ex his capitibus possent vocari actus male sonantes, qui proinde indigent, ad justificationem, compensatione proportionata. In certis tamen casibus nunquam justificari possunt; v. g. quando præbent proximum periculum progrediendi ad ulteriora peccata mortalia.

actus sponsis non sint peccaminosi ratione periculi proximi vel effectuum physicorum aut aliarum circumstantiarum.

A/ Jamvero, de hoc jure sponsorum non una eademque fuit semper auctorum sententia.

Aliqui enim, præsertim ex antiquioribus theologis, ut Cajetanus et Sanchez (1), contra doctrinam longe communiorem asseruerunt delectationem veneream incompletam aliquorum saltem actuum, etiamsi admittatur inter sponsos vel intendatur, peccatum veniale tantum præ se ferre.

Argumentum eorum sequens erat: Sponsalia sunt inchoatio matrimonii, quod dat jus ad copulam et voluptatem veneream perfectam. Ergo sponsalia dant jus ad voluptatem inchoatam seu imperfectam, et proinde illam intendere possunt sponsi « secundum indulgentiam tamen, qua venialia conceduntur » (2).

Huic opinioni calculum non adjicimus. Nam, præterquam quod sententia fere communis doctorum affirmat nullam dari parvitatem materiæ in actibus in quibus intenditur voluptas venerea, nisi inter solos conjuges: argumentum Cajetani et Sanchez, si valeret, ostenderet sponsos inter se nullum omnino peccatum admittere (nisi utique ratione periculi etc., quod nunc est extra quæstionem), eisque non tantum aliquos non ita turpes, sed omnes actus inconsummatos licere, cum intentione voluptatis venereæ incompletæ (3).

---

(1) CAJETANUS, in quæst. 154, a. 4. — SANCHEZ, *De Matr.*, l. IX, disp. 46, præsertim n^is 48 et 55. Primus non valde asseveranter loquitur; alter autem fuse sententiam suam stabilire conatur, et notandum est ipsum in genere parvitatem materiæ admittere relate ad infimum gradum voluptatis venereæ etiam intentæ. Sponsis autem permittit aliquos actus inconsummatos vere libidinosos (seu ex intentione delectationis venereæ), non omnino turpes, sed tales tamen quos apud solutos mortales esse judicat; concedit hæc sponsis, dico, sub culpa tamen veniali.

(2) Cf. Ill^mum ac Reverend^mum WAFFELAERT, *De Prudentia, Fortitudine et Temperantia*, p. 311; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 249 s. Hæc ultima verba sunt Cajetani, quocum concordat Sanchez.

(3) Reitatem istam venialem videntur ambo hausisse ex verbis S. Tho-

Præterea, consequentia eorum argumenti non videtur stringens: siquidem sponsalia sunt initium matrimonii, dant utique jus inchoatum, seu jus remotum, in actu primo, ad copulam consummatam et voluptatem perfectam, sed nullum sponsis præbent jus proximum ad quamlibet voluptatem veneream: aliis verbis, non eo sensu sponsalia sunt initium matrimonii quod tribuant sponsis facultatem sibi mutuo tradendi actualem usum corporis, utut initialem tantùm, in ordine ad fruendum voluptate actuum inconsummatorum. Sponsorum promissio mutua, non secus ac alii contractus de futuro, nullum expeditum jus secum fert fruendi jam ex nunc parte rei promissæ.

Quod adhuc penitiori modo ostendi potest, argumentando ex ipsis principiis a Cajetano et Sanchez admissis: etenim, cum secundum ipsos actus non consummati quicumque, prout adnexam sibi habent delectationem veneream, sint natura sua inchoatio copulæ, sequitur quod inchoatio ista, apud sponsos, non sit copulæ de futuro, sed revera copulæ de præsenti; nunc enim inchoatur copula.

Qui ergo de his hic et nunc veneree delectatur, admittit hic et nunc finem operis eorum, scil. ipsam copulam (in affectu saltem et complacentia); ergo sponsi, non secus ac omnino soluti, absque gravi peccato non possunt voluptatem inconsummatam intendere aut admittere; nec enim ipsis licet nunc inchoare quod nunc non licet perficere (1).

---

mæ suo modo intellectis, in 2ª 2ᵃᵉ, q. 154, a. 2, ad 6ᵘᵐ, ubi dicit Angelicus: « nec tamen fornicatio est minimum peccatorum quæ sub luxuria continentur; minus est enim concubitus cum uxore qui fit ex libidine ». Intellexerint nempe non concubitum venialiter inordinatum ex hoc quod sola voluptas a conjugibus intenditur sensu exclusivo, sed omnem quamcumque copulam conjugalem ad quam allicit voluptas, etiam concomitanter cum optimo fine; et hanc venialem culpam a pari vel a fortiori imputaverint sponsis voluptatem veneream incompletam intendentibus.

(1) Tutius hic ducimus ad propositionem damnatam ab Alexandro VII

Hoc ergo primum punctum sic *concludimus:* ubicumque finis delectationis venereæ vere adest, sive solus, sive concomitanter cum fine alio, inde fiunt tactus, aspectus et oscula inter sponsos admissa actus non consummati luxuriæ, in quibus parvitas materiæ non datur (1).

B/ Nunc autem indagandum venit quomodo ex aliis capitibus moralitas istorum actuum dijudicanda sit, nempe (deficiente forsan fine venereo) ex fine quem de facto prosequitur agens, et præterea ex variis circumstantiis ex quibus frequentissime, etiam pro sponsis, malitia sive mortalis sive venialis operi adjungitur.

Jamvero: 1°/ Ad *finem* quod attinet, nemo non videt sponsis prostare rationem sufficientem seu finem honestum ad aliquos saltem actus, uti amplexus et tactus ponendos qui solutis pari modo non licent. Hæc ratio seu finis honestus agendi est amor sponsalitius quem licite fovere possunt, et ad quem proinde fovendum per se ipsis licent tactus, aspectus et oscula quæ ad hoc vere conducunt.

Talis ratio solutis non similiter prostat. Nec enim motivum v. g. urbanitatis nec vinculum sanguinis eo tendunt aut sufficiunt ut personæ diversi sexus tam intime ad invicem conversentur ac sponsi. Cum ergo solutis desit motivum sufficiens ad talia signa amicitiæ, eo ipso taliter agentes convincerentur agere propter libidinem. Objiciat quis possibile esse ut de facto nihil aliud intendant soluti quam puram ostensionem benevolentiæ, aut sensibilem delectationem, aut jocum, aut

---

non appellare (cfr. Ill^mum ac Rever^mum WAFFELAERT, *l. c.*, p. 301) quippe quæ necessario exceptiones subaudit, ex principiis generalibus apponendas, adeoque quæstionem nostram non dirimit.

(1) Nec requiritur ut explicite finem illum libidinosum sibi præfiniat agens. Nam jam sufficit, ut monuimus, delectationem ortam deliberate admittere; deinde sufficit pariter, ut mox videbimus, ut revera motivo voluptatis venereæ moveatur quis, etsi forsitan alium finem agendi prætextet.

satisfactionem curiositatis vel levitatis. Sed respondetur hoc esse theoretice possibile; practice autem, ubi soluti more sponsorum ad invicem conversantur, prædictos fines benevolentiæ et hujusmodi non esse ut plurimum nisi puros prætextus, finemque voluptatis venereæ fere semper actibus istis subesse principalem vel saltem concomitantem (1).

Aliter autem dicenduin de sponsis, quippe qui sufficientem rationem agendi habent, modo talia agant quæ revera ad finem suum honestum conducunt.

Ita: « Manifestum est, quantum ad oscula et tactus (et a fortiori quantum ad aspectus) circa partes honestas, sponsis adesse causam, nempe benevolentiæ, familiaritatis, ubi solutis non adesset: unde et delectationem mere sensibilem admittere, imo intendere possunt sine peccato; si vero solam intendant, peccant venialiter ».

« Quod tandem aspectus et tactus, non vero oscula, circa partes minus honestas attinet.... Distinguimus illos aspectus et tactus, qui reipsa ad aliquam benevolentiam ostendendam adhuc prodesse possunt, et externe non facerent necessario præsumere affectum luxuriæ, puta aspectus brachiorum vel scapularum, aut tactus eorumdem sicut et pedis vel genu, v. g. sedentis, supra vestes, et non morosos ac repetitos; et de illis diceremus ut in præcedentibus. Quæcumque vero

(1) Ita sane res de facto procedunt, generatim loquendo. Si tamen in aliquo casu jocus, vel levitas, vel sensibilis tantum delectatio, vel vana curiositas unice moverent agentes, nulla intenta neque voluntarie admissa delectatione venerea, tunc essent prædicti actus, etiam inter solutos, peccata ex hoc capite (ex fine) venialia tantum. Sed iidem amplexus etc., — quod bene adverte, — adhuc ex aliis capitibus frequenter mortales essent, nempe ex periculo proximo et aliis circumstantiis, uti mox dicemus de ipsis sponsis, adeo ut eis persæpe applicanda foret monitio tradita a Berardi, *Theologia Moralis*, vol. II, n° 790; « Hypothesis quod 1° vere de sola curiositate (idem dic de aliis finibus quos enuntiavimus præter libidinem) agatur et non de fine libidinoso; quod 2° res ista graviter et proxime ad vehementes motus carnales ipsamque pollutionem non disponat; quod 3° grave periculum consensus non suboriatur; quod 4° consequentiæ funestissimæ timendæ non sint; quod denique 5° grave scandalum non subsistat: hæc, inquam, hypothesis potius speculativa quam practica esse potest ».

hos limites transcenderent, et ab omnibus non benevolentiæ vel teneritudinis cujusdam sed luxuriæ signa haberentur, ad impudica referenda putaremus » (1).

Inde deducitur omnes aspectus et tactus liberiores prædictis, circa partes minus honestas et turpes, et oscula omnia circa easdem (non secus ac osculum quod datur lingua in os introducta) ad actus inconsummatos luxuriæ referri debere, et proinde ut gravia peccata imputari. Quod utique ut regula generalis intelligendum est. Etenim, cum in casu deficiat honesta et sufficiens ratio talia agendi (sunt enim illa signa et pignora amoris conjugalis seu sexualis, non vero sponsalitii), vera hinc, etsi forsan non explicita ratio motiva erit ut plerumque libido, aliquando sola, aliquando concomitans aliam, ut jam superius monuimus (2).

2°/ Remanet adhuc breviter dicendum de *circumstantiis* quæ per accidens, sed sane frequenter, actibus sponsorum per se licitis malitiam sive gravem, sive levem adjungere possunt (præscindendo nunc ab intentione venerea quacumque, et a variis actibus internis delectationis morosæ, desiderii etc. qui actus inconsummatos sæpe præcedunt et provocant).

Applicatio principiorum generalium nullam heic præbet difficultatem. Sic:

a/ *Gravia* peccata constituunt prædicti actus, si sponsis proximum periculum præbent consentiendi in delectationem veneream suborituram, aut progrediendi ad alia peccata externa vel interna.

---

(1) Illmum ac Revermum WAFFELAERT, *l. c.*, p. 310-312. Adverte Illmum auctorem sola signa benevolentiæ in prima citatione expressa quibusvis permittere nupturientibus; reliqua solis vere sponsis.

(2) Possibile sane remanet ut sponsi liberiores ad invicem sese præbeant sine ulla intentione delectationis venereæ, et recusato consensu si delectatio ipsa oriatur; sed de facto aliter contingit in plerisque casibus.

Sed bene adverte sponsos non ita raro immunes esse si non a toto, saltem a tanto, ex bona scilicet fide qua sat multi putant sibi non prohiberi, vel non sub gravi, intentio vel admissio delectationis venereæ incompletæ, modo in hac sistant.

b/ *Gravia* peccata pariter existunt, si sunt causa per se pollutionis; ratio enim sponsalium non est sufficiens ad gravitatem istius effectus physice mali compensandam. Ceterum, actus non consummati qui per se provocant pollutionem sunt jam de genere eorum quos liberiores et sponsis plerumque prohibitos vocavimus, utpote luxuriosos.

c/ Tandem, *graves* sunt ratione scandali actus sponsi qui compartem scienter exponit proximo periculo peccandi mortaliter, absque sufficienti ratione (a fortiori si intendat ipsius lapsum aut excitationem libidinis). Item ratione cooperationis, si absque motivo sufficienti, comparti ad peccatum parato se præbeat adjutorem. Jamvero, ibi tantum, regula generali, deest ratio seu motivum sufficiens, ubi limites in corpore articuli definitos transgrediuntur agentes; scilicet ubi liberiores et libidinosi actus ab uno ponuntur, et eosdem patitur alter.

d/ *Veniales* autem erunt actus de quibus loquimur, si, extra omnes hypotheses præcedentes, ob solam delectationem sensibilem, sensu exclusivo, exercentur; vel si in raro casu contingat eos, etsi liberiores, admitti ob solum jocum, levitatem, aut curiositatem. Quod si nulla ex omnibus hucusque expositis malitiæ radicibus inveniatur, boni et honesti erunt aspectus et tactus inter sponsos. Non autem oportet hic verbum facere de culpa veniali proveniente sive ex periculo remoto peccandi aut consentiendi sive scandalizandi; nam ratio sufficiens et honesta agendi impedit hanc maculam; idem dic de effectu tum pollutionis per accidens sequentis, tum commotionis aut distillationis etiam per se (1).

(1) In præsenti articulo, quosdam actus prætermisimus qui non proprie actus inconsummati, sed actus ipsis affines sunt: ut cantus et sermones pravi inter sponsos, gestus obscæni, epistolæ turpes, choreæ etc. Quæstio de gravitate theoretica illorum ab iisdem principiis pendet ac ea quam nunc resolvimus: scilicet a fine operantis (cujus signum ordinarie præbent ipsa natura et modus admissi actus, prout nempe ratio sponsalium sufficit necne ad hoc permittendum); deinde a periculo proximo, ab effectibus physicis sequi natis, a scandalo et cooperatione.

IV

Q. *Practice determina modum agendi confessarii cum procantibus, relate ad materiam de sexto.*

R. Ut hæc responsio applicatio directa sit præcedentis, in specie loquemur de munere confessarii relate ad sponsos actus inconsummatos inter se admittentes; eædem autem regulæ *generales* applicandæ sunt, ubi de consummatis agitur.

Uti diximus in quæstione theoretica, multiplici capite mortales esse possunt prædicti actus inter procantes; et revera, nemo est qui munere confessarii per aliquod tempus functus fuerit, quin optime sciat nupturientes multa variæ speciei peccata contra sextum admittere, præsertim vero plebeos.

Si enim ex una parte, prout stabilivimus, ipsis de se liceant *certi* tactus, aspectus et amplexus, ad amorem sponsalitium augendum et fovendum, ex alia parte ille ipse amor mutuus ejusque manifestationes, dein spes seu propinquitas matrimonii, tum passio naturalis libidinis, tandemque sæpe mores ipsi vigentes fomentum maximum sponsis præbent et occasionem lugendam ruinæ spiritualis. Et revera:

a/ Multi jam nupturientes ad actus non consummatos procedunt ex vera intentione capessendæ voluptatis venereæ, sive partialis, sive etiam totalis, scilicet perveniendi ad copulam sive ad pollutionem. (In hoc ultimo casu, si de facto hucusque progrediuntur, actus non consummati prævii non erunt nisi pars unius peccati luxuriæ consummatæ). Intentio eorum libidinosa confessario plerumque patebit ex hoc quod liberiora tactus et oscula admiserint, vel perrexerint usque ad consummatam voluptatem. Vide supra.

b/ Præterea, actus non consummati, etsi forsan non ex libidine positi, frequentissime tamen constituunt sponsis periculum proximum consentiendi in delectationem veneream oriundam, aut progrediendi ad ulte-

riora peccata interna aut externa: quod utique experientia ipsorum constare debet, et facile invenietur interrogando (1).

c/ Deinde, peccatum grave quandoque committunt, inde quod causam *per se* ponant pollutionis, ex impudicis aspectibus, tactibus sive osculis secuturæ. Iterum experientia norunt illud, et sic effectus prævisus ipsis imputatur.

d/ Tandem, valde frequens est scandalum, etiam intentum et directum, præsertim a parte juvenis; a parte puellæ, frequens est cooperatio illicita.

Quæ cum ita sint, quænam normæ agendi præ oculis confessario habendæ sint?

Summa rei sic breviter enuntiari posse videtur: quâ judex et medicus, debet confessarius ante omnia causam rei cognoscere, scilicet: prius pervenire pro posse ad integritatem materialem, et deinde ipsum statum detegere pœnitentis, utrum nempe occasionarius sit, vel et consuetudinarius et recidivus, ita ut remedia et hortamina apta proponere possit; et tunc, hisce peractis, judicare debet utrum necne nupturiens sit absolutione dignus.

A/ Jamvero quoad *integritatem materialem* procurandam, nulla est specialis difficultas: vel enim ipsa declaratio pœnitentis sufficienter patefaciet utrum necne — et ex quonam capite — reitas inconsummatorum admissa fuerit, vel supplebit confessarius interrogando. Hoc solum attendat ut bonam fidem pœnitentis, quam diximus quandoque existere relate ad nostram materiam (cum ultra inconsummatos actus non progreditur) non cito disturbet *absque ulla spe fructus;* potius generali quadam formula utatur in tali casu, suadendo ut nuptu-

(1) Notandum tamen est ipsos ratione periculi proximi non peccasse, si ad illud *non attenderint;* præterea, ut in responsione præcedenti jam monuimus, eos in tota hac materia inconsummatorum, modo in his sistant, nonnunquam bona fine excusari, saltem a tanto.

rientes ab his abstineant, et ostendendo eis periculum progrediendi semper timendum.

Quod autem *statum rei* attinet: ipsa iterum confessione, interrogationibus aptis adjuta, patebit in quonam statu reus versetur.

Et primo: Si procatio ordinarie honeste fiat (ut sæpe in honestis familiis), non est occasio proxima peccati; et proinde nihil speciatim injungendum a confessario. Imo si ipsi aliquando talem pœnitentem in statu scrupulositatis degere manifestum sit, propter anxietatem in qua versatur v. g. circa effectum pollutionis per accidens secutæ, vel circa commotionem carnalem conjunctam cum delectatione quam sentiit sed cui non consentiit, doceat illum sacerdos talia in casu nullatenus peccaminosa esse. Talibus ergo statim concedenda est absolutio, prævia facta exhortatione ad magnam prudentiam et solidam pietatem.

Secundo: si contra conversatio sponsorum ad invicem plerumque liberior sit et graviter mala, signum est quod versantur in *occasione proxima*. Hæc quidem occasio est *necessaria,* siquidem, ut supponimus, procatio instituitur intuitu et spe matrimonii; ubi autem ob levitatem et passionem tantum relationes mutuæ locum habent, vide notam ad calcem articuli (1).

Cum necessaria sit talis occasio peccati, non est quidem injungenda separatio sponsorum, quippe qui rationem habent ad invicem commeandi; sed omnibus quibus par est viribus conari debet confessarius ut de proximo remotum fiat periculum peccandi. Facile autem deteguntur circumstantiæ peccatis faventes: scilicet visitationes forsan nimis frequentes vel nimis protractæ, *præsertim* conversationes in loco solitario vel secreto vel tempore vespertino institutæ; aliquando compota-

(1) Monet heic Genicot, *Theol. Mor.*, I, nº 411, confessario non standum esse soli affirmationi pœnitentis, asserentis se matrimonium intendere; sed intuitum et spem matrimonii ipsi prudenter deducenda esse etiam ex utriusque procantis conditione aliisque adjunctis.

tiones et choreæ et alia hujusmodi. Ad radicem ergo mali securis ponatur; pœnitentibus nempe injungendum est, sub pœna denegatæ absolutionis, ut illas præcise mutent vel vitent circumstantias sine quibus non peccavissent (1).

Sponsæ in specie imponat confessarius ut illis lascivis resistat tactibus, aspectibus et osculis sponsi quæ vidimus plerumque ex animo libidinoso provenire: et hoc quidem imponat non tantum ratione cooperationis, sed etiam ne ipsa sponsa se in proximum periculum injiciat, et ne via sternatur ad alia peccata adhuc majora. Utrumque vero nupturientem moneat confessarius ut matrimonium, quantum possunt, festinare satagant; et utrique proponat tum vivida motiva contritionis, tumque media spiritualia, scilicet assiduam orationem et præsertim frequentem confessionem et communionem, quibus neglectis, experientia constat sæpissime deesse gratiam efficacem et robur necessarium ad elongandum periculum peccati.

B/ Hisce peractis, judicandum est confessario utrum necne absolutione dignus sit pœnitens.

De facto, facile promittunt sponsi se media imposita adhibituros. Si non sint recidivi, nullam ordinarie habet confessarius rationem dubitandi de eorum veracitate et bona dispositione actuali (2). Tunc ergo absolvendi sunt absque conditione.

---

(1) Quid autem si respondeant nupturientes se jam sola præsentia ad invicem vel solis licitis signis benevolentiæ tanta libidine æstuare ut hæc sint jam periculum proximum peccati interni, imo proximum periculum progrediendi ad ulteriora?

Respondeat confessarius illos *revera posse* istam occasionem remotam facere, adhibendo tum media spiritualia, tum strictas cautiones, maxime autem ne *soli* maneant tempore sponsalis visitationis. Quod ultimum tali casu sane injungendum est, nec est remedium nimis durum aut extraordinarium, cum in honestis familiis res fere semper ita procedat. Simul instanter moneantur dicti sponsi ut quampridem matrimonii sacramentum recipiant.

(2) Non specialiter loquendum est de casu quo nupturiens nolit assumere media a confessario ut necessaria imposita, vel quo aliter, sed

Si autem, ut frequenter fit, sint recidivi, bona eorum dispositio atque veracitas præsens sat facile dubia fit, ex hoc quod jam pluries absque ulla emendatione ad confessionem redierint. Etenim maxime judicandum est confessario secundum conamina quæ pœnitens fecit primis saltem diebus seu primis vicibus post ultimam confessionem: aliis verbis videndum est utrum necne remedia tunc imposita partialiter saltem adhibuerit. Si affirmative, nihil impedit moralem certitudinem de ejus actuali bona dispositione, dum bonum propositum iterum renovat. Si autem negative, post aliquot tales confessiones utrinque dubia fit dispositio pœnitentis, adeoque ipsi non potest, manente dubio, absolutio concedi nisi ob causam gravem, et quidem sub conditione. Illa vero causa gravis ordinarie existit, scilicet timor fundatus ne sponsi diu abstineant a sacramentis, aut infamentur ad alterutrum vel apud populum; aut adhuc ne certo indigne recipiant sacramentum matrimonii, etc. (1).

Notandum est ex una parte quod, quo magis dubia sit bona dispositio, eo major requiratur ratio ad absolvendum; sed ex alia parte, cum istud judicium circa dispositionem pœnitentis non sit efformandum nisi post omnia remedia proposita et hortamina data, ordinarie dubium in hoc ultimo momento jam solutum est in favorem rei, sive quod ipse spontanee dederit specialia contritionis signa, sive quod zelosa opera confessarii eum ad verum dolorem et propositum perduxerit (2).

---

moraliter certo, post omnia hortamina se indispositum ostendit: tunc enim absque dubio absolutione privandus est, sed paterne semper et addita ratione.

(1) In confessione quæ immediate matrimonium præcedit facilius invenitur nupturiens bene dispositus, etiamsi in anterioribus semper relapsus fuerit; etenim pleraque quæ ipsi antea illicita erant fient illi statim licita; unde propositum firmum vitandi mortalia, saltem sub ductu confessarii, facile concipiet, et jam sine conditione poterit absolvi.

(2) De munere confessarii circa actus inconsummatos plura adhuc habent *Collat. Brug.*, t XV, p. 144 s.

Conclusio ergo erit: ordinarie absolutio concedi potest procantibus emendationem et adimpletionem impositorum serio promittentibus, cum in occasione necessaria versentur (1) magisque ex fragilitate quam ex malitia delinquant.

E. Hosten.

V

Q. *Racontez brièvement comment la souveraineté temporelle des papes devint définitive et tout à fait indépendante sous Etienne II, grâce à Pépin le Bref.*

R. Dans nos réponses précédentes nous avons indiqué comment, déjà bien avant Etienne II (752-757) et surtout sous le pontificat pacificateur de Zacharie, s'était formé à Rome même et avant toute intervention étrangère le premier noyau d'un État nouveau, au sein duquel le pape règne sans autre titre que son dévoue-

(1) Hæc conclusio valet de sponsis ad invicem conversantibus intuitu matrimonii mox contrahendi.

Quod autem spectat procantes ex mera animi levitate et lascivia, absque ulla determinata intentione nubendi, severius est procedendum. Nimirum: statim ac constat procationem ipsis inducere proximam occasionem peccati mortalis, prorsus et immisericorditer injungenda est relationum abruptio, siquidem in occasione libera versantur hujusmodi; ac regulariter deneganda foret absolutio recidivis, saltem in modum medicinalis denegationis, ad hoc scilicet ut efficacius urgeantur ad occasionem deserendam. Talibus enim indulgentia nocet, severitas prodest; experientia autem constat confessarios in hisce indulgentia magis excedere quam severitate. Utinam omnes, cum hujusmodi pœnitentibus, sententiam S. Alphonsi applicarent (*Prax. Conf.*, n. 65): « Ubi agitur de periculo peccati formalis et præcise peccati turpis, confessarius, quanto magis rigorem cum pœnitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit; et contra, tanto magis cum illo immanis erit quanto magis benignus erit in permittendo ut ille in occasione maneat aut se immittat »!

Quodsi tandem procantes intendunt matrimonium, sed ob varia adjuncta illud diu differendum prævident, tunc sane mitius est procedendum. Nimirum imponenda non est omnis conversationis abruptio, licet proxima forsan sit occasio peccati; sed urgenda sunt remedia quibus occasio remota reddatur; et speciatim insistendum est in minuenda visitationum frequentia, proportione servata ad nuptiarum distantiam.

ment, sans autre appui que sa popularité (1). Mais ces heureux débuts du gouvernement temporel sous le pape Zacharie furent suivis d'une crise violente qui sembla d'abord devoir en arrêter le développement; cette crise cependant amena au contraira, outre un accroissement de territoire, la reconnaissance juridique, officielle et définitive de l'autorité des pontifes de Rome, et transforma en institution de droit international public, ce qui n'avait été jusque-là qu'une situation de fait. Dans cette réponse nous avons à exposer les étapes de cette crise et le résultat qu'elle amena.

1. Situation du duché de Rome à l'avènement d'Etienne II.

En 750 le roi lombard Astolf envahit à nouveau les possessions byzantines, si mal défendues par l'empereur, il s'empara sans difficultés des positions impériales entre le Pò, l'Adriatique et l'Appennin; en 751, il était installé dans le palais des exarques à Ravenne. Le duché de Rome semblait d'abord devoir échapper à ses convoitises, grâce à la trève conclue avec les Lombards par le pape Zacharie; mais devenu maître de Ravenne, Astolf s'avisa d'exiger des habitants de Rome l'obéissance et le tribut qu'ils devaient naguère aux exarques byzantins. Le pape Etienne II nouvellement élu (752) députa en vain deux abbés lombards pour rappeler leur maitre au respect des traités jurés; le roi les reçut avec insolence, leur intimant l'ordre de regagner leur monastère, sans aller à Rome rendre compte au pape de leur mission. Une nouvelle mission com-

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, supra, p. 412 et p. 465 ainsi que la bibliographie citée à ces endroits. Voir surtout pour cette réponse DUCHESNE, *Les premiers temps de l'Etat pontifical*, Paris 1898, p. 16 à 37. Mgr Duchesne, que les auteurs récents suivent en cette question, s'en réfère surtout au *Liber Pontificalis* qu'il a publié; il ne néglige pas cependant les sources d'origine franque: des renseignements lui sont notamment fournis par le *Codex Carolinus*, publié dans les *Monumenta Germaniæ historica*, série *Epistolæ*, t. III, p. 469 ss. et qui contient la correspondance entre les papes et les rois francs, relative aux événements que nous racontons.

posée d'un envoyé de l'empereur et du diacre Paul, frère du pape, fut tout aussi inefficace; Etienne II notifia alors nettement à l'empereur qu'il eut à prendre, pour arrêter l'insolence des barbares, le seul moyen efficace, l'envoi d'une armée. Mais l'armée impériale ne venant pas, la consternation à Rome devint de plus en plus grande et se transforma en une véritable panique (1). C'est dans ces circonstances que le pape tourna ses regards vers les Francs.

2. Négociations diplomatiques avec les Francs.

Déjà Grégoire III († 741) avait fait appel aux Francs; mais il n'avait obtenu aucun secours; Charles Martel n'avait pas voulu pas se brouiller avec les Lombards. Depuis lors cependant s'était produit un fait, qui rattacha pour toujours les Francs à la cause romaine et eut des suites très importantes pour la souveraineté temporelle des papes. En 751 le pape Zacharie, interpellé par la nation franque et préparé peut-être par saint Boniface, avait confirmé de sa haute autorité la substitution de la famille des austrasiens à l'ancienne famille royale (2). C'était là un service inappréciable pour la nouvelle dynastie, un service encore tout récent quand les événements mirent le pape Etienne dans la nécessité de s'en prévaloir.

Aussi bien Pépin fit bon accueil aux ouvertures du pape: il lui envoya aussitôt une ambassade pour l'inviter à se rendre en France; mais presque en même temps que les envoyés de Pépin survint à Rome une ambassade byzantine. Celle-ci avait pour mission non point d'annoncer l'arrivée prochaine de l'armée tant désirée, mais de supplier encore une fois Etienne II de vouloir bien intervenir au nom de l'empereur auprès d'Astolf,

(1) L'état d'agitation regnant alors à Rome nous est révélé par le *Liber Pontificalis*, I, 442: « Atrocissimus rex (Astolf)..... fremens ut leo, pestiferas minas Romanis dirigere non desinebat, asserens omnes uno gladio jugulari ». Cfr. MOURRET, *L'Eglise et le Monde barbare*, Paris 1908, p. 293.

(2) Voir MOURRET, *o. c.*, p. 294.

pour obtenir de lui la restitution de Ravenne et des villes qui en dépendaient. Le pape obéit, faisant un dernier acte de soumission envers le souverain légitime, incapable de prendre la défense de ses sujets. Il quitta Rome pour Pavie le 14 octobre 753; mais, comme il l'avait prévu, son intervention fut inutile: Astolf demeura inflexible et l'ambassade byzantine dut s'en retourner à Constantinople les mains vides, tandis que le pape, continuant son voyage, prenait le chemin des Alpes, plein de confiance dans les bonnes dispositions des Francs.

Il ne fut pas trompé dans son attente: le roi Pépin vint lui-même au devant du chef de la chrétienté pour lui présenter ses hommages (1) et le conduire à sa villa royale de Ponthion. Là le pape se prosterna à son tour devant le roi, le suppliant de prendre en main la défense de la *cause de Saint Pierre* et de la *République des Romains;* il lui demanda aussi de reprendre l'Exarchat et de le « restituer » à la « Respublica ». Pépin accéda volontiers à ces demandes, et pour se conformer à l'avis d'Etienne essaya d'abord de résoudre la question par voie diplomatique. Peine inutile, Astolf ne se laissa pas fléchir, il fallut se résigner à combattre. La guerre fut décidée, non sans opposition des nobles, dans des réunions nationales à Braisne et à Quiercy (le 1 mars et le 14 avril). A Quiercy on précisa le but de l'expédition, qui était de donner — les Romains disaient *restituer* — à l'apôtre Saint Pierre une certaine zone de territoire, dont les limites étaient sans doute bien déterminées, car on se référera longtemps au *pacte de*

(1) Le *Liber Pontificalis* raconte que Pépin descendant de cheval à la vue du pape se prosterna devant lui, puis prenant l'étrier du cheval du pape, marcha ainsi quelque temps à côté de lui, à la manière d'un écuyer. C'est le premier exemple de l'*Officium stratoris*, qui sera invoqué plus tard comme un précédent dans la querelle des papes et des empereurs. Les chroniques franques ne relatent pas ce fait et insistent plus particulièrement sur les hommages rendus par le pape à Pépin. Cfr. Mœller, *Histoire du Moyen Age*. Louvain 1910, p. 484, Mourret, *o. c.*, p. 296.

Quiercy (1). Dans une troisième assemblée tenue le 28 juillet suivant à Saint-Denis, le pape renouvela le sacre de Pépin, y associa ses deux fils, qui avaient signé avec lui le *pacte de Quiercy* et les déclara tous les trois *patrices des Romains* (2).

3. Campagnes de Pépin le Bref en Italie.

Après l'échec de toutes les négociations avec le roi lombard, Pépin dut enfin tirer l'épée pour réaliser son programme. Il franchit les Alpes en 754. Astolf assiégé dans Pavie jura de restituer tous les territoires qu'il avait envahis ; mais à peine les Francs eurent-ils tourné les talons (oct. 754), qu'il reprit les armes et vint bloquer Rome, pillant les campagnes, dépouillant les églises de leurs plus précieuses reliques. Pépin rappelé en toute hâte battit derechef le roi des Lombards, l'enferma dans Pavie et le força à exécuter le traité de 754 aggravé. Au

V. Quod si in aliquod ex festis quæ servata volumus, dies incidat abstinentiæ vel jejunio consecratus, ab utroque dispensamus; eamdemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen solemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

Novum Apostolicæ sollicitudinis argumentum hujusmodi præbentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus, quos nunc de numero festivitatum præcepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos, ceterisque diebus festis, qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio observandum præceptum curaturos.

Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die II mensis Julii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

Adnotanda.

I. Ut unitati in festis de præcepto celebrandis consulat et nostri ævi exigentiis morem gerat, ita numerum festorum de præcepto moderat Pius X ut *de jure communi,* præter dies dominicas, octo tantum sub § I enumerata serventur cum feriatione seu obligatione audiendi sacri et abstinendi ab operibus servilibus.

1. Verum ex Indulto pro reductione festorum ab Em° Card. Caprara, die 2ª Aprilis 1802 dato, pro tota regionum latitudine quam gallicana respublica tunc complectebatur, jam suppressa erant — quoad *feriationem* — omnia festa præter festa Nativitatis et Ascensionis Domini, Assumptionis B. Mariæ Virginis et Omnium Sanctorum. Præsens autem Motu proprio (§ IV) statuit ut circa festa jam legitime abolita nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Ergo *apud nos* quoad feriationem nihil est mutatum.

2. Quoad *ordinem et solemnitatem officiorum* in diebus festis anno 1802 suppressis, addebat Indultum Cardinalis Caprara : « Eam tamen legem adjectam esse voluit ut in festis diebus... quæ suppressæ decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu innovetur ». Quare in diebus festis tunc primum suppressis, omnia vel fere omnia quæ spectant externum apparatum, ordinem et horas officiorum et convocatam ex devotione plebem christianam, apud nos servata fuerant juxta usum consuetum dierum festorum. Sic v. g. Statuta diœcesis Brugensis præscribunt (part. II, tit. IV, § 4):

« In festis Circumcisionis, Epiphaniæ et SS. Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis et Purificationis B. M. V., item in festis S. Stephani, SS. Petri et Pauli et Patroni loci, necnon secundo die Paschæ et Pentecostes, et die Adorationis perpetuæ (non vero in festis SS. Joseph, Joannis Baptistæ, Michaëlis et Martini) officia divina celebrentur prout diebus dominicis ».

Quum præsens Motu proprio non agat de modo

celebrandi officia prædictorum festorum, hac in re rursus apud nos — excepto festo Corporis Domini — nihil est mutatum.

3. Inter festa indulto Em^i Card. Caprara suppressa, quatuor sunt quorum « *solemnitas* » in dominicam proxime subsequentem transfertur et celebranda est per missam festo propriam, more votivo-festivo cantandam (1). Præsenti Motu proprio unum ex illis quatuor festis, nempe SS. Corporis Domini, integrum cum officio et solemnitate celebrandum est deinceps tanquam in sede propria Dominica post SS. Trinitatem. Eo ipso cadit translatio « solemnitatis » SS. Corporis Domini. Remanent igitur tria dumtaxat festa quorum solemnitas in dominicam transfertur: Epiphaniæ, SS. Petri et Pauli et S. Patroni principalis loci aut, in illius tantum defectu, patroni diœcesis.

4. *De obligatione celebrandi pro grege* non agit expresse præsens decretum. Manet igitur per se affixa iisdem festis ac antea, licet forte suppressis quoad feriationem. Verum tria sunt festa quæ mutantur et tanquam in sede propria collocantur celebranda in die dominica. Festum autem mutatum a S. Sede secum trahit in diem sibi assignatam omnia jura et obligationes festo adnexa (2), inter alia obligationem parochorum celebrandi pro populo. Sed si festum in quo missa celebranda est pro gege incidat in dominicam, obligationi suæ satisfacit parochus semel applicando pro populo (3). Et ita per accidens et de facto numero minores sunt dies in quibus debebunt parochi celebrare pro grege, jam non debebunt illud præstare 19 martii, 24 junii et feria V post dominicam SS. Trinitatis.

II. Ex trium festorum S. Joseph, Nativitatis Joannis

---

(1) De qua cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 421 ss. et infra adnotationem ad decr. *Baionen.*, 27 maii 1911, ad IX.

(2) Cf. Ill. Van der Stappen, *De officio divino*, q. 174.

(3) Encycl. Pii IX, *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858; Decr. S. C. C. 24 aprilis 1875 et 28 aprilis 1888.

Baptistæ et Corporis Domini mutatione (§ II) in dominicam tanquam in sedem propriam, nonnullas in rubricis et liturgia mutationes et difficultates oriri necesse est.

1/ Ex eo quod festum et officium *Corporis Domini* cum sua octava privilegiata removetur a feria V post dominicam SS. Trinitatis, ut perpetuo celebretur tanquam in sede propria in dominica subsequenti: 1° ordo officiorum quæ apud nos cum concursu populi ex devotione celebrabantur ut diebus dominicis, penitus evanescit a dicta feria V; 2° imo hæc feria V vacat omni officio proprio: si nullum occurrat festum, officium agendum esset per se (in diœcesi Brugensi Commemoratio SS. Sacramenti, dupl.) feriale, sed nullæ lectiones de scriptura occurrente ipsi assignantur. Cui tamen incommodo sat facile occurri poterit, assignando feriæ V lectiones feriæ VI, quæ vicissim admittere poterit lectiones assignatas sabbato, in quam rursus diem reponi poterunt lectiones primi nocturni dominicæ sequentis; in hac enim recitari debebunt lectiones propriæ festi ex prima ad Corinthios. Etiam simili ratione ordinari poterunt lectiones infra octavam. Sed de his omnibus positivo et auctoritativo modo statuet sane ulterius S. Rituum Congregatio.

2/ *Festum S. Joseph* quod deinceps celebrabitur tanquam in sede propria, Dominica quæ proxime sequitur diem XIX martii (nisi hæc ipsa dies sit Dominica) incidet semper in dominicam Quadragesimæ (excepta dominica prima) aut Paschatis. Juxta rubricas hucusque vigentes, in dominicis II, III, aut IV Quadragesimæ, quæ sunt dominicæ majores II^ae classis, festum S. Joseph duplex I classis celebrari poterit cum commemoratione, ultimo evangelio et nona lectione de Dominica: ita celebrabitur anno 1914 in Dominica IV Quadragesimæ. Si autem incidat in dominicam Passionis (ut annis 1912, 1915, 1917) aut Palmarum (v. g. annis 1918, 1921 et 1923) quæ sunt dominicæ majores primæ classis, aut a fortiori si occurrat in Dominica Paschatis (ut anno 1913)

officium S. Joseph locum cedere debebit officio prævalentis dominicæ et transferri in aliam diem. Sed in quemnam diem? Sane S. Congregatio Rituum statuet utrum translatio facienda sit juxta regulas vigentes an vero potius assignanda sit dies determinata in qua tanquam in sedem propriam transferetur festum in casu impedimenti, ut statutum est v. g. de festis Purificationis et Annuntiationis B. M. V. (*Collat. Brug.*, t. VI, 550) et aliis (1).

Festum S. Joseph quotannis recurrens quadragesimali tempore, hucusque carebat octava quia nullæ celebrantur octavæ infra Quadragesimam; imo octavæ ante Quadragesimam alicubi inchoatæ, occurrente feria IV Cinerum ipso facto abrumpuntur. Est vestigium antiquæ disciplinæ liturgicæ juxta quam tota Quadragesima erat tempus asceseos et pœnitentiæ continuum et officio ac missa propriis singula die sanctificandum, ita ut nullum *festum* sanctorum celebrari posset. Postea in Occidente exceptio admissa est in favorem festi Annuntiationis B. Mariæ V. novem mensibus ante diem Nativitatis Domini recolendum (2); tandem relaxata disciplina, admissa sunt et alia festa, manente tamen stricta prohibitione cujuscumque octavæ. Sed præsenti decreto infringitur et hæc ultima prohibitio: quod dum grato animo accipient qui cultum S. Joseph indies cresci cupiunt, dolebunt sane multi qui jam nunc querebantur liturgiam de tempore nimium opprimi officiis et missis votivis aut de sanctis.

III. Paragraphus V concedit *dispensationem ab abstinentia et jejunio* si in diem abstinentiæ vel jejunio consecratum incidat « aliquod ex festis *quæ servata volumus* », ut ait Pontifex.

Quid autem ultima verba præcise importent nobis non liquet: designantur certe octo festa sub § I enumerata, sed dubium nobis videtur utrum intelligenda sint absque

(1) Cf. Ill. Van der Stappen, *De officio divino*, p. 172.
(2) Cf. *Dictionn. d'archéol. et de liturgie*, v° *Annonciation* (Dom Cabrol).

ulla distinctione in quantum de jure communi ex § I servata sunt, etiamsi de facto in aliqua regione sint suppressa, an vero in quantum de facto servata sunt ex § I cum restrictionibus in § IV approbatis.

Juxta priorem sensum dispensatio in lege abstinentiæ et jejunii extenderetur etiam apud nos ad festa Circumcisionis, Epiphaniæ, Immaculatæ Conceptionis B. M. V. et SS. Petri et Pauli, quæ indulto E^mi Card. Caprara sunt suppressa. Et huic interpretationi favere videntur locutio omnino generalis, necnon forte dispositio secunda § V in quantum ostendit Pontifex se non absolute excludere a dispensatione quodvis festum abolitum, et tandem dispensatio jam existens pro festo Circumcisionis in Belgio.

Juxta alteram interpretationem dispensatio non extenderetur per se apud nos ad quatuor festa præfata quia legitime abolita jam erant. Cui opinioni favet quod in § IV Pontifex explicite declarat se non velle ea servare, quatenus decernit circa ea nihil inconsulta Sede esse innovandum. Nec contra hanc interpretationem nimis urgeri valet ratio uniformitatis obtinendæ quum § IV tota agit de exceptionibus vel servandis vel inducendis, et ipsa § V prævidet ac admittit diversitatem disciplinæ quoad abstinentiam aut jejunium pro vario modo quo celebratur festum patroni loci. Et siquidem pro festo patroni dispensat tantum « si solemniter et cum magno populi concursu celebrari contingat » an pro aliis festis alicubi abolitis dispensare intendit etiamsi non solemniter et absque populi concursu celebrentur? Ceterum Ordinarii loci est judicare auctoritativo modo utrum quoad festum Patroni verificentur conditiones appositæ.

Quidquid sit, res nobis non liquet et exspectabimus ulteriorem declarationem et Episcopi instructiones. Ceterum notandum est jam antea a S. Sede apud nos dispensatum fuisse in lege abstinentiæ si festum Circumcisionis incidat in feriam VI.

C. Callewaert.

S. Congregatio Consistorialis.

ROMANA

De competentia in ecclesiasticis legibus interpretandi (1).

Sacræ Congregationi Consistoriali ea quæ sequuntur dubia proposita sunt solvenda:

1° an, post ordinationem Romanæ Curiæ a Pio PP. X statutam, Sacræ Congregationi Concilii adhuc competat exclusiva facultas authentice interpretandi omnia Concilii Tridentini decreta, quæ ad morum reformationem, disciplinam aliaque hujusmodi pertinent, Summo Pontifice consulto;

2° an facultas authentice interpretandi Concilii Tridentini decreta aliasque leges ecclesiasticas vi Constitutionis *Sapienti Consilio* sit singulis Sacris Congregationibus commissa secundum propriam cujusque competentiam, salva Romani Pontificis approbatione;

3° an eadem potestas competat sacris tribunalibus Romanæ Rotæ et Signaturæ Apostolicæ;

4° an iisdem sacris tribunalibus competat saltem facultas decreta Concilii Tridentini aliasque leges ecclesiasticas interpretandi juridice in casibus particularibus, ita nempe ut jus faciant inter partes in causa.

Emi Patres hujus Sacræ Congregationis in generali cœtu die 9 Februarii 1911 habito, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt:

Ad I et III *negative;* ad II et IV *affirmative.*

In sequenti vero die, quum hæ dubiorum resolutiones SSmo D. N. Pio PP. X ab infrascripto Cardinali Secretario relatæ sint, Sanctitas Sua eas ratas habuit et confirmavit.

Datum Romæ ex Ædibus ejusdem Sacræ Congregationis, die 11 Februarii anno 1911.

L. ✠ S.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

(1) *Act. Apost. Sed.*, 1911, t. III, p. 99 s.

S. Congregatio Rituum.

I

WESTMONASTERIEN.

Dubia circa expositionem et benedictionem Sanctissimi Sacramenti.

Hodiernus Magister Cæremoniarum in Ecclesia Metropolitana Westmonasterien., de consensu sui Rev^mi Domini Archiepiscopi, sequentia dubia Sacræ Rituum Congregationi enodanda humillime proposuit, nimirum:

I. Defectu ministrorum et cantorum licetne Missam Votivam Sanctissimi Sacramenti, in expositione vel repositione pro Oratione XL Horarum, celebrare sine cantu; et totam functionem sine cantu peragere simili modo quo fit Feria V in Cœna Domini, secundum Memoriale Rituum?

II. Licetne legere aut omittere Missam Votivam celebrandam secunda die in Oratione XL Horarum?

III. Estne necessarium Indultum, ut in Oratione XL Horarum expositio ac adoratio suspendatur horis nocturnis?

IV. Quum difficile sit habere thronum expositionis inamovibile, nisi Crux ponatur in eo; quæritur: Utrum liceat super tabernaculum erigere inamovibile thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione Sanctissimi Sacramenti; an debeat erigi thronus tantummodo propter expositionem et amoveri post expositionem?

V. Num liceat thronum expositionis construere in muro paucis metris ab altari sejuncto?

VI. Utrum alio throno, seu baldachino parvo, opus sit ad expositionem SS^mi Sacramenti, ubi magnum baldachinum, seu ciborium invenitur?

VII. Licetne laicis tangere Ostensorium sine privilegio Apostolico, quod requiritur ad tangenda vasa sacra?

VIII. Debetne Ostensorium cooperiri velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem Ss^mi Sacramenti?

IX. Cujusnam coloris debet esse stola presbyteri exponentis, quando Benedictio Ss^mi Sacramenti immediate se-

quitur Vesperas solemnes, nec celebrans cum pluvialistis recedit a choro?

X. Utrum cuilibet celebranti, an soli Episcopo vel Prælato, liceat genuflexo manere super pulvinari in infimo gradu altaris?

XI. An Ordinarius, in medio Sanctuario Benedictioni Ssmi Sacramenti assistens cum cappa, debeat adorare utroque genu, quando ad incensandum accedit ad altare, vel ab eo recedit?

XII. An Decreta, quæ prohibent quominus preces liturgicæ cantentur in lingua vernacula, extendantur etiam ad Litanias, vel Pater, vel Salve Regina, quæ recitantur vel leguntur coram Ssmo Sacramento exposito?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibusque accurate perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I, II et III. Ad effectum Indulgentiarum et privilegii Altarium necessarium esse Indultum, a Sacra Congregatione S. Officii expetendum, ut derogetur formæ Clementinæ Instructionis. Alias Episcopus utatur jure suo, sed circa Missas Votivas serventur Rubricæ et Decreta, nisi extet vel obtineatur speciale Indultum.

Ad IV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad V. Affirmative, dummodo thronus expositionis haud nimis distet ab altari, cum quo debet quid unum efficere (1).

Ad VI. In casu servari potest consuetudo, quæ viget (2).

Ad VII. Serventur Decreta (3).

Ad VIII. Affirmative (4).

---

(1) Ex quo responso patet thronum in casu construendum esse in medio muro *post* altare.

(2) De praxi aut obligatione adhibendi thronum expositionis in altari super quo erectum est ciborium, pluries et varie, pro et contra, disceptatum est apud *Ephemerides liturgicas*, annis 1910 et 1911.

(3) Auctores communius censent laicos posse tangere — non quidem lunulam, que benedicenda est et immediate tangit SS. Sacramentum — sed Ostensorium vacuum, quamvis hoc minus deceat. Verum decreta specialia circa hunc casum non novimus.

(4) Hæc velatio ostensorii vacui non videtur ullibi præscribi in libris liturgicis; in Cœremoniali Episcop. agente de missa et processione SS. Corporis Domini dicitur quidem « super credentia » præparandum

Ad IX. Ejusdem coloris ac paramenta celebrantis (1).

Ad X. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad XI. Affirmative in casu (2).

Ad XII. Dentur Decreta nº 3530, Neapolitana, ad I et II, et nº 3157, Mechlinien. 5 Septembris 1867, ad VIII (3).

Atque ita rescripsit, die 27 Maii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Adnotationes. *Ad quartum.* Thronus expositionis hanc unicam, ut patet, habet destinationem ut inserviat exponendo SS. Sacramento. Unde ex natura rei apparet conveniens esse ut thronus tunc tantum adsit

---

esse « tabernaculum pulchrum ex auro vel argento, sive ostensorium in quo sanctissimum sacramentum ponendum portandumque erit » sed de velo ad illud cooperiendum ne verbulum habet (lib. II, c. xxxiii, n. 14); Rituale vero Romanum (tit. IX, c. v, n. 2), de eadem agens missa, expressis verbis præscribit velationem ostensorii, sed dumtaxat postquam celebrans in illud imposuit hostiam consecratam: tunc ostensorium « velo operiatur, donec auferatur ab altari ». Nec ullum hac de re novimus S. R. C. responsum, et de praxi aut obligatione non conveniunt auctores. In multis regionibus sicut apud nos, obtinet usus contrarius. Imo videtur hæc velatio ostensorii *vacui* minus congruere significationi veli quod habetur ut signum præsentiæ realis, ita ut velum album seu conopeum non possit apponi pyxidi aut tabernaculo in quo non sunt reconditæ species consecratæ. Quare dubitari potest utrum hoc præsens decretum, in hac particulare et in hac materia unicum, habeat vim præceptivam universalem.

(1) Hoc responsum omnino quadrat cum responso *Baionen.* 27 maii 1911, ad XII et XIII (vide infra) et cum antiquioribus decretis nn. 2562, 1 et 3175, 5. Confirmat regulam juxta quam sacerdos qui statim post vesperas solemnes debet exponere SS. Sacramentum vel cum eo dare benedictionem, non debet assumere indumenta coloris albi.

(2) Cf. responsum *Baionen.*, nova dubia, 8 junii 1911, ad IV (vide infrà).

(3) Hoc responso simpliciter confirmantur innumera decreta circa hanc materiam jam antea data, quæ vide ap. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 495 ss. Ad quæstionem responderi potest posse dictas preces (Litanias vel Pater vel Salve Regina) *recitari* in lingua vernacula coram SS. Sacramento, modo non recitentur immediate ante benedictionem, ita ut *Tantum ergo* cum versu et oratione separaretur ab actu benedictionis. (*Collat. Brug.*, t. XIV, p. 496).

quando expositio est facienda (1). Sed ulterius, extra tempus expositionis, in altari majori semper et in quovis altari tempore missæ, apponi debet in medio altaris crux bene visibilis (2). Jamvero huic rubricæ servandæ non minimam difficultatem affert thronus permanens, unde in nonnullis ecclesiis ponitur crux altaris in throno expositionis inamovibili, eo præcise in loco ubi exponi solet SS. Sacramentum. Hæc autem praxis non solum pluribus decretis S. Congr. Rituum est prohibita (3), verum etiam impingit directe in *principia fundamentalia liturgiæ catholicæ* quæ jure merito prohibet quominus idem honor exhibeatur imagini Jesu qui est deferendus ipsi Jesu personæ in SS. Sacramento realiter præsenti. Hujus abusus omnino eliminandi reprobatio videtur esse ratio præcipua et motiva prohibitionis throni inamovibilis. Et ex ipsis dubii verbis suspicari licet throni inamovibilis prohibitionem non adeo urgendam esse ubi non est timendus abusus præfatus.

Ceterum S. Congregatio certe non intendit prohibere thronum expositionis inamovibilem qui ita est confectus ut possit claudi et clausus conferat ad ornatum retabuli et altaris, ad normam schematis quod anno elapso in congressu Rollariensi propositum fuit. Clauso enim ostiolo hujusce throni velis albis ornati, jam non apparet formaliter ut thronus, et est in altari quasi non adesset (4).

II

BAIONEN.

Dubia varia.

Hodiernus Redactor Kalendarii Diœceseos Baionensis, in Gallia, de consensu sui R^mi^ Episcopi, insequentia dubia

(1) Cf. *Eucharistisch Congres te Rousselare. Verslagen*, bl. 104 (Eerw. Heer A. Vuylsteke).

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 333 ss.

(3) Decr. n. 3576 et decr. 11 jun. 1904, ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 182.

(4) Cujus descriptionem vide in *Eucharistisch Congres te Rousselare. Besluiten*, p. 56 ss.

pro opportuna declaratione Sacræ Rituum Congregationi humiliter subjecit; nimirum:

I. Utrum Decreto 8 Maii 1899, Augustodunen. seu Galliarum, extendente Officium et Missam S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis, sub ritu duplici minori, ad cunctas Galliarum Ecclesias, obligatio facta fuerit omnibus Galliarum Diœcesibus illud adoptandi, vel simpliciter hæc extensio non sit nisi facultas?

II. Utrum dies 7 Julii sit quasi natalitia pro Ss. Cyrillo et Methodio, Epp. Conf. juxta Martyrologium Romanum?

III. Utrum in Festo Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. utrisque Vesperis carente, hymnus *Matris sub almæ* recitari debeat ad Laudes, junctis ad Matutinum hymnis *Bella dum late* et *Sic Patres vitam?*

IV. Si in tertio Nocturno alicujus Sancti vel Mysterii, Lectiones de Homilia excerptæ sunt ex operibus ejusdem Sancti, aut sunt historicæ circa Mysterium, utrum tres Lectiones debeant in duas redigi, ut fit in Festo S. Hilarii, Ep. Conf. Doct., in casu quo nona Lectio legi debeat de alio Officio eodem die commemorato?

V. Ubi S. Silvester est Patronus vel Titularis, utrum secundæ ejus Vesperæ sumendæ sint de Communi Confessoris Pontificis, vel usque ad Capitulum dicendæ sint de Nativitate Domini, ut in aliis diebus infra Octavam?

VI. Quum nuptiæ celebratæ fuerint tempore prohibito, et sponsi postea benedictionem nuptialem petierint, juxta Decretum S. C. U. I. diei 31 Augusti 1881, utrum eligendus sit dies in quo Missa votiva pro sponsis dici possit, ut prætendunt aliqui, innixi super Decretum Generale de Missis Votitis diei 30 Januarii 1896, vel in casu benedictio nuptialis impertiri possit infra Missam, puta de festo duplici 2 classis cum commemoratione pro Sponsis, juxta rubricam in capite Missæ pro Sponsis positam?

VII. Utrum ad impertiendam benedictionem nuptialem post tempus feriatum conjugibus antea matrimonio junctis, necessaria sit præsentia amborum, vel sufficiat solius sponsæ?

VIII. Utrum in Ecclesiis Parochialibus unam tantum Missam habentibus, Parochi debeant ad normam Decreti nº 3887 diei 21 Februarii 1896, Missam pro populo applicandam juxta officium diei celebrare, etiam in Dominicis

ad quas jussu Card. Caprara transferuntur solemnitates Epiphaniæ Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac præcipui Patroni loci, atque etiam quorundam aliorum festorum ex peculiaribus Indultis, vel possint per Missam dictarum solemnitatum oneri suo satisfacere?

IX. Utrum solemnitates jussu Card. Caprara ad Dominicam proxime sequentem translatæ, ceteræque ex Indulto particulari similiter faciendæ, celebrari debeant an possint etiam in Oratoriis semipublicis ubi singulis Dominicis solet Missa cantari?

X. Si extra Expositionem XL Horarum, et Festum SS. Corporis Christi (1), fieri contingat expositio SS. Sacramenti immediate post Missam, Hostia debeatne intra hanc Missam consecrari, vel accipi possit Hostia jam prius consecrata?

XI. Quatenus affirmative ad secundam partem; utrum Hostia jam antea consecrata poni possit in Ostensorio ante purificationem et ablutiones, vel expectari debeat usque ad expletum ultimum Evangelium?

XII. Utrum celebrans in Vesperis solemnibus possit stolam induere sub pluviali a principio Officii, quum immediate post Vesperas, quin ipse recedat a Presbyterio, fiat Expositio cum Benedictione Sanctissimi Sacramenti?

XIII. Utrum Processio cum SSmo Eucharistiæ Sacramento, quæ immediate ut supra subsequitur Vesperas cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, cum iisdem fieri debeat, vel albi coloris assumi debeant paramenta?

XIV. In benedictione Olei Catechumenorum, feria V Cœnæ Domini, Rubrica Pontificalis statuit: « duodecim Sacerdotes reverenter salutant Oleum ipsum dicentes: Ave Sanctum Oleum ». Hæc verba: « reverenter salutant » suntne ita interpretanda, ut debeat fieri genuflexio, sicut ad Sanctum Chrisma, vel simplex inclinatio capitis?

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ voto, propositis dubiis sedulo expensis ita respondendum censuit:

---

(1) In his duobus casibus hostia Expositionis aut Processionis debet consecrari tn ipsa missa Expositionis vel Processionis et in ostensorio poni statim post celebrantis communionem. Rit. Rom. t. IX, c. v, n. 2.

Ad I. Singulis petentibus Sacra Congregatio reservavit sibi concessionem juxta Decretum citatum.

Ad II. Affimative.

Ad III. Provisum in Decreto 8 Aprilis 1908.

Ad IV. Decernendum in casibus particularis.

Ad V. Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.

Ad VI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad VII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad IX. Solemnitates enunciatas celebrari posse in Oratoriis semipublicis de quibus agitur in Decreto n° 4007, diei 23 Januarii 1899.

Ad X. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad XI. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad XII. Affirmative.

Ad XIII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam (1).

Ad XIV. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 27 Maii 1911.

L. ✠ S. Fr. Sebastianus Card. Martinelli, *S. R. C. Præf.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Adnotatio. Responsum *ad nonum* dirimit quæstionem antea dubiam et tamen omnino practicam notatim in collegiis nostris. Exposuimus olim in *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 424, rationes ob quas nobis videbatur indultum Em^i^ Card. Caprara, de die 9 aprilis 1802, pro reductione festorum, quoad missam solemnitatum translatarum decantandam, non esse extendendum ad oratoria semipublica. Quæstio hic ponitur modo valde

(1) Ad XII et XIII, cf. suprà p. 549, nota 1.

præciso : utrum nempe missa solemnitatis translatæ *debeat* aut *possit* celebrari in oratoriis *semipublicis,* ubi singulis dominicis solet missa cantari. Respondet autem S. Congregatio *posse* in oratoriis quæ semipublica sunt juxta decretum *Super oratoriis semipublicis* diei 23 januarii 1899 (1), qualia sunt oratoria collegiorum nostrorum piorumque institutorum ac communitatum. Quum autem S. Congr. nihil respondeat ad quæsitum utrum *debeant*, censemus non adesse obligationem.

Responsum hoc valet pro dominicis in quas transferuntur apud nos solemnitates Epiphaniæ, SS. Petri et Pauli ac patroni principalis loci, aut in ejus defectu patroni diœceseos. De *solemnitate* autem translata festi Corporis Domini, post recens Motu proprio de diebus festis *Supremi disciplinæ* (vide suprà p. 539), jam non est agendum, siquidem ipsum *festum* transfertur in dominicam.

C. Callewaert.

III

DECRETUM

De repositione et translatione festorum in Ecclesiis particularibus.

Quo facilius in Ecclesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes peragi valeant, Sacra Rituum Congregatio, enixis precibus tum a Rev^mis locorum Ordinariis tum a Superioribus Ordinum seu Congregationum Religiosorum sibi porrectis obsecundans, audito etiam Commissionis Liturgicæ suffragio, statuit ac decrevit, ut, ad tramitem resolutionis n° 3919 *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci,* diei 27 junii 1886, ad XVI, tam Kalendarium perpetuum quam Kalendarium annuale cujusque Ecclesiæ particularis respective redigatur super Kalendario Diœcesis vel Ordinis aut Congregationis; ac proinde, sicuti Officia, quæ in propria

(1) Apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 181.

Ecclesia vel Oratorio quotannis impedita sunt, fixe assignari debent diei primæ liberæ in Kalendario perpetuo, ita Officia accidentaliter transferenda in posterum celebranda erunt die, quæ prima libera reperitur in Kalendario annuali, nulla habita ratione Officiorum, quæ jam translata fuerunt, licet minoris nobilitatis: servatis de cetero Rubricis et Decretis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 3 maii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Adnotatio. Hoc decreto facilior redditur ordinatio calendarii alicujus particularis ecclesiæ notatim quoad transferenda festa v. g. occasione festi et octavæ Titularis ecclesiæ vel Patroni loci. Festis quæ hac ratione *perpetuo* impediuntur, sicut antea, assignari debet ab Episcopo dies fixa. Sed pro transferendis festis *accidentaliter* in mea ecclesia impeditis et quæ gaudent jure translationis, jam non debebo examinare, ut antea, quænam sint dies liberi in calendario *perpetuo* diœceseos (in quibus forte hoc anno jam translata sunt festa alia), sed unice videbo quænam sit prima dies libera in calendario diœcesano *anni currentis* prout jacet et in hac die reponam festum transferendum, etiamsi forte alia festa minoris ritus aut nobilitatis haberent diem hoc anno assignatam ante diem quæ libera est pro festo meo digniori.

C. CALLEWAERT.

IV

DUBIA

Circa organi sonitum ad adjuvandum cantum gregorianum et formulam benedictionis apostolicæ impertiendæ in fine concionum (1).

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutio expostulata est; scilicet:

(1) *Acta Apost. Sed.*, 1911, p. 241 s.

Quum Cæremoniale Episcoporum numquam supponat cantum gregorianum organum vocibus consociari; quæritur:

I. An hodiernus usus prædictum cantum adjuvandi organis sustineri possit?

II. Et quatenus affirmative ad I, an etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, liceat organum adhibere solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus?

III. Quibusdam in Brevibus, quibus fit sacerdotibus potestas, in fine concionum, benedictionem, cum Indulgentiæ plenariæ favore, populo impertiendi, edicitur id fieri debere cum Crucifixo, juxta ritum formulamque præscriptam; nunc quæritur quinam sint hi ritus et formula adhibendi?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, reque sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus, quæ, juxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debeant penitus decantari (1).

Ad II. Affirmative, in casu necessitatis (2).

Ad III. Unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita

---

(1) Excipiuntur nempe illæ partes Officii et Missæ quæ, juxta tonos communes in editione Vaticana receptos, a celebrante aut ministris recitantur; uti Orationes, Præfationes, Epistola, Lectiones, *Ite missa est*, etc. Cf. recens decretum 16 dec. 1909, ap. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 247 s.; quoad Lectiones Matutini in Officio defunctorum. Organum tamen præludere potest primas notas ad adjuvandos cantores.

(2) Modo omnino generali respondetur. Quod permittebatur in Missa pro Defunctis et in Missis — imo, fatentibus quibusdam, in Officio — per ferias Adventus et Quadragesimæ; quod usu tolerabatur in variis regionibus in Missis Dominicarum Adventus et Quadragesimæ, nunc extenditur, extra triduum mortis Domini, ad omnia Officia et omnes Missas, in quibus sonus organi prohibetur. Licet ergo in his pulsare organum ad associandum cantum, non vero ad præ —, inter — vel postludendum. Quod tamen iterum non intelligitur de parvo præludio ad intonationem parandam. Nec est exceptio facienda pro Officio Defunctorum. Additur in responso, *in casu necessitatis*, h. e. quando propter parvum numerum vel imperitiam cantorum aut propter difficultatem vel diuturnitatem cantus necessaria est associatio organi ad sustentandas voces. Ubi chorus numerosus est et peritus, conforme est rubricis, praxi et spiritui Ecclesiæ abstinere ab adjumento organi consociantis. Quod valet etiam pro cantoribus Ecclesiarum.

formula: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper.* ℟. *Amen.*

Atque ita rescripsit, die 11 maii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

V

DECRETUM.

« Cantorinus » authenticus ac typicus declaratur.

De mandato Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ X. Sacra Rituum Congregatio præsentem librum choralem seu Cantorinum (1) uti authenticum ac typicum habendum esse declarat, in quo Toni Communes Officii et Missæ pro omnibus Romanæ Ecclesiæ ritu utentibus simul colliguntur fusiusque explicantur, prout jam sunt recogniti et præscripti, vel ulterius perscribendi in Vaticana editione librorum cantum liturgicum gregorianum continentium.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 3 Aprilis 1911.

SEBASTIANUS Card. MARTINELLI
SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS *Præfectus.*

L. ✠ S.

† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien.
SACRORUM RITUUM CONGREGATIONIS *Secretarius.*

(1) *Cantorinus seu Toni communes Officii et Missæ juxta ritum Romanæ Ecclesiæ cum regulis et exemplis.* Editio typica vaticana. Romæ, Typis polyglottis Vaticanis, 1911, in-8, 85 p. F. 1,50.

Commissio Pontificia de re Biblica

De auctore, de tempore compositionis et de historica veritate Evangelii secundum Matthæum.

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio « de re Biblica » ita respondendum decrevit.

I. Utrum, attento universali et a primis sæculis constanti Ecclesiæ consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, sacrorum librorum versiones vel antiquissimæ et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et a Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiæ orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthæum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub ejus nomine vulgati esse auctorem?

Resp.: Affirmative.

II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia quæ tenet Matthæum et ceteros Evangelistas in scribendo præcessisse, et primum Evangelium patrio sermone a Judæis palæstinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse?

Resp.: Affirmative ad utramque partem.

III. Utrum redactio hujus originalis textus differri possit ultra tempus eversionis Hierusalem, ita ut vaticinia quæ de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum; aut, quod allegari solet Irenæi testimonium (*Advers. hæres.*, lib. III, cap. I, n. 2), incertæ et controversæ interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat rejicere eorum sententiam qui congruentius traditioni censent eamdem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam?

Resp.: Negative ad utramque partem.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum quorumdam opinio, juxta quam Matthæus non proprie et stricte Evangelium composuisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tamquam fontibus usus esset alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt?

Resp.: Negative.

V. Utrum ex eo quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, imo Ecclesia ipsa jam a suis incunabulis, unice usi sunt, tamquam canonico, græco textu Evangelii sub Matthæi nomine cogniti, ne iis quidem exceptis, qui Matthæum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium græcum identicum esse quoad substantiam cum Evangelio illo, patrio sermone ab eodem Apostolo exarato?

Resp.: Affirmative.

VI. Utrum ex eo quod auctor primi Evangelii scopum prosequitur præcipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Judæis Jesum esse Messiam a prophetis prænuntiatum et e davidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis quæ enarrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quæ in ipso Evangelio leguntur, alterationem quamdam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiæ status subiisse, ac proinde historicæ veritati haud esse conformes?

Resp.: Negative ad utramque partem.

VII. Utrum, speciatim solido fundamento destitutæ censeri jure debeant opiniones eorum, qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarumdam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illæ quæ respiciunt primatum Petri (Matth., XVI, 17-19), formam baptizandi cum universali missione prædicandi Apostolis traditam (Matth., XXVIII, 19-20), professionem fidei Apostolorum in divinitatem Christi (Matth., XIV, 33), et alia hujusmodi, quæ apud Matthæum peculiari modo enuntiata occurrunt?

Resp.: Affirmative.

Die autem 19 Junii 1911 in audientia utrique infrascripto R^mo Consultori ab Actis benigne concessa, SS^mus Dominus Noster Pius Papa X prædicta responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

Romæ die 19 Junii 1911.

Fulcranus Vigouroux, Pr. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B.
Consultores ab Actis.

Consultationes

I

In novo libro chorali authentico et typico cui titulus *Cantorinus* seu *Toni communes Officii et Missæ* habetur C. XIII, *Tonus Epistolæ*, p. 76: « Ubi viget tonus ex traditione acceptus, servari potest. Quod etiam valet pro Oratione et Evangelio, ubi habentur proprii toni, dummodo à stylo gregoriano non discrepent. Ubi tales toni non vigent, vel si dimittendi videantur, valde optandum est ut, loco prædictæ lectionis in æquali voce, adhibeatur tonus sequens, olim fere ubique usurpatus, ab antiquo Romano Directorio traditus, et hucusque in Ordinibus antiquis et multis Ecclesiis quoad substantiam servatus. »

Petitur utrum legitime servari possint nostri toni diœcesani cantandi Epistolam, Evangelium ac Orationem; an vero dimittendi sint.

Respondetur.

1° Casu quo toni nostri diœcesani, verificatis conditionibus in præfata rubrica Cantorini determinatis, servari possent, ad S. Congregationem Rituum pro revisione et definitiva approbatione transmittendi essent (1). Nec dubium est quin quædam modificationi subjiciantur, uti *metrum* in Epistola et Evangelio et modus cantandi versus et orationes ad Laudes SS^mi^.

2° Sed non videntur hi toni servari posse; quia non haberi queunt ut *proprii* toni, quidquid sit de usu eorum traditionali et de eorum indole gregoriana. Sunt enim, tum pro Oratione, tum pro Epistola et Evangelio, corruptæ aut variæ lectiones, facilitatis plerumque causa olim admissæ, ejusdem toni fundamentalis in Vaticana editione restituti, uti patet pro formula puncti ad Epistolam et Evangelium.

(1) Decret. 24 febr. 1911 ap. *Collat. Brug.* 1911, t. XVI, p. 311.

Hujusmodi variationes exstant plures, si tantummodo considerantur diœceses Belgicæ. Si ageretur de tono diverso a versione Vaticana, uti qui viget in liturgia ambrosiana (1), aut de lectione traditionali et styli gregoriani, in multis discrepante a tono nuper restituto, uti exemplar habetur in veteri *Cantorino Curiæ Romanæ* (2), merito ut proprii toni servari possent. Sed non videtur, propter quamnam rationem artis aut facilitatis, in usu remanerent apud nos corruptiones et variationes minoris momenti, dum ad substantiam et juxta versionem antiquiorem et communiorem tonus diœcesanus restitutus fuit in libris authenticis cantus liturgici.

Scopus a Pio PP. X intentus in reformanda musica sacra fuit melodias gregorianas, juxta fidem Codicum et genuinæ traditionis, attento etiam momento practico, ad usum Ecclesiæ Romanæ restituere, et hoc modo, demptis formis recentioribus, corruptis aut inutilibus, cantum gregorianum ad optatam unitatem redigere.

Ideo quoad tonos communes Officii et Missæ, in libris editionis Vaticanæ inseruit Pontifex, eas paulisper mutando, formulas valde simplices, praxique accommodatas, usu jam sæculari Romæ adhibitas, prouti redactæ sunt in *Directorio Chori* a Guidetti confecto (3); simulque ad libitum proposuit alios tonos antiquiores, arteque gregoriana magis perspicuos. Hi olim fere ubique usurpati et ab antiquo Romano Directorio (4) traditi, hucusque fuere quoad substantiam servati, tum in antiquis Ordinibus, putà, Cartusiensium, Dominicanorum, Franciscanorum, tum in multis ecclesiis Italiæ, Germaniæ, Galliæ et Belgii.

Summa sit responsionis: Redeamus ad unitatem cantus liturgici in editione Vaticana feliciter restaurati.

A. De Meester.

---

(1) Pothier, *Les mélodies Grégoriennes*, ed. 2, p. 256, Tournay, 1881.
(2) *Ibid.*, citatur juxta editionem Venetanam 1517.
(3) 1a editio prodiit Romæ 1562.
(4) Cf. Pothier, *o. c.*, p. 257 ss.

II

Location des chaises d'église.

PREMIÈRE QUESTION. *L'acte de bail doit-il être approuvé par la Députation permanente?*

Les auteurs (1) sont d'accord pour nier la nécessité d'une telle approbation. Cependant la circ. min., du 15 mai 1885 (2), semble supposer le contraire. Il y est dit en effet, relativement à l'art. 14 du compte: « Dans le second cas (de la mise en ferme), le bail *approuvé* sera joint au compte. Si l'adjudication a eu lieu par acte public et revêtu de l'approbation de la Députation permanente, il suffira d'indiquer, dans la colonne d'observations, la date du bail et de l'autorisation. »

DEUXIÈME QUESTION. *L'acte de bail, pour être produit en justice, doit être enregistré; mais à quel droit est-il soumis?*

a/ S'agit-il d'un droit fixe ou proportionnel? Versluysen (3) dit: « Het enregistrementsrecht er van is bepaald, door de wet van 4 juni 1855, op het vast recht van 1 frank zeventig centiemen. »

Cependant, à la paroisse de L., le dernier acte de bail n'a pas été enregistré. On a reculé devant la dépense, croyant sans doute d'après les indications du receveur de l'enregistrement qu'il fallait payer un droit proportionnel. Effectivement, la loi du 4 juin 1855 n'est pas applicable à la location des chaises.

b/ Supposé qu'il s'agit d'un droit fixe, quel en est le

---

(1) Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jus can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, nº 1117; *Collat. Brug.*, t. III, p. 98; *Rev. cath. de droit*, 1898-1899. t. I, p. 255; CROUZIL, *De la location des chaises d'église*, p. 26, Paris, Bloud, 1903.

(2) Cf. le texte dans STANDAERT, *Manuel de l'administration des fabriques d'églises*, p. 234, Gand, 1910. V. dans la *Revue des fabriques d'églises*, 1894, t. II, p. 93, un article de M. Dijon.

(3) *Handboek der Kerkfabrieken*, p. 78, Leuven, 1877.

montant. Versluysen mentionne un droit fixe de fr. 1,70, conformément à la loi du 4 juin 1855. D'autres plus récents, en transcrivant le texte de la même loi, indiquent un droit de fr. 2,40.

La loi du 4 juin 1855 aurait-elle été modifiée?

Réponse.

1° L'acte de bail ne doit pas être approuvé par la Députation permanente. L'article 67 du décret de 1809 ne mentionne pas la nécessité d'une telle approbation; et l'article 60 n'est applicable qu'à la location des maisons et des biens ruraux.

Si la circulaire de 1885 parle d'un *bail approuvé,* il n'y peut être question d'imposer aux fabriques l'observation d'une formalité non comprise dans la loi. L'acte ministériel s'en réfère peut-être au décret de 1809, qui exige l'approbation du conseil de fabrique pour déterminer le mode de location et pour fixer le prix des chaises.

Dans les formulaires à l'usage des fabriques, on trouve un modèle du procès-verbal d'adjudication et un autre de l'acte de bail. Ce double acte n'est pas nécessaire. L'acte de bail, de forme administrative, est complet par la signature du procès-verbal d'adjudication, inscrit sur papier timbré (1), signature qui lie les parties.

2° a/ L'acte de bail, pour être produit en justice, avoir date certaine, être opposable aux tiers, doit être enregistré. Nous croyons que cette transmission de jouissance à titre de location d'une nature spéciale est soumise *à un droit proportionnel* de 20 centimes pour cent, sur le prix cumulé des années du bail (2). En effet, les fabriques sont assujetties aux mêmes droits que les particuliers, à moins d'exception formulée par la loi. Or, la stipulation de la loi du 4 juin 1855 ne s'applique

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1129.

(2) Loi du 6 avril 1887.

pas à la location des chaises ; puisque celle-ci ne se fait pas par adjudication au rabais, mais par adjudication aux enchères et qu'elle n'est pas un marché dont le prix doit être payé par la fabrique. Il faut noter que les frais d'enregistrement sont à la charge de l'adjudicataire.

b/ La loi du 4 juin 1855 a été modifiée par celle du 28 juillet 1879 qui a augmenté les droits d'enregistrement.

A. De Meester.

Notæ bibliographicæ

Chan. B. Duballet. *La Famille, l'Église et l'État dans l'éducation.* 1910, in-8°, 354 p. En vente chez l'auteur à Pullay (Eure). Fr. 3,50 ; franco fr. 4.

Le présent volume, hautement approuvé par l'autorité religieuse et élogieusement apprécié dans les revues, est un ouvrage sérieux de doctrine. L'auteur se plaçant au point de vue du droit naturel et des vérités révélées, examine les droits et les devoirs de la famille, de l'Église et de l'État en matière d'éducation. Les problèmes si actuels de la liberté, de la gratuité, du monopole de l'enseignement, de la contrainte scolaire, de l'ingérence de l'État moderne dans l'organisation de l'instruction à tous les degrés, sont discutés avec liberté et loyauté.

Il y est tenu compte des décisions de l'Église, des opinions des canonistes et publicistes catholiques et des arguments des adversaires. La multiplicité des propositions nuit peut-être à la clarté et à la suite logique de l'exposé. Il nous semble regrettable que l'auteur ait réservé à plus tard l'étude de l'hypothèse ou de l'application des principes aux faits. Le côté positif du reste est trop négligé : la bibliographie est insuffisante ; les questions historiques ne sont point indiquées ; les faits ne sont pas suffisamment pris en considération ; la question scolaire chez les divers peuples n'est pas exposée avec exactitude. Ces remarques de détails n'enlèvent rien à la solidité doctrinale de l'ouvrage.

L. Bethleem. *Romans à lire et à proscrire.* 5e édit. Sin-le-Noble (Nord), Bureaux de *Romans-Revue*, 1911, in-12, XXXII-408 p. F. 3,50.

En annonçant la 5e édition de ce livre, nous ne pouvons que confirmer l'appréciation élogieuse consacrée par les *Collationes* (1) à l'œuvre solide et éminemment utile de l'abbé Bethleem. Chaque nouvelle édition est sérieusement en progrès sur la précédente. La liste des auteurs s'accroît de noms nouveaux ; les notices sont mises au point ; la littérature étrangère qui a pénétré en France est davantage prise en considération.

La liste « Quelques autres ouvrages à l'Index » p. 41, gagnerait à être plus complète. Quelques références en plus pour appuyer les appréciations de l'auteur augmenterait encore la valeur de ce répertoire. Je crois qu'il serait utile d'ajouter le texte de la Constitution « Officiorum ».

Notons aussi que M. B a dernièrement fait paraître une œuvre similaire : *Les Pièces de théâtre. Thèses et arguments — Analyse des principaux ouvrages dramatiques joués sur les scènes de Paris et de province.* Sin-le-Noble, 1910, 320 p. F. 3,50.

A. De Meester.

(1) 1906, t. XI, p. 555.

Sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ XIII Allocutiones, Epistolæ, Constitutiones, aliaque acta præcipua. Volumen VIII (1901-1903). Brugis et Insulis, Desclée, De Brouwer et Soc., 1911, in-8°, 235 p. F. 2,50.

Complectitur hoc volumen transcriptionem in lingua originali, cum summario latino marginali, 84 actorum Leonis PP. XIII. Adnectuntur elenchus et index analyticus documentorum. Utilitate non careret versio latina aut gallica actorum sermone italico exaratorum. Deest præfatio editorum quæ tamen indicatur in elencho.

A. Gastoué. *Traité d'harmonisation du chant grégorien sur un plan nouveau.* Lyon, Janin, 1910, in-8° 130 p. F. 6.

Il est permis sans doute de discuter certaines idées émises par l'auteur, de rejeter au nom de règles généralement admises quelques successions d'accord, quelques licences rythmiques et harmoniques, de se refuser à admettre des exemples d'harmonisation trop recherchée; cependant il serait injuste de ne pas reconnaître les brillantes qualités de ce traité, très bien accueilli du reste par nombre de spécialistes. Il se distingue en effet par son originalité, sa clarté et sa méthode (qualité rare dans des ouvrages de ce genre), par sa portée pratique et adaptée à tous les talents, par son caractère spécifiquement grégorien. Aussi tout organiste le consultera et l'étudiera avec fruit.

Une introduction contient des détails pleins d'intérêt sur l'histoire de l'accompagnement (1). Suivent 3 parties:

I. Intervalles et accords: § 1. Consonnances; § 2. Notes mélodiques dites étrangères à l'harmonie (note de passage, échappée, anticipation, broderie, appogiature, pédale); § 3. Dissonnances; § 4. Emploi de quintes et d'octaves de suite. II. Étude de la modalité et du contrepoint. III. Application pratique de l'harmonisation: § 1. Les voix; § 2. les instruments (harmonium, orgue, régistration); § 3. Du style de l'harmonisation dans les différents morceaux. 2 Appendices: du chromatisme, du rôle de l'orgue dans la liturgie.

Dans le choix des modèles d'harmonisation, M. G. se montre largement accueillant pour toutes les écoles; il ne cite toutefois pas les productions de l'école de Malines, que cependant il doit connaître et apprécier, pour parler aussi élogieusement de l'œuvre de Gevaert.

P.-B. D'Hooghe, O. F. M. *Divinæ Laudes ad reparandas blasphemias pro vocibus æqualibus et organo.* Chez M. le curé de Sainte-Anne, rue du Moulin, 63, Bruxelles. F. 1,25.

Recommandable pour solennités et processions. Il nous semble cependant inutile de multiplier les formules simples de ces Louanges. Une

(1) V. le dernier livre de M. A. Gastoué. *L'art grégorien.* (Coll. les maîtres de la musique), p. 150 ss., Paris, Alcan, 1911. F. 3,50.

adaptation du texte musical aux paroles flamandes et françaises aurait été souhaitable.

F. de la Tombelle. *Messe en ré mineur à 3 voix mixtes.* Lyon, Janin frères, 1910, Partition avec accompagnement fr. 3,75. Partition des voix seules fr. 0,75.

Id. *Trois motets a voix mixtes. 1° Caro mea; 2° O quam suavis; 3° Oremus pro Pontifice.* Ibid. Partition avec accompagnement fr. 1; 1,75; 1,75. Partition des parties fr. 0,20; 0,35; 0,55.

Id. *Petit salut.* 1° *Ave Maria:* 2° *O salutaris;* 3° *Tantum ergo.* Ibid. Partition avec accompagnement fr. 3,75. Partition des voix seules fr. 0,75.

M. de la Tombelle est un musicien de talent. Son style est original, limpide et délicat. Ses formules musicales sont bien construites et heureusement développées; elles interprètent avec sincérité les paroles liturgiques. Il est regrettable que l'auteur se soit permis dans le *Gloria* et l'*Ave Maria* certaines omissions et certains arrangements du texte qu'on ne peut justifier.

L'abbé F. Brun. *Les saluts grégoriens.* 8 série, 1e livraison. Lyon, Janin, 1911. F. 2.

V. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 723.

Ce fascicule comprend l'accompagnement des litanies de Saint Joseph, du répons *Fidelis Servus*, de la prière à Saint Joseph *Virginum custos.*

A. De Meester.

H. Van den Berghe, J. C. D. Ill. ac Revmi D. Episcopi Brugensis Vicarius Generalis. *Ordo Missæ seu precum et cæremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica.* Brugis, C. van de Vyvere, 1911. In-18, xiv-252 p. Fr, 1,25; relié en percaline, 1,50 fr.

Id. *Meditationes et examina* ad usum sacerdotis recollectionem menstruam instituentis — 2a ed. Ibidem. 146 p. Fr. 0,60; relié en percaline fr. 0,85.

Quamplurimi ex lectoribus nostris manibus terent, ut vehementer exoptabat in primæ editionis approbatione Illmus Episcopus Brugensis, opusculum olim ab Amplissimo D. Van den Berghe, tunc Seminarii Brugensis Præside, conscriptum, et propria experientia jam norunt quam utilis sit hæc interpretatio theologico-ascetica cæremoniarum et maxime precum missæ et quam sit « hæc opella solidæ pietati in litando fovendæ aptissima ».

Novis typis mandatum prostat nunc opusculum, sed adauctum et in duos libellos elegantes et usu facillimos divisum.

In priori, solidæ ac piæ Ordinis Missæ privatæ explicationi, hinc inde recognitæ, accedunt nunc duo appendices de incensationibus et de cœremoniis ad cantum Evangelii in missa solemni. Multum etiam adauctæ preces diversæ in præparationem missæ et in gratiarum actionem, inter quas placet speciatim indigitare seriem Collectarum et Postcommunionum, ex Missali sagaci discretione selectarum.

In altera opella, pro die recollectionis menstruæ ordinata, prostant meditationes et examina in pluribus adaucta et adjectis orationibus pro singula meditatione et nonnullis precibus in modum conclusionis.

Tolle, lege, pie lector, hæc meditare, in his esto.

Raph. Van den Bussche, Pr. *Misboekje.* Uitgave van *Geloofsonderricht,* Brugge, L. Lescrauwaet, 1911, in-24, 96 bl. In percalinen band : fr. 0,40 ; per dozijn : fr. 0,35 ; per 50 ex.: fr. 0,30 ; per 100 ex.: fr. 0,28.

De eerste uitgave van dit *Misboekje,* welke wij verleden jaar (*Collat. Brug.*, t. XV, bl. 319) met genoegen aanbevolen, was na korte maanden uitgeput. Op aandringen van menigen priester, die het eenvoudig maar veel bevattend boekje had leeren kennen en daardoor zelf waardeeren, wordt het *Misboekje* nu, alhoewel van rijkeren omvang, niettemin tegen minderen prijs door *Geloofsonderricht* op nieuw uitgegeven.

Nauwkeurig herzien, in menige plaatsen verbeterd en aangevuld, bevat het nu den *volledigen* tekst van het *Ordo Missæ* in 't latijn met eene nederlandsche vertaling, uit reden van grootere eenheid in 't gebruik, aan *Kerkelijk Leven* ontleend.

Met zijn inleidend onderwijs, en zijn tusschenloopenden uitleg, beide zoo klaar en zoo grondig, met zijne innig-godvruchtige opwekkingen tot vereeniging met den offeraar en werkdadige liefde tot God, zal het *Misboekje* ongetwijfeld het H. Misoffer hooger leeren schatten en godvruchtiger doen volgen.

C. Callewaert.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Interpretare Psalmum XCII : *Dominus regnavit.....*

II

Explica et falsam esse demonstra hanc propositionem 29^{am} damnatam in decreto « Lamentabili » : « *Concedere licet Christum quem exhibet historia multo inferiorem esse Christo qui est objectum fidei* ». Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 524, 661 s.

III

Expone quid sit zelus sacerdotalis.

IV

Paucis describe defectus qui solent impedire puritatem zeli sacerdotalis.

V

Adde aptiora remedia opponenda istis defectibus.

VI

Faut-il être belge pour faire partie, en Belgique, d'un conseil de fabrique?

N. B. — Occasione Exercitiorum spiritualium quæ mensibus Augusti et Septembris, Brugis, Rollarii et Poperingis sacerdotibus tradentur, habebuntur *Lectiones Cantus*. Materia erit ex *Officio Defunctorum* editionis Vaticanæ.

Enixe rogantur RR. DD. Exercitaturi ut hunc librum secum afferre dignentur.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie*. Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen*. Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants*. Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders*. Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter.

PRIJZEN PER EXEMPLAAR. GEBROCHEERD: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

GECARTONNEERD: **met lustrine rugje**, per ex. 40 cent., per 50 ex. 35 cent., per 100 ex. 33 cent.

GEBONDEN: nº 1. Engelsche cartonnage zwarte percaline, roode sneê: per ex. 50 cent., per 50 ex. 45 cent., per 100 ex. 43 cent.

nº 2. Engelsche cartonnage percaline, gouden sneê met verguld platte, per ex. 66 cent , per 50 ex. 61 cent., per 100 ex. 59 cent.

nº 3. Leder Grenat, goude sneê, ronde hoeken, platte rijk verguld, lintje en étui: per ex. fr. 1,50, per 50 ex. fr. 1,40, per 100 ex. fr. 1,35.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi*, Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. De Meester. *De la protection et propriété des objets d'art et des documents d'histoire conservés dans les églises*. — Extrait des *Collationes Brugenses*, t. XVI, 40 p. Fr. 1.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Tum ex Traditione, tum ex ipsa epistola, determina ad quosnam lectores fuerit directa Epistola quæ* ad Hebræos *inscribitur.*

R. Quæ in maxima varietate sententiarum circa quæstionem propositam præferenda videntur, huc reduci possunt: Epistolam fuisse scriptam **ad Judæo-Christianos,** videtur indubium (1); indubium quoque eam fuisse directam, **non ad omnes** Judæo-Christianos, sed ad **determinatam quamdam communitatem** (2); hæc communitas, saltem probabilius, quærenda videtur, non Alexandriæ, aut Romæ, aut in alia quadam civitate extra-Palæstinensi, sed est ipsa **Ecclesia Hierosolymitana** (3).

I. Epistola fuit directa **ad Judæo-Christianos,** non autem ad Ethnico-Christianos (1). — Hoc eruitur:

1. Ex *Traditione.* Antiqui enim communius tradiderunt epistolam fuisse ad Ecclesiam Hierosolymitanam, adeoque ad Judæo-Christianos, directam (infra); præterea validum præstat argumentum ipse titulus: πρὸς Ἑβραίους: etenim, etsi epistolæ nulla sit inscriptio, qualis solemnis erat omnibus epistolis Pauli, nec lectores ullibi, sive in initio, sive in fine, sive in corpore epistolæ, designenter explicito nomine aut qualitate

(1) Est hæc 1ª sententia fere communis. — Pro ethnico-christianis citantur Schürer, Weizsacker, Pfleiderer, Von Soden. Cfr. Jacquier, *Hist. des Livres du N. T.* (4ᵉ édit.), p. 417 ss.

sua, — nihilominus, a prima antiquitate videmus epistolam cognosci et adhiberi et in collectionibus epistolarum occurrere illo titulo insignitam : ita apud Patres Alexandrinos (Panthænum, Clementem Alex., Origenem) et Occidentales (Tertullianum) ; idem titulus occurrit in primis codicibus (Sinaitico, Alexandrino, Vaticano), in antiquissimis quoque versionibus. Unde titulus hic, etsi non sit ab ipso auctore, sed potius a collectore variarum epistolarum, altissimam traditionem repræsentat. Jamvero nomine Ἑβραίων, etsi non semper iidem, nullibi tamen Ethnico-, sed Judæo-Christiani designantur.

2. Ex *ipso tenore epistolæ*. Etenim :

a/ *Finis* totius epistolæ est ut omni modo, theoreticis doctrinis et practicis monitis lectores, ex dubiis et torpore suo resurgant, et *avertantur a regressu in Judaismum* (1). Quare iis ostendit plenitudinem salutis ipsis in Christo præstitæ, et certitudinem futuræ salutis : œconomia enim Veteris Testamenti, in se insufficiens et imperfecta, tota figurativa et jam a Christo abrogata, ipsis præstare nequit omnia illa pretiosa quæ, relinquendo fidem Christi, amittent.

b/ *Argumenta* quibus hanc suam thesim propugnat, minime petuntur ex ratione, ut obvium esset fieri si epistola ad Ethnico-Christianos scriberetur, sed unice demonstrando excellentiam religionis christianæ præ religione judaïca : nimirum, tum mediator N. T., Christus Jesus, tum sacerdotium ipsius, prævalent præ mediatoribus V. T. (Angelis et Moysi) et sacerdotio sacrificioque ejusdem. — Præterea hæc omnia evolvuntur et probantur recurrendo continuo ad textus scripturisticos V. T. (2). In Judæo-Christianos, non autem in Ethnico-Christianos quadrat talis argumentandi ratio.

---

(1) Cfr. III, 14; VI, 1; X, 12, 23; XIII, 9-15.

(2) Præter 47 allusiones indubias ad varia loca V. T., 29 citationes directæ occurrunt.

c/ Tandem plura *indicia specialia* unice lectoribus Judæo-Christianis conveniunt: auctor seipsum exhibet ut loquentem ad alios Judæos, quorum patribus Deus olim locutus est in Prophetis, quibus ipsis novissime locutus est in Christo (I, 1 s.) (1). Item ex descriptione sanctuarii, cultusque levitici, ex enumeratione variarum præscriptionum de cibis, potibus, baptismatibus, etc. (2), concludere debemus auctorem apud lectores suos supponere quam accuratam notitiam institutionum judaicarum, templi quoque et cultus judaici, imo talem notitiam, qualem lectores habere non potuerint ex mera relatione ab aliis accepta, sed ex quotidiana practica experientia (3).

II. Epistola non fuit directa ad omnes Judæo-Christianos (4), sed ad **determinatam quamdam Ecclesiam** (5).

Huic sententiæ aperte favet *Traditio,* qualis infra, ad **III** refertur. — Quod vero spectat *ipsam epistolam*, deest quidem in ea omnis inscriptio et subscriptio; nil in ea indicat, explicito saltem modo, occasionem ipsius aut relationes quæ vigebant inter auctorem et lectores; tandem scripta est modo valde schematico, styloque omnino litterario aut eleganti; — ast ex his omnibus apparet scriptum nostrum non fuisse concinnatum ad modum epistolarum S. Pauli, sed inde minime eruitur eam non potuisse dirigi ad determinatos lectores.

Contra, quod revera determinatos lectores alloquitur auctor apparet ex multis: lectores enim suos bene novit: V, 11 s.; VI, 10; in memoriam revocat eorum certamina

(1) Cfr. adhuc II, 16; IV, 3, 9; VI, 18; XIII, 9-13.

(2) Cfr. VII, 5, 11, 26 s.; IX, 2-9, 13, 19, 25; X, 1 ss.; XI, 25.

(3) Quæ huic sententiæ nostræ (I) opponuntur, cum eorum solutione, vide apud Jacquier, *o. c.*, pp. 418 s., et *Dict. de la Bible,* art. *Hébreux, (Épitre aux).*

(4) Ita voluerunt pauci, ut Reuss, Baur, aliique, æstimantes epistolam nostram esse potius tractatum systematicum theologiæ christianæ.

(5) Nulla ratio cogit ut admittatur sententia juxta quam epistola fuisset directa ad quamdam ecclesiam privatam et domesticam, restrictum quemdam circulum fidelium.

pro fide, X, 32, eorumque caritatem, X, 34; ipsis nuntiat liberationem Timothei, suumque et Timothei ad ipsos adventum, adnectitque salutationem et bonorum apprecationem, XIII, 22-25 (1).

III. Epistola fuit, probabilius saltem, directa ad Judæo-Christianos **Ecclesiæ Hierosolymitanæ** (2).

Huic sententiæ favet

1. *Traditio* fere tota, qualem referunt Panthænus, Clemens Alex., Eusebius, Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Theodorus Mopsuestenus (3). — Ipse quoque titulus προς Εβραιους magis obvie et, in Novo Testamento magis ordinarie Judæo-Christianos Palæstinenses designat.

2. *Ipsa Epistola.* — Omissis enim pluribus factis ad quæ in hac epistola fit allusio quæque optime quadrare videntur in Judæo-Christianos Hierosolymitanos (4), bene quoque convenit quod ecclesia ad quam scribitur supponitur tota constituta ex Judæo-Christianis, ita ut de Ethnico-Christianis nulla fiat mentio: quod optime congruit Hierusalem, minime autem Romæ. — Item quæ de institutis judaicis referuntur supponunt, ut diximus supra (I), talem notitiam accuratam qualem lectores unice ex experientia et visu quotidiano haurire

---

(1) Gratuito omnino quidam authentiam horum vss. negare voluerunt.

(2) Hæc sententia est plerorumque catholicorum. Ipsi fuerunt oppositæ aliæ Ecclesiæ variæ, puta Corinthiaca, Thessalonicensis, Antiochena, Galatiæ; potissimum autem *Alexandrina* (ita Schmidt, Hilgenfeld, aliique citt. apud Jacquier, *o. c.*, p. 422) et *Romana* (ita Holtzmann, Von Soden, Zahn, Renan, Harnack, aliique. *Ibid.*).

(3) Nec vim hujus antiquorum testimonii evertunt qui dicunt hanc opinionem eorum ortum duxisse ex eo quod false interpretati sunt titulum πρὸς τοὺς Ἑβραίους, de Judæo-Christianis aramaice loquentibus et *in Palæstina commorantibus*, dum unice designasset *Judæo-Christianos in genere*, in oppositione ad Ethnico-Christianos. Gratuitò enim supponunt traditionem de ecclesia lectorum a titulo isto ortum duxisse: traditio enim de lectoribus hierosolymitanis æque antiqua apparet ac ipse titulus epistolæ. — Cæterum minime falsa est interpretatio quæ Ἑβραίους de Judæo-Christianis Palæstinensibus intelligit.

(4) Cfr. V, 12; VI, 1-3; X, 32-34; XII, 4; XIII, 7.

potuerint: quod iterum bene Palæstinensibus et potissimum Hierosolymitanis convenit; nec in alios quadraret, quod tam instanter inculcat auctor: non esse calamitatem quod in cultu templi partem habere non possint (1). — Fatemur tamen hæc argumenta, ab intrinsecis deprompta rem non conficere (2).

A. VANDER HEEREN.

---

(1) Cfr. V, 12; VI, 1-3.

(2) Quare omittimus varia argumenta *pro* aut *contra* afferri solita: sunt utique indicia quæ omni valore non destituuntur, ast rem certam facere nobis non videntur. Ita: quod epistola redolet ideas et tendentias scriptorum judaïcorum *Alexandriæ*, eorumque modum spiritualem interpretandi Scripturam, — *si* quid probaret, originem alexandrinam *auctoris*, non *lectorum* probaret. — Item argumentum præcipuum quod in favorem ecclesiæ *Romanæ* adducitur ex XIII, 24, intentum minime probat. « *Salutant vos de Italia fratres* ». (Hoc argumentum, sicut et omnia reliqua quæ in favorem Romæ adducuntur, vide potissimum evoluta apud ZAHN, *Einleitung in das Neue Testament* (2a edit.). II, pp. 144 ss.). Non est obvium, ait ZAHN, quod auctor talia scriberet, si ipse in Italia nunc scriberet: diceret enim vel: « Salutant vos fratres qui circa me sunt », vel « fratres qui sunt in tali vel tali civitate » ubi scribit. Unde, obvium est cogitare auctorem extra Italiam degere. Unde ex christianis quibus circumdatur eligit Italianos: cur? nisi quia hi specialem relationem habent ad lectores: hæc autem specialis relatio vix alia cogitari potest quam quod et ipsi lectores Italiani sunt: Vestri concives salutant vos. — Hisce videtur nobis ZAHN modo utique possibili XIII, 24 explicasse, ast suam interpretationem minime probavit admittendam: cur enim, scribens ad Hierosolymitanos, ex Italia, puta ex portu quodam aliave civitate suis lectoribus ignota, non esset obvium quod ipsis deferret salutationem eorum fratrum qui sunt de Italia, seu Italiani? — Imo, si extra Italiam degeret adeoque etiam alios quam Italianos circa se haberet, nonne obvie adderet salutationem etiam fratrum illius loci ubi degit? — Similiter quæ *Hierusalem* opponuntur ab adversariis, rem non probant. Ita, omissis variis (II, 3; V, 11 s; VI, 10, etc.): Auctor, aiunt, ad aramaice loquentes scripsisset *aramaice*, non græce. Ast lingua græca, utpote jam satis internationalis facta, nota erat etiam in Palæstina; — cæterum in conventibus publicis, præpositorum erat epistolam vertere et interpretari, ut jam diu in synagogis judaicis fieri solebat; tandem, si auctor aut redactor epistolæ fuerit magis forte peritus linguæ græcæ quam aramaicæ, nonne obvie scribit lingua quam ipse melius notam habet?

II

Q. *Quomodo a nobis cognosci potest Jesum esse Deum.*

R. **Prænotandum.** Neminem latet nostris diebus non tam dogmata ipsa, quatenus res sunt naturali rationi imperviæ, impugnari, quam ipsam cognitionem, et in specie fidem ipsam, qua dogmata tamquam vera a Deo revelata tenemus (1). Quapropter utile visum est hic breviter indicare qualis sit *origo* ac qualis *natura* cognitionis qua possumus cognoscere Jesum esse Deum.

I. De *origine* prædictæ cognitionis.

1/ Hanc *non a priori discurrendo* acquirere possumus: etenim naturalis nostra de Deo cognitio tota derivatur ex rebus sensibilibus, quas dum intellectu cognoscimus ut effectus, inde logice inferimus existere aliquam causam primam, incausatam, infinitam in perfectione. Hæc nostra de Deo cognitio est *mediata* ac *analogica*.

Jamvero nequimus ex Dei perfectione naturaliter cognita deducere vel necessariam esse Incarnationem, vel factam esse aut faciendam: imo nec ejus possibilitatem positive demonstrare valemus; possumus autem demonstrare Incarnationem, si facta sit, libere a Deo factam esse: horum omnium ratio est quia Incarnatio non est effectus necessario connexus cum aliqua Dei perfectione.

2/ Quæritur jam utrum, supposita Incarnatione, possimus ex actis aut factis ejus qui sit homo-Deus, deducere hunc esse Deum; nempe utrum ex ejus modo loquendi ac agendi, citra testimonium expressum quod ipse de se reddere velit, possimus concludere hunc, qui

---

(1) Non semel dictum est modernismi errorem funditus sistere in perversa notione de *cognitione* et de *veritate*. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 116 ss., p. 195 ss. « Ce qui, à l'heure qu'il est plus que jamais, divise les Protestants *orthodoxes* et les Protestants *modernes*, c'est donc en somme, la question de savoir *ce qu'est la vérité* ». E. Van Roey, *L'Église catholique et l'hérésie moderniste*, in *Revue générale*, 1908, Août, p. 168.

sic agit, esse Deum, et sic *a posteriori* discurrendo, ex effectu ad causam, concludere Ejus divinitatem.

Hoc videtur negandum, saltem quando agitur de cognitione omnino *certa*. Et sane, omnes locutiones ac operationes illius personæ, quæ, ex hypothesi, esset homo-Deus, nobis in tantum innotescunt in quantum eliciuntur proxime a facultatibus humanis et remote a natura humana: quamtumvis essent extraordinariæ et mirabiles illæ actiones, non aliud possemus logice concludere quam illum hominem esse præternaturali aut supernaturali virtute a Deo donatum vel speciali modo unitum Deo: Deus enim mero homini communicare potest cognitionem extraordinariam, puta futurorum, et etiam aliquo modo potentiam patrandi miracula (1). Igitur mediantibus operationibus ab homini effectis non possumus inducere hunc esse Deum.

3/ Remanet ut in tantum cognoscibilis sit divinitas Christi in quantum hæc nobis *revelatur* a Deo (2).

Revelatio active spectata est: « actio Dei specialis qua mentem suam creaturæ significat, hoc significatum ceu verbum suum testando seu auctoritate sua muniendo » (3).

---

(1) Hoc præsertim valet in sententia S. Thomæ explicantis quomodo Christus, *ut homo*, patraverit miracula: cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 443.

Etiam ad apodictice demonstrandam Christi divinitatem non valere censemus argumentum desumptum ex hoc quod Christus dixerit: « Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico): Tibi dico, surge... » *Luc.*, V. 24. Merus enim homo potest a Deo habere potestatem dimittendi peccata, sicut sacerdos catholicus habet et fieri posset ut concederet Deus hominem hunc patrare miraculum in confirmationem hujus potestatis sibi traditæ.

(2) Hac in terra, omnis nostra intellectualis cognitio habetur a/ vel per hoc quod alicujus propositionis evidentia statim nobis affulgeat ac intelliguntur ipsi termini; b/ vel per hoc quod *ratiocinando* conclusionem ex præmissis inferimus: hæc porro est aut *a priori*, aut *a posteriori*; c/ vel per hoc quod veritatem ab alio *per testimonium* accipimus. Cf. De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 177 ss.; n. 161 ss. Hic non loquimur de intuitiva Dei visione.

(3) Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 299.

Incarnationem, sicut quamlibet veritatem aut factum, Deus revelare potest: *5/ immediate* alicui homini, ad modum quo prophetæ acceperunt cognitionem a Deo (1), vel multis hominibus, modo simili quo Deus locutus est in baptismo Christi: « Hic est filius meus dilectus » (2); *6/* vel etiam *immediate* per ipsum Deum incarnatum, quatenus hîc testatur se esse Deum et miraculis confirmat suam assertionem; *7/* vel *mediate*, nempe mediante magisterio hominum, quibus incarnationem Deus revelaverit et qui hanc acceptam notitiam transmittunt, simul patefaciendo sui ipsorum, tamquam testium, scientiam ac veracitatem.

De facto divinitas Jesu Christi nobis revelata fuit explicite ab Ipso (3), qui, dum in terra degebat, se esse Deum docuit et miraculis confirmavit veritatem suæ doctrinæ; hanc a Christo factam revelationem ac miracula nobis testificati sunt testes fide digni, nempe Evangelistæ: sic jam cum certitudine cognoscere possumus divinitatem Christi.

Præterea Ecclesia catholica, quæ infallibilis est in definiendo veritatem religiosam, definivit a Deo esse revelatum Jesum esse Deum (4).

Etiam Ecclesia catholica ut a Deo inspiratos et proinde in docendo infallibiles tenet quosdam libros, quorum alii narrant nobis revelationem ab ipso Christo factam, nempe evangelia, alii docent ipsam Christi divinitatem, v. gr. quædam epistolæ S. Pauli, prologus evangelii S. Joannis, etc.

Igitur, abstractione facta a *privata* revelatione qua Deus potest alicui revelare divinitatem Christi, homines hanc

---

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, p. 302 ss.; Camerlynck, *Collat. Brug.*, t. XV, p. 160 ss.

(2) *Matth.*, III, 17. Hæc tamen verba non videntur per se sola sufficere, *quoad nos*, ut inde cognoscamus Jesum esse Deum; sed potuisset Deus in prædicta occasione omnino explicite quoad nos docere Jesum esse Deum.

(3) In Veteri Testamento saltem implicite fuit hoc revelatum; sed, ut videtur, non erat sufficienter revelatum ut ab omnibus fuisset explicite credendum; non erat objectum revelationis *publicæ*. Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, p. 300.

(4) V. gr. in concilio Nicæno, a. 325. Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, n. 54.

cognoscere valent testimonio ipsius Christi transmisso vel per evangelia considerata ut libros historicos fide dignos; vel per magisterium Ecclesiæ catholicæ infallibile.

II. De *natura* actus cognoscitivi in præsenti materia.

Testimonio divinitus edito de aliqua re correspondet ex parte nostra *fides*, nempe intellectus assensus ad rem testificatam propter auctoritatem Dei revelantis. Hic est actus fidei meritorius (1).

Conclusio. Divinitas Christi cognoscibilis non est per ratiocinium *a priori*, vel *a posteriori;* cognosci potest tantum per *revelationem* cui adhæremus *credendo*.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Breviter expone doctrinam protestanticam circa naturam sacramenti.*

R. Juxta Protestantes plerosque sacramenta sunt symbola ad hoc tantùm ordinata et efficaciam habentia ut fidem seu potius fiduciam excitent: sunt signa, pignora promissionum divinarum, signanter promissæ remissionis peccatorum, quibus signis fiducia excitetur in corde suscipientium ac circumstantium. Sacramentùm proinde habent quasi concionem, prædicationem, ad proponenda promissa divina misericordiam et remissionem spirantia; unde etiam verba, quibus qua præcipuo elemento constat sacramentum, exhibent uti merè concionalia (2), non autem uti consecratoria, quemadmodum vult doctrina catholica.

---

(1) Hic actus distinguitur ab alio quod est credere *propter evidentiam in attestante,* h. e. credere formaliter et unice quia evidens intellectui est quod in testificando testificans nec falli potuit nec fallere. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 628, t. XIV, p. 477.

(2) Ideo solent Protestantes urgere ut administrationi sacramenti instructio catechetica præmittatur, qua mediante ipsa sacramenti collatio efficacius percellat animos, eosque ad fiduciam concipiendam promoveat; ideo etiam volunt « Baptismum diebus dominicis et festivis

Qui conceptus de natura et efficacia sacramentorum logice connectitur cum systemate protestantico circa justificationem.

Nimirum Protestantes docent hominem, utpote qui substantialiter est vitiatus in peccato originali, non posse justificari interna sanctificatione, interna justitia: non delentur peccata nec aufertur peccati macula; peccata obteguntur dumtaxat, quatenus nobis imputatur justitia Christi, ac ob nobis ita communicatam justitiam Christi jam non imputantur nobis peccata. Jamvero justitia Christi nobis imputatur per fidem, i. e. per fiduciam qua confidimus nobis remitti seu non imputari peccata.

Exinde sequitur officium ac munus sacramentorum, in œconomia justificationis ad hoc unicum reduci ut promoveant ac excitent fiduciam illam remissivam peccati.

Circa descriptam doctrinam Protestantium cf. ulterius SASSE, *l. c.*, p. 44-54; PESCH, *Prælectiones dogmaticæ*, 3ia ed., Friburgi Brisgoviæ, 1908, VI, nn. 113-117 et 131 s., et præ cæteris SCHANZ, *Die Lehre von den h. Sacramenten der kath. Kirche*, Freiburg i. B., 1893, p. 65-76, coll. *Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche*, Leipzig, 1906, VII, v° *Sakrament*.

Nota. A doctrina protestantica parum differt theoria modernistarum: Juxta hosce, uti monet Pius X, in encyclica *Pascendi* (1), nuda sunt symbola seu signa, ad sensum religiosum fovendum ordinata, signanter ad renovandum præsentiæ divinæ memoriam (2).

---

publicè in cœtu fidelium celebrandum et verba formæ alta voce, ut ab omnibus audiri possint, proferenda esse ». SASSE, *Institutiones theologicæ de sacramentis Ecclesiæ*, Friburgi Brisgoviæ, 1897, I, p. 51.

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 613.

(2) Cf. verba LOISY, in opere *L'Evangile et l'Eglise*, cujus assertum, iisdem usurpatis Auctoris verbis, reprobat Decretum *Lamentabili*, in propositione 41 (*Collat. Brug.*, t. XII, p. 525): « Sacramenta eo spectant ut in mentem hominis revocent præsentiam Creatoris semper beneficam ». Cf. *Stimmen aus Maria-Laach*, 1908, I, p. 502.

IV

Q. *Expone ac vindica assertum: Pro valore sacramenti non refert fides aut probitas ministri.*

R. **Prænota.** Sufficit ostendere ad sacramenti valorem non requiri *fidem* in ministro: si namque sacramenti valor potest consistere absque fide ministri, a fortiori potest convalescere sine ministri bonitate, quippe quæ fidem præsupponit.

Quibus prænotatis:

I. Ad **constitutionem sacramenti,** seu signi practici gratiæ, non requiritur fides ministri.

Etenim constituitur sacramentum materia et forma, tanquam elementis physice constituentibus, ac intentione ministri, intentione scil. agendi nomine et auctoritate Christi, qua mediante intentione virtus principalis Agentis Christi in signum sacramentale derivetur.

Jamvero intentio illa ministerialis optime potest adesse in ministro hæretico vel infideli, etiam in illo qui signo conficiendo omnem denegat dignitatem sacramentalem: non postulatur namque intentio explicita, ita ut minister agere intendat nomine Christi distincte et determinatè; sufficit intentio implicita, quæ contineatur in alia voluntate, puta faciendi quod facit Ecclesia, conferendi aliquid sacrum (1), ponendi ritum externum juxta mentem catholicorum.

II. Non requiritur fides in ministro **tanquam conditio sine qua non** ad valorem sacramenti.

Potuisset quidem Christus Dominus positiva voluntate sic disposuisse ut sacramentum, quantumvis in suis elementis constitutivis perfectum, non convalescat

---

(1) « Licet (minister) credat per id quod agitur exterius nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia catholica intendit per hujusmodi quæ exterius aguntur præbere sacramentum; unde, non obstante infidelitate, potest intendere facere id quod facit Ecclesia licet æstimet id nihil esse ». Ita S. THOMAS, 3ia Pars, qu. XIV, art. 9, ad 1m.

nec validum evadat, nisi quatenus a fideli ministro conficiatur: ad modum quo ad valorem sacramenti requiritur penes subjectum intentio suscipiendi sacramentum, non tanquam elementum constitutivum, sed tanquam conditio sine qua non.

Atvero Salvatorem de facto aliter disposuisse

A/ *Probatur ex Doctrina Ecclesiæ:*

1° *Concilium Tridentinum,* Sess. VII, can. 4, *de baptismo,* sub anathemate docet verum esse baptismum, qui « datur *ab hæreticis* in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia ». Quod autem explicite docetur de baptismo, meritò extenditur ad reliqua sacramenta, quorum disparem esse conditionem nihil est quod suadeat: unde doctrina quæ pro baptismo est de fide, aliis sacramentis applicatur ab Auctoribus tanquam doctrina theologice certa, vel etiam fidei proxima (1).

2° *Sacra Congregatio Sancti Officii,* in Instructione anni 1817 ad Episc. Nesqualliensem, urget « dogma fidei esse Baptismum a quocumque sive schismatico sive hæretico, sive etiam infideli administratum, validum esse habendum, dummodò in ejusdem administratione singula concurrerint quibus sacramentum perficitur, scil. debita materia, præscripta forma et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia ». Unde deducit ipsa S. Congr. « errores peculiares, quos ministrantes, sive privatim sive etiam publice, profitentur nihil officere posse validitati baptismi, vel *cujuscumque sacramenti* » (2).

3° Hæc fuit ab ipsis primordiis doctrina et praxis Ecclesiæ Romanæ, eaque fuit a S. Sede energicè

---

(1) Idem Concilium Tridentinum, Sess. VII, can. 12, *de sacramentis in genere,* uti doctrinam de fide tenendam ac omnibus sacramentis applicabilem, docet « ministrum *in peccatis existentem,* modò omnia essentialia quæ ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent servaverit », conficere aut conferre sacramentum.

(2) *Collectanea* S. C. de P. F., n. 659.

vindicata, præ cæteris in notissima controversia de rebaptizatione illorum qui ab hæreticis fuerant baptizati; quæ controversia sæculo tertio viguit maximè in ecclesia Africana, sub ductu S. Cypriani.

S. Episcopus Carthagenensis, fretus locali consuetudine regionis suæ, nervose contendebat conversos ob hæresi, in qua fuerant baptizati, esse rebaptizandos, eamque thesim ac praxim tueri non destitit, etiam postquam in hoc expresse fuerit reprobatus a S. Stephano Pontifice Romano. Hic nimirum inhæsitanter sustinuit validitatem baptismatis ab hæretico collati, ac constanter damnavit consuetudinem iterum baptisma conferendi conversis in hæresi ablutis: in hoc autem confidenter provocabat ad traditionem Ecclesiæ universim, inquiens: « Si qui ergo a quacumque hæresi veniant ad vos, *nihil innovetur nisi quod traditum est,* ut manus illis imponatur in pœnitentiam » (1), i. e. reconcilientur absque baptismi iteratione (2).

B/ *Confirmatur ex ratione theologica.*

Sane si ad valorem sacramenti requireretur fides in ministro (et a fortiori si postularetur probitas), quoties in dubium vocaretur sacramenti existentia: quot anxietatibus præberetur ansa!

Corollarium. Si pro *valore* sacramenti non refert fides aut probitas ministrantis, sic nec refert pro ejusdem sacramenti *efficacia.*

Nimirum a/ non requiritur fides aut probitas ut elementum *positive influens* in gratiæ collationem. Sacramenta enim operantur ex opere operato, i. e. ipsum

---

(1) Sunt verba S. Stephano adscripta ab ipso S. Cypriano, in Epist. LXXIV, 1 (Ed. *Hartel*, 1871, vol. III, P. II, p. 799).

(2) Circa controversiam de qua in textu plura invenies apud TIXERONT, *Histoires des Dogmes,* 2e éd., Paris, 1905, I, p. 392-403; POURRAT, *La Théologie sacramentaire,* 3e ed., Paris, 1908, p. 106-118; ALEX. D'ALÈS, *Dictionnaire Apologétique de la Foi catholique,* vo *Baptême des hérétiques,* col. 390-418; DUCHESNE, *Histoire ancienne de l'Eglise,* Paris, 1906, I, p. 419-450; HÉFÉLÉ-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* Ire, Paris, 1907, p. 172-191.

signum objective spectatum producit infusionem gratiæ, ipsum signum scil. operatur ex virtute in ipsum derivata a Christo Domino, cujus instrumentum existit, quin ullum influxum exerceat dispositio subjectiva ministrantis.

b/ Non requiritur dicta fides aut probitas tanquam removens prohibens, seu ut *negative influens,* quasi defectus probitatis aut fidei constitueret obicem ad gratiæ infusionem. Gratiæ namque infusionem *in subjectum* non excludit defectus fidei vel probitatis *in ministro,* a. v. non datur incompossibilitas inter statum gratiæ in suscipiente ac hæresim aut malitiam in conficiente.

V

Q. *An, undenam et quousque obligatur sacerdos ad ministrandum sacramenta fidelibus rite dispositis illa postulantibus?*

R. I. Sacerdotes qui **curam gerunt animarum** (1):

A. *Ex justitia tenentur per se vel per alium administrare sacramenta subditis illa rationabiliter petentibus.*

B. *Eorum obligatio est ex genere suo gravis, et, respectu subditorum in necessitate extrema vel gravi versantium, urget eos per se ad ministrandum sacramenta cum propriæ vitæ discrimine.*

II. **Animarum cura destituti** *obligantur ex charitate sacramenta conferre fidelibus in necessitate extrema vel gravi degentibus, idque cum periculo vitæ, si necessitas sit extrema, non autem per se, si gravis sit dumtaxat.*

Explicatio.

Ad I, A.

1° Est obligatio *justitiæ,* oriens nempe ex quasi-con-

(1) Tales sunt parochi, ac etiam, proportione servata, rectores hospitiorum ac conventuum, vicepastores et coadjutores, quibus ab Episcopo cura committitur spiritualis, licet regimini pastorali subordinata, certæ cujusdam portionis gregis fidelium. Quousque rectores ac vicepastores in hac re æquiparari possint parochis data occasione exponendum relinquitur.

tractu, in ipsa muneris susceptione inito; sponte autem sua limitatur ad *subditos*, seu ad sponte illos quorum respective curam spiritualem in se susceperit sacerdos.

2° Ad obligationem non requiritur ut per sacramenti administrationem succurrendum sit fidelium necessitati; præsto est dicta obligatio pro quocumque casu in quo sacramentum legitimè postulatur ministrandum, etiam ad devotionem fovendam dumtaxat vel ob spiritualem profectum. Et ita ex officio tenetur parochus res hoc modo disponere ut quotidiana etiam S. Synaxis susceptio non præpediatur; curare debet ut fidelibus pateat ad sacramentalem confessionem accessus, etiam ubi agatur de confessione sic dicta devotionali.

Supponitur utique *legitima* petitio; et sic non est indulgendum qualicumque sollicitationi, quantumvis intempestivæ, ex parte fidelium, sed mensura est servanda infra sanæ rationis terminos, attentis variis variorum locorum adjunctis. Hoc in specie practicum est quod spectat temporis momenta statuenda quibus præsto sistatur sacerdos pro S. Eucharistiæ ac Pœnitentiæ ministratione (1); quod spectat etiam ministrationis frequentiam, puta in gratiam infirmorum ab ecclesia longe distantium, et alia hujusmodi.

3° Profectò non potest parochus omnia per semetipsum præstare, et nihil impedit quominus, congruenti muneris parte sibi reservata, curet ut per alium sacerdotem, puta vicarium, sacramentorum ministrationi opportunè provideatur (2).

Ad I, B.

1° Obligatio est *ex genere suo gravis,* quatenus ejus

(1) In hoc speciatim, nempe in hora statuenda pro confessionibus excipiendis, ratio est habenda diversitatis locorum, quatenus v. gr. tardiori quam alibi hora exspectandi sunt pœnitentes, ubi multi sunt operarii in officinis et fabricis.

(2) Nota dici: « congruenti numeris parte sibi reservata »; et ita officio suo deesset parochus qui, pro confessionibus infirmorum, ministerium suum detrectare soleret, etiam ubi nominatim postulatur a pœnitente, hoc ad vicarium remisso.

transgressio gravem reatum inducit vel levem pro gravitate vel levitate materiæ. Porro gravitas vel levitas materiæ est demetienda juxta gravitatem vel levitatem detrimenti spiritualis ex sacerdotis negligentia exsurgendi, sive apud determinatum fidelem, sive penes ipsam communitatem generatim spectatam.

Quo pacto gravis contrahitur malitia a parocho qui culpabiliter negligit subdito succurrere in gravi necessitate spirituali versanti; pariter non foret a gravi reatu excusandus sacerdos ex cujus negligentia fit ut sacra communio non soleat (1) distribui opportuno tempore, vel ut onerosus esse soleat ac laboriosus ad confessionem accessus ob statuti temporis inconvenientiam, et ita porro: etiamsi namque dicas notabile non esse detrimentum, si fideles individuatim spectentur, non leve est sane damnum inductum, si totam communitatem attendis, quatenus profectus spiritualis universim retardatur et a sacramentorum frequentatione removetur populus fidelis.

2° Obligatio vindicata, quantumvis gravis, non est talis ac tanta ut nulla causa excusetur: dari possunt et dantur rationes excusantes, puta grave incommodum, periculum morbi ex contagione vel vitæ discrimen, sacerdoti imminens ex sacramenti administratione, extra casum necessitatis.

Atvero sunt quædam sacramenta a quorum administratione, datis in adjunctis, *ne ipsum mortis periculum* retinere potest sacerdotem curam animarum gerentem: quotiescumque nimirum agitur de persona ipsi subdita quæ in spirituali necessitate *extrema* vel etiam *gravi* versari contingat; adeo stringens est obligatio illius inopiam sublevandi.

Porro necessitas est *extrema* quando sacramenti ad-

(1) Non loquimur de casu quo administratio sacramenti ex devotione suscipiendi una alterave vice prætermittatur aut indebito tempore peragenda statuatur

ministratio ita urget ut aliter saluti alicujus provideri nequeat, quemadmodum obtinet cum infante moribundo nondum baptizato. *Gravis* est necessitas quando citra sacramenti susceptionem admodum difficile est fideli ut salutæ suæ consulat; casus est passim cum moribundo peccatore contritioni perfectæ eliciendæ minus assueto, qui noscitur ægerrime gratiam consecuturus absque coufessione sacramentali; deberet sacerdos ipsum absolvendum adire etiamsi vita inde in discrimen esset vocanda; idem etiam non improbabiliter diceretur de administratione Extremæ Unctionis (quamvis non soleat sacramentis necessariis adnumerari) (1), in peculiari casu moribundi sensibus destituti, quia cum talibus Extrema Unctio efficacius existit præ Pœnitentia ac securius remedium.

Dictum est: *per se,* quia in exceptionalibus rerum adjunctis posset parochus a sacramenti administratione abstinere etiam cum subdito in gravi necessitate versante, puta quando, supposita mortis periculi imminentia, nullus alius sacerdos adest in regione qui defuncti sacerdotis vices suppleat.

Dicta sub II explicatione non indigent.

Nota. Hucusque descripti limites stricti officii, infra hosce autem limites non coarctetur sacerdotum zelus, sed ultra prosiliat! Impendat sese Christi minister et superimpendat, neque vereatur pro salute fidelium exponere vitam etiam extra gravis aut extremæ necessitatis adjuncta, servato utique moderamine nec neglectis prudentiæ hygienicæ adminiculis! Non modò legitimæ petitioni obsecundet, non modò paratissimum se exhibeat sacramenta sollicitanti, sed etiam desiderio fidelium occurrat, ad sacramentorum frequentationem suos

(1) Benedictus XIV, *De Syn. diœc.*, l. XIII, c. 19, et S. C. C., in decreto anni 1576, ibidem relato, non loquuntur nisi de Baptismatis ac Pœnitentiæ sacramento.

hortetur opportunè et importune, ac nihil omittat quod frequentiam illam promovere valeat.

A. De Smet.

VI

Q. *Quelles sont les conditions d'éligibilité des conseillers de fabrique?*

R. L'article 3 du décret de 1809 établit trois conditions d'éligibilité. Les conseillers de fabrique « seront pris parmi les notables; ils devront être catholiques et domiciliés dans la paroisse ».

I. *Notables* (1).

Le mot notable est emprunté à l'ancien droit. Étaient réputés notables: les personnes ayant des titres de noblesse; celles qui exerçaient des fonctions publiques ou des professions libérales; les propriétaires, bourgeois ou marchands qui payaient une somme déterminée d'imposition.

Sous l'ancien régime (2), dans l'organisation des paroisses comme dans celle des communes, les notables occupaient une place considérable. L'assemblée générale de fabrique réunissait les notables de la paroisse; les marguilliers de charge devaient être des notables, « personnes de distinction, gens de probité, de bonnes mœurs et solvables ».

Le mot notable a évidemment une signification relative et variable; celle-ci dépend des circonstances de temps et de localité, de la nature des fonctions à rem-

---

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie. *Jur. can. et can.-civ. compend.*, edit. 7, n° 977; Prompsault, *Dictionnaire raisonné de droit et de jurisprudence en matière civile-ecclésiastique*, v° notable, Paris, 1849; André, *Cours de législation... civile-ecclésiastique*, v° notable, Paris, 1850.

(2) V. Soenens, *Des fabriques d'églises*, p. 44 s., 49 s., Louvain 1862; Laenen, *Le patrimoine des églises paroissiales et les « provisores ecclesiæ » avant le Concordat*, dans la *Vie Diocésaine*, 1907, t. I, p. 170; Couly, *Les fabriques avant la Révolution française*, p. 91, 135 ss., 205 etc., Toulouse, 1911 etc.

plir, même des modifications apportées à nos institutions publiques.

Étant donné ces différents éléments d'appréciation, on peut dire que la notabilité requise par le décret suppose la considération, l'honorabilité, un certain degré de culture (1) et la solvabilité. Les fonctions de fabricien sont en effet importantes et honorables; elles exigent chez celui qui les assument les qualités morales et intellectuelles nécessaires pour gérer avec sollicitude et prudence le patrimoine des églises et pour assurer la dignité du culte; elles rendent les fabriciens civilement responsables des préjudices causés à la fabrique par leur faute.

Dans ces limites, il convient d'interpréter largement la dénomination de notable et de faire entrer dans la composition des conseils de fabrique des hommes, qui, par leur position ou par leurs relations, représentent réellement la paroisse, pour qu'il soit fait face à tous les besoins et pour intéresser les diverses classes de la société aux manifestations de la vie paroissiale. L'histoire contemporaine de l'Église en France a suffisamment démontré l'utilité d'une telle organisation.

II. *Catholiques.*

La plupart des auteurs sont d'accord aujourd'hui pour reconnaître que les fabriciens doivent être, non pas seulement des catholiques de nom ou de droit, mais encore des catholiques de profession et de pratique (2).

---

(1) Cf. a. 9 et 20 du décret de 1809; DUBALLET, *Cours complet de droit canonique*, T. XIII. *Traité théorique et pratique des conseils de fabrique*, p. 12 s., Paris, 1896.

(2) Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. et l. c.*, n° 979. PROMPSAULT, *o. c.*, v° Conseiller de fabrique, cite les décisions ministérielles françaises du 21 août et 19 octobre 1813, d'après lesquelles il suffirait d'être né dans le catholicisme et de n'avoir pas encore commencé à professer une autre religion. DE CORSWAREM, *Kerkfabrieken*, p. 53, Hasselt 1894, admet qu'il ne serait pas illégal de nommer un catholique libre-penseur; dans son ouvrage français *De la législation civile des cultes*, p. 229, Hasselt, 1904, il a abandonné cette opinion.

Les travaux préparatoires du décret de 1809 (1) en fournissent la preuve. Au début de l'organisation fabricienne, les règlements élaborés par les Évêques décident (2) que: « pour être élu, il faut être catholique, fonctionnaire public dans la paroisse ou l'un des propriétaires les plus imposés de la commune ». Peut-on supposer que les Évêques n'aient pas exigé la qualité de membre avoué et pratiquant de l'Église?

La Section de l'intérieur du Conseil d'État dans son rapport sur l'économie générale du décret de 1809 disait, à propos de la première nomination des fabriciens au choix du préfet et de l'Évêque (3): « Les membres nommés par l'Évêque représenteront plus spécialement les personnes pieuses, pour lesquelles le maintien de la dignité du culte est une affaire de conscience et ceux nommés par le préfet représenteront plus spécialement les propriétaires. Ce n'est pas qu'on ne puisse trouver réunies dans les mêmes individus les conditions qui peuvent offrir une égale garantie aux intérêts des contribuables et à ceux du culte, mais il ne faut point se dissimuler qu'on s'exposerait à une économie sordide et déplacée qui dégraderait la religion, si on abandonnait exclusivement le soin de contrôler les frais des cérémonies religieuses à des hommes qui ne seraient appelés à de telles fonctions qu'à cause de leur fortune et dont les opinions pourraient être peu favorables au culte et à ses ministres ». Le ministre Bigot de Préameneu, dont l'intervention fut décisive dans la rédaction du décret dit bien plus explicitement dans son rapport de juillet 1809 (4): « les fonctions qu'ils (les fabriciens) auront à remplir sont de pur zèle...; elles ne sont acceptées que par attachement à

(1) *Le Mémorial belge*, 1870, 2e sér., t. VI, col. 337-367, 513-591.
(2) *Ibid.*, col. 342.
(3) *Ibid.*, col. 354.
(4) *Ibid.*, col. 511 s.

la religion...; ce sont des fonctions de zèle religieux...; les fabriciens doivent être zèlés et irréprochables... dignes de représenter la paroisse ».

Le projet de décret de la Section de l'intérieur, dans une matière analogue portait (1) à l'art. 6 : « le maire doit *professer* la religion catholique ».

On sait que le projet fut soumis aux observations des Évêques. Ceux-ci réclamèrent contre les articles 4 et 5 du règlement, disposant que le maire était membre de droit du conseil de fabrique (2). Bigot de Préameneu, se rangeant à l'avis des Évêques, conclut (3) : « Il n'y a point donc d'utilité à ce que de droit, il (le maire) figure en cette qualité dans le conseil de fabrique. Si, comme il est certain, il ne peut y avoir sa voix que comme simple notable, il faut que comme les autres notables, il soit nommé à raison de ses sentiments d'attachement à la religion ».

Un catholique de nom, libre-penseur ou indifférent, n'a sûrement pas les qualités voulues par les auteurs de la législation fabricienne.

III. *Domiciliés dans la paroisse.*

On discute sur la nature du domicile mentionné à l'art. 3; toutefois la jurisprudence (4) et la doctrine s'accordent à dire que ce domicile doit exister *dans la paroisse*. Conséquemment un fabricien, qui s'établit ailleurs perd *ipso facto* la qualité de fabricien.

Si dans les villes, ce principe est sacrifié à la pratique contraire, ce n'est que par tolérance de la part des

---

(1) *Ibid.*, col. 360.

(2) *Ibid.*, col. 586 s. Un des motifs invoqués par les Évêques était qu'il put se faire qu'un maire ne fut point catholique.

(3) *Ibid.*, col. 586 s.

(4) Documents cités par la *Revue catholique de droit*, 1909. nouv. sér. t. I, p. 206; STANDAERT, *Manuel de l'administration des fabriques d'églises*, p. 73, note 1, Gand, 1910. Ar. roy. 16 juillet 1879, *Moniteur*, p. 2441; lettre ministérielle 7 sept. 1906 ap. *Collat. Brugen.*, t. XII, p. 344. On ne peut invoquer ces documents pour déterminer la nature du domicile, dont il est fait mention à l'art. 3.

administrations supérieures. Exception cependant est faite pour le bourgmestre qui est membre de droit de toutes les fabriques de sa commune (a. 5 du décret de 1809).

Comme nous le disions plus haut, les auteurs sont divisés sur la question de savoir de quel domicile parle l'article 3.

1. Certains estiment (1) qu'il s'agit du domicile légal qu'on a au lieu de son principal établissement, au centre de ses intérêts et de ses affaires (a. 102, cod. civ.). Le mot « domicile », disent-ils, a une signification nettement définie et il a du être entendu en ce sens par les auteurs du décret, dont plusieurs avaient activement collaboré à la rédaction du code civil.

2. Mais communément les auteurs (2) sont d'avis que les mots « domiciliés dans la paroisse » doivent s'entendre d'une résidence, non pas accidentelle et passagère (3), mais habituelle et suffisante pour valoir au fabricien la qualité de paroissien.

Cette opinion est fondée :

a/ *Sur l'esprit du décret.* Les seuls membres de la paroisse auront intérêt à la bonne gestion du patrimoine de la fabrique; eux seuls prendront à cœur de pourvoir aux nécessités et à la dignité du culte dans leur église ; leur présence assidue dans la paroisse leur permettra de remplir les fonctions qu'ils auront acceptées. Aussi

---

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 980, où ces auteurs sont énumérés.

(2) Cf. *Ibid.;* à ces autorités on peut ajouter: Duballet, *o. c.*, p. 10 s.; de Corswarem, *De la législation civile des cultes*, p. 229; *Rev. cath. de droit*, 1909, nouv. sér., t. I, p. 205 s.; lettre de Mgr Malou au Gouv. de la Fl. Occident. (19 fév. 1853) et autres documents connexes ap. *Coll. Epist. Pastor.* t. VII, p. 214-234. André, *l. c.*, estime qu'il faudrait le domicile civil avec la résidence habituelle. Cette opinion mérite d'être sérieusement prise en considération.

(3) Un catholique notable ayant un domicile de droit dans une paroisse, mais se bornant à y faire de rares apparitions ne remplirait pas les conditions requises.

les travaux préparatoires du décret de 1809, supposent que les fabriciens sont des paroissiens, habitants de la paroisse, notables de la paroisse qu'ils doivent représenter. Que si, dans ces documents on trouve parfois l'expression « habitant la commune » celle-ci n'a point été reprise dans le texte de l'art. 3.

b/ *Sur le texte du décret.* Celui-ci dit en effet que les paroissiens devront être « domiciliés dans la paroisse ». Or, civilement on n'est pas domicilié dans la paroisse, et le domicile paroissial importe la résidence réelle et habituelle (1).

Aussi, dans une traduction officielle du décret, imprimée à Malines le 26 décembre 1810 (2), l'article 3 est traduit en ces termes : « zij zullen genomen worden onder de voornaemste leden, van de katholijke religie moeten zijn en *onder de parochie moeten wonen* ».

Il est vrai qu'en pratique la résidence habituelle se confond presque toujours avec le lieu du principal établissement ; toutefois des conflits peuvent se produire et il importe pour leur solution, d'être éclairé sur la portée exacte de l'article 3 du décret de 1809.

A. De Meester.

---

(1) Cf. la lettre citée de Mgr Malou, *o. c.*, p. 217.

(2) Lettre très intéressante du président du bureau des marguilliers de l'Église St-Pierre à Ypres, à l'autorité communale, 26 janv. 1853, *ibid.*, p. 229 ss.

De festis nuperrime suppressis

nova decreta et declarationes.

Circa recens Motu-proprio de diebus festis (1), ut non ægre prævideri poterat, plura mota sunt dubia et instantes ad S. Sedem delatæ sunt petitiones (2). Quibus S. Congregationes Rituum et Concilii occurrerunt per decreta et declarationes, quæ, nonnullis adnotationibus præmissis, hic subjungimus.

I. *In honorem S. Joseph*, duo recoluntur festa:

a/ Festum natale, die 19 martii, quod manet ritus duplicis primæ classis et primarium (3) et sine octava (4), sicut ante Motu-proprio, sed sine feriatione et sub titulo: *Commemoratio solemnis S. Joseph, Sponsi B. M. V. confessoris.* (Decr. I, n. 1). Quoad hoc festum mutationes nuperrime statutæ feliciter revocatæ sunt.

Ceterum si festum illud occurrerit in Dominica Passionis aut in Hebdomada Majori transfertur in feriam II immediate subsequentem Dominicam Passionis vel in feriam IV post Dominicam in albis (S. R. C. n. 3789) nisi his feriis occurrerit festum aliquod duplex primæ classis primarium (S. R. C. n. 3838) (5).

b/ Alterum festum celebrabatur dominica III post Pascha, sub titulo *Patrocinii S. Joseph*, sub ritu duplicis secundæ classis, sine octava et ut secundarium. Deinceps recoletur sub titulo: *Solemnitas S. Joseph, Sponsi B. M. V. Confessoris, Ecclesiæ universalis Patroni.* Est quasi idem festum Patrocinii, sed cui additur solemni-

(1) *Collat. Brug.*, suprà p. 539.

(2) Quoad rationes in petitionibus adductas vide proæmium Decreti I Urb. et Orb., quæ conferas cum iis quæ scripsimus suprà p. 543.

(3) Cf. J. Menghini, *Declarationes* ap. *Ephem. liturg.* 1911, p. 178, n. 12

(4) De qua re cf. *Collat. Brug.*, suprà p. 544.

(5) Cf. J. Menghini, *Declarationes* ap. *Eph. liturg.*, 1911, p. 478, n. 13.

tas prioris festi Natalis (1), quod 19 Martii, ratione quadragesimæ, non potest cum debita solemnitate celebrari. Ideo hoc alterum festum nunc evehitur ad qualitatem festi *primarii*, ad ritum duplicis *primæ* classis et celebratur *cum octava* (Decr. I, n. II).

Hæc octava ordinari debet juxta regulas generales; lectiones autem 2i et 3i nocturni desumantur ex Octavario Romano (Decr. I, n. III), aut si illæ non possint tempestive haberi, repetantur lectiones ipsius festi, aut legantur ex officio S. Joseph votivo per annum (2).

II. Festum *SS. Trinitatis* evehitur ad ritum duplicis *primæ* classis (Decr. I, n. IV).

III. Quoad festum *Nativitatis S. Joannis-Baptistæ* in pleno vigore manet recens Motu-proprio (3), sed in Decreto II, nn. I-IV, traduntur nonnullæ regulæ practicæ de habitudine festi, vigiliæ aut octavæ S. Joannis-Baptistæ ad festum SS. Petri et Pauli (4).

IV. Festum *SS. Corporis Domini*, revocata translatione nuperrime facta (5) reducitur nunc pro universa Ecclesia ad eam fere conditionem qua recolebatur antea in Belgio et Gallia (Decr. I, n. V, VI):

1/ Manet affixum diei traditionali et ita festum SS. Cordis Jesu celebrari potest, juxta votum ipsius Christi, feria VI quæ immediate sequitur octavam Corporis Christi, maxime ad reparandas injurias Domino Jesu in SS. Eucharistia illatas (Decr. I, n. VII).

2/ Celebratur sine feriatione sed præceptum feriationis et externa solemnitas transfertur in Dominicam subsequentem.

---

(1) *Ibid.*, n. 11.

(2) *Ibid.*, n. 14.

(3) Plures Episcopi petierunt ut possent pro hoc festo retinere diem traditionalem 24 junii. Sed his petitionibus non annuit SS. D. N. Pius Papa X, ut apparet ex decreto S. R. C. diei 7 aug. 1911, apud *Acta Apost. Sedis*, 1911, p. 397.

(4) Plura alia videre est ap. *Ephemerid. liturg.*: J. MENGHINI, *Declarationes*, nn. 3-9.

(5) Cf. *Collat. Brug.*, suprà p. 543.

3/ Recolitur cum octava privilegiata. Verum hac in re habetur mutatio, quatenus octava nunc, est privilegiata « *ad instar octavæ Epiphaniæ* ». Unde:

a/ diebus infra octavam admittitur tantum officium integrum duplicis primæ classis, non jam officium festi duplicis nec officium translatum festi duplicis 1 aut 2 classis. Præterea dies infra octavam censentur etiam impediti pro missis votivis pro sponso et sponsa et pro missis exequialibus, quæ corpore physice vel moraliter præsente, pro prima vice cantari possunt prima die libera quæ occurrit sive ultra biduum post sepulturam sive post acceptum a locis dissitis obitùs nuntium (Decr. II, n. v). Præfatæ missæ antea permittebantur non in die octava, sed in diebus infra octavam (1).

b/ Dies autem octava juxta J. Menghini excludit festum duplex etiamsi sit primæ classis (2), nisi sit unum ex solemnioribus 1 classis Ecclesiæ universalis v. g. festum SS. Petri et Pauli (3).

Eadem die octava permittitur quidem missa exequialis cantata (vel pro paupere lecta) die vel pro die obitus, sed jam non licet præter missam exequialem alias missas de Requie privatas celebrare (Decr. II, n. v).

V. Quod spectat dies in quibus *prohibetur missa exequialis cantata* (aut pro paupere lecta) die aut pro die obitus, cadavere physice aut moraliter præsente, nunc sunt apud nos, præter Triduum sacrum: Dominicæ Paschatis, Pentecostes, *Solemnitatis S. Joseph, SS. Trinitatis*, Nativitatis S. Joannis-Baptistæ, et Dominica in qua celebratur Dedicatio omnium ecclesiarum

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 189 ss.

(2) *Declarationes*, n. 15. Sed hanc sententiam erudita dissertatione nec immerito, ut videtur, impugnat doct. P. Piacenza (*Ephem. liturg.* 1911, p. 541 ss.), quia festum duplex 1 classis excluditur ab octava Epiphaniæ non quia est dies octava, sed quia specialiter hac die recolitur mysterium Baptismatis Christi.

(3) J. Menghini, *Declarationes* apud *Eph. liturg.*, p. 478, n. 15.

diœceseos; festa Nativitatis et Ascensionis Domini, Annuntiationis, Assumptionis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., Commemorationis solemnis S. Joseph (19 martii), Omnium Sanctorum et Titularis ecclesiæ propriæ; tandem Dominicæ in quas celebrantur solemnitates Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli et Patroni principalis loci (Decr. II, n. VI et VII).

Adduntur igitur saltem duo dies, Solemnitatis nempe S. Joseph et SS. Trinitatis, quia hæc festa facta sunt primaria et duplicia I classis de præcepto servanda (1).

Quæri autem potest utrum non oporteat adjungere ipsum festum Corporis Domini seu Commemorationis solemnis SS. Corporis Christi? Hoc festum quidem, sicut et festum Patroni loci, enumeratur cum aliis in Decreto II, n. VI, pro regionibus quæ subsunt juri communi. Verum apud nos ex indulto festa Corporis Christi et Patroni loci jam non erant de præcepto et vigebat jus speciale, pluribus decretis roboratum, vi cujus missa exequialis prohibetur non in hujusmodi festis sed tantum « in dominicis in quas præfatorum festorum solemnitas transfertur ». Et Motu-proprio de diebus festis declaravit sub IV: « Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur ». Quare censemus nos posse sequi usum existentem (2).

VI. De extensione *dispensationis a lege abstinentiæ et jejunii* rationes erant dubitandi, uti exposuimus suprà p. 544. Omne dubium pro Belgio nunc aufert Declaratio a S. Congr. Concilii, die 28 aug. 1911, ad Em^m^ Archiepiscopum Mechliniensem data (Decr. III). Ex qua liquet dispensationem præfatam concedi:

1/ vi Motu-proprio, in quatuor tantum festis quæ in

---

(1) Cf. decr. S. R. C. *Parentin. et Polen.*, 8 jan. 1904 et *Rhemen.* 1 dec. 1905, et *Collat. Brug.*, t. XI, p. 187 s.

(2) S. R. C. nn 3890, ad I; 4003, ad I; 8 jan. 1904; 1 dec. 1905; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 188.

Belgio, præter Dominicas, de præcepto servanda remanent: nempe Nativitatis et Ascensionis Domini, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum;

2/ vi specialis concessionis anno 1903 jam datæ, pro festo suppresso Circumcisionis Domini;

3/ non autem pro ceteris festis quæ de jure communi quidem servanda sunt, sed quæ apud nos, indulto Card. Caprara anni 1803, jam suppressa erant: Epiphaniæ nempe, Immaculatæ Conceptionis B. M. V. et SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Practice ergo, hoc anno 1911, in festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V. incidente in feriam VI, non minus quam antea servanda erit lex abstinentiæ.

VII. *Obligationem celebrandi pro grege*, quam quidam (1) abrogatam censebant una cum suppressa obligatione audiendi sacrum, per se intactam manere scripsimus suprà p. 542. Hæc confirmantur Decreto IV, ad 1. Per accidens autem, translatione nempe trium festorum in dominicam, expunctos esse tres dies dicebamus. Sed quum duo ex his festis, Commemorationis nempe S. Joseph et Corporis Domini, jam nova dispositione non transferantur sed remaneant diei traditionali affixa, una tantum est dies, scilicet 24 Junii, quæ antiqua obligatione sacrum faciendi pro populo nunc eximitur.

VIII. De *ordine et solemnitate officiorum* nihil esse mutandum in festis suppressis, ut scribebamus suprà 541 s., confirmatur ex Decr. IV, ad 11.

E S. Congregatione Rituum

I

URBIS ET ORBIS. (2)

Evulgato *Motu-Proprio* Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ X *De diebus festis*, diei 2 julii vertentis anni, nonnulli

(1) A. Boudinhon, apud *Canoniste Contemp.* 1911, p. 404.
(2) *Acta Apost. Sedis*, 1911.

Sacrorum Antistites, ne accidat, ut dies Octava S. Joseph, in Dominicis privilegiatis Quadragesimæ occurrens, nullam in Officio et Missa commemorationem accipiat, et Officium dierum infra Octavam, Tempore Passionis adveniente, sæpius omitti debeat, ab Ipso Sanctissimo Domino Nostro instantissime petierunt, ut ad augendum cultum erga S. Joseph, Ecclesiæ Universalis Patroni, Festum Ejus die 19 martii sine feriatione et sine Octava recolatur: Festum vero Patrocinii Ejusdem juribus et privilegiis omnibus, quæ Patronis principalibus competunt, augeatur, et sub ritu duplici primæ classis cum Octava celebretur, prout jam in aliquibus locis et institutis recoli legitime consuevit; eo vel magis quod Tempus Paschale aptius recolendæ solemnitati conveniat, et Festum idem in Dominica III post Pascha numquam impediri valeat.

Item R^mi^ Episcopi, quoad Solemnitatem Sanctissimi Corporis Christi, ab Eodem Sanctissimo Domino nostro humillimis precibus postularunt, quod, remanente Feria V post Dominicam SS^mæ^ Trinitatis Ejus Festo, absque tamen feriatione, externa Solemnitas ad insequentem Dominicam transferatur.

Sanctissimus Dominus noster, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, hujusmodi votis clementer deferens, firmo remanente *Motu-Proprio* quoad reliqua Festa, statuit et decrevit:

I. Festum Natale S. Joseph, die 19 martii, sine feriatione et sine Octava, sub ritu duplici primæ classis recolatur, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis S. Joseph, Sponsi B. M. V., Confessoris.*

II. Festum Patrocinii ejusdem S. Joseph, Dominica III post Pascha, sub ritu duplici I classis cum Octava, addita Festi primarii qualitate, recolatur, sub titulo: *Solemnitas S. Joseph, Sponsi B. M. V., Confessoris, Ecclesiæ universalis Patroni.*

III. Diebus infra Octavam et die Octava Solemnitatis S. Joseph adhibeatur Officium, uti prostat in Appendice Octavarii Romani.

IV. Festum Sanctissimæ Trinitatis, Dominicæ I post Pentecosten affixum, amodo sub ritu duplici primæ classis recolatur.

V. Festum Sanctissimi Corporis Christi celebretur, absque feriatione, sub ritu duplici primæ classis et cum Octava privilegiata, ad instar Octavæ Epiphaniæ, Feria V post Dominicam SSmæ Trinitatis, adhibito titulo: *Commemoratio Solemnis Sanctissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi.*

VI. Dominica infra Octavam hujus festivitatis in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, recitato Officio cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa solemnis cani potest, uti in Festo, cum *Gloria*, unica Oratione, Sequentia, *Credo* et Evangelio S. Joannis in fine. Ubi vero non adsit Missæ Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicæ sub distincta conclusione ejusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur solemnis Processio cum SSmo Sacramento, præscripta in Cæremoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII.

VII. Feria VI post Octavam celebretur, ut antea, Festum Sacratissimi Cordis Jesu, sub ritu duplici I classis.

Valituro præsenti Decreto etiam pro Familiis Regularibus et Ecclesiis, ritu latino a Romano diverso utentibus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 24 julii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
† PETRUS LA FONTAINE, Episc. Charystien., *Secret.*

II

DECRETUM. (1)

Ad quasdam liturgicas quæstiones de diebus Festis nuper propositas enodandas, inspecto *Motu-Proprio* Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ X, diei 2 julii vertentis anni 1911, una cum subsequenti Decreto *Urbis et Orbis* Sacrorum Rituum Congregationis, diei 24 ejusdem mensis et anni, Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, atque adprobante Ipso Sanctissimo Domino nostro, hæc statuit, ac declaravit;

I. Quum festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ in poste-

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911.

rum celebrandum sit Dominica immediate antecedente Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, et proinde duæ Octavæ simul occurrere possint; hoc in casu agendum est Officium de Octava Nativitatis S. Joannis cum commemoratione Octavæ SS. Apostolorum.

II. Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptistæ affigatur Sabbato ante Dominicam quæ præcedit Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. Quando in hoc Sabbato simul occurrant Vigilia Nativitatis S. Joannis, et Vigilia SS. Apostolorum, fiat Officium de prima, cum commemoratione alterius in Missa tantum. Si vero in hoc Sabbato accidat Festum seu Officium ritus duplicis aut semiduplicis, IX lectio erit de Vigilia Nativitatis S. Joannis, et in Missa fiat commemoratio utriusque.

III. In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in casu præcedenti, dicatur post Nonam Missa de Vigilia Nativitatis S. Joannis cum commemoratione Vigiliæ SS. Apostolorum. Si vero occurrat Festum 9 lectionum, dicantur duæ Missæ Conventuales, una de Vigilia Nativitatis S. Joannis post Nonam, cum commemoratione Vigiliæ SS Apostolorum.

IV. Si Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ incidat in diem 28 junii, secundæ Vesperæ integræ erunt de hac Solemnitate, cum commemoratione sequentis Festi SS. Apostolorum, juxta rubricas.

V. Quum ex Decreto supracitato diei 24 julii 1911, ad instar Octavæ Epiphaniæ sit privilegiata Octava Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis D. N. J. C., infra hanc Octavam prohibentur etiam, tum Missæ votivæ pro sponsis, tum Missæ cum cantu de Requie pro prima vice post obitum, vel ejus acceptum nuntium; die vero Octava prohibentur Missæ privatæ de Requie, quæ die, vel pro die obitus alias cum exequiali Missa permittuntur.

VI. Missa cum cantu de Requie die, vel pro die obitus, aut depositionis, præsente, insepulto, vel etiam sepulto, non ultra biduum, cadavere, vetita est in sequentibus Festis nuper suppressis, nempe Commemorationis solemnis Sanctissimi Corporis Christi, Annuntiationis B. M. V., Commemorationis solemnis S. Joseph, et Patroni loci.

VII. Item prædicta Missa inhibetur in Festis Solemnitatis S. Joseph, Sanctissimæ Trinitatis, et in Dominica in quam

transfertur solemnitas externa Commemorationis SSmi Sacramenti.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 28 julii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

E Sacra Congregatione Concilii

III

Circa dispensationem a jejunio et abstinentia in festis suppressis.

Romæ, die 28 Augusti 1911.

Eme ac Revme Domine mi Obsme,

Nonnisi ob solemnitatem diebus festis, qui Motu Proprio « Supremi disciplinæ ecclesiasticæ » servati sunt, fideles ab observantia legis de jejunio et abstinentia ab usu carnium eodem Motu Proprio dispensati fuerunt, si forte aliquod ex iisdem festis in diem incidat abstinentia vel jejunio consecratum. Eapropter cum in Belgica hac Natione ex indulto, a Summo Pontifice Pio PP. VII, die 9 Aprilis anno 1803 dato, non octo sed quatuor tantum festa, Nativitatis nempe et Ascensionis D. N. J. C., Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum sint præter Dominicas observanda, pro hisce et non pro reliquis istiusmet Nationis fideles relaxatione seu dispensatione frui possunt ab observantia legis de jejunio et abstinentia nuperrimo Motu Proprio concessa. Expressis enim verbis novissima lege de diebus festis servandis cautum est quod nihil de iisdem esset innovandum, iis in locis in quibus speciali aliquo privilegio minores iidem adhuc numero constituti reperirentur. Quod si peculiari concessione a SSmo D. N. PP. X anno 1903 data, indultum fuit ut fideles istis in locis in festo Circumcisionis D. N. J. C. carne vesci potuerint, quamcumque in diem festum ipsum inciderit, nil in præsens obstat, quominus hoc indulto iidem

fideles et in posterum uti possint, sub conditionibus eodem in indulto appositis, particularibus namque concessionibus, si quæ obtentæ fuissent, recenti Motu Proprio derogatum non est.

Manus tuas humillime deosculans me profiteor.

E. V. Humill^um^ Obedientiss^um^ Servum
(s) C. Card. Gennari, *Præf.*
Mechlinien. *(s)* J. Grazioli, *Sub-Secretarius.*
E^mo^ Archiepiscopo.

IV

ROMANA ET ALIARUM. (1)

Dubia circa dies festos recenti Motu Proprio « Supremi Disciplinæ » suppressos.

Sacræ Congregationi Concilii circa interpretationem eorum quæ nuperrimo Motu Proprio *De diebus festis* a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X die 11 mensis Julii hoc anno 1911 edito constituta sunt, dubia quæ sequuntur enodanda proposita fuerunt:

I. An in festis nuperrimo Motu Proprio suppressis quoad forum, nempe Ss^mi^ Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., S. Joseph Sponsi ejusdem B. M. V., S. Joannis Apostoli et Evang , et Patroni cujusque loci vel diœcesis, obligatio remaneat Sacrum faciendi pro populo.

II. An in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis omnia in prædictis festis suppressis servanda sint prout in præsenti sive quoad officiaturam choralem, sive quoad solemnitatem tum Missarum tum Vesperarum.

III. An festa ex voto vel constituto, auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita, a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi vigore novissimæ hujus legis expungantur.

IV. An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat.

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, p. 391.

S. C. Concilii omnibus mature perpensis, ex speciali facultate a SSmo D. N. Pio PP. X tributa, ad omnia hæc dubia respondendum censuit: *Affirmative.*

Datum Romæ ex Secretaria S. C. Concilii, die 8 Augusti 1911.

L. ✠ S.

C. Card. Gennari, *Præfectus.*
B. Pompili, *Secretarius.*

Sacra Congregatio Concilii

CARCASSONEN.

Collectionis eleemosynarum in parœciis (1).

Post legem « separationis » in Gallia plerique Episcopi cleri necessitatibus occurrere cupientes, opus instituerunt vulgo nuncupatum « *du denier du clergé* », quo, ex oblationibus fidelium a parochis in proprio districtu colligendis ac Episcopo transmittendis, prædictum finem quadantenus assequi valerent.

Episcopus Carcassonensis, cum quosdam suæ diœcesis parochos dispositionibus a se latis renuentes compererit, sequentia dubia S. C. proposuit:

I. An Episcopus valeat parochos vi conscientiæ adigere ad munus colligendi fidelium oblationes.

II. An valeat inobedientes pœnis prosequi, non exclusa amotione ab ipso officio parochiali, ad normam Decreti: *Maxima cura,* can. 1, nn. 7 et 9.

De iisdem autem ad instantiam Episcopi Cenomanensis actum jam fuit in plenariis comitiis die 22 Maii anno 1907 habitis. Haud tamen tunc EE. PP. rem in se ipsa seu in genere prout nunc proponitur, dirimere placuit, licet ea fuerit eorum mens, ut parochus, de quo agebatur, quique aliter quam ab Episcopo statutum fuerat collectas facere et cultus expensis providere volebat, moneretur, ut Episcopi mandatis

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1911, t. III, p. 277 s.

staret, facta etiam Episcopo facultate ad aliam illum parœciam transferendi, si parere renuisset.

Hac igitur de causa quæstiones modo a Carcassonensi Episcopo propositæ iterum Emis Patribus subjectæ sunt, super iisdem sententia etiam alterius Consultoris exquisita.

Decisio: Iis igitur quæ deducta noviter sunt perpensis, aliisque resumptis quæ in præcedenti Congregatione fuerunt disputata, Emi Patres in comitiis plenariis, die 29 aprilis 1911, respondendum censuerunt:

Episcopum in casu posse sub gravi parochos adigere ad colligendas, vel per se vel per alium, fidelium oblationes et post monitiones pœnis canonicis inobedientes prosequi, eosque, si contumaces fuerint, servatis de jure servandis, etiam a parœcia removere.

L. ✠ S.

C. Card. Gennari, *Præfectus.*
Basilius Pompili, *Secretarius.*

S. Congregatio de Religiosis

Dubia de manuscriptis Religiosorum typis edendis (1).

Quæsitum est ab hac Sacra Congregatione de Religiosis:

I. An Religiosi pertinentes ad Instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac Regulares votorum solemnium, quoad *Imprimatur* seu beneplacitum a suis Superioribus expostulandum, quoties aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiunt?

II. An Religiosi, quoties eis a suis Moderatoribus publicatio alicujus manuscripti fuerit interdicta, vel *Imprimatur* denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum *Imprimatur* Ordinarii loci, suppresso auctoris nomine?

Emi autem Cardinales Sacræ Congregationis de Religiosis, in plenario Cœtu ad Vaticanum habito die 2 mensis Junii 1911, suprascriptis Dubiis responderunt:

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, t. III, p. 270 s.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Quam E^morum^ Patrum responsionem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Sacræ Congregationis Secretario, ratam habuit et confirmavit, die 11 Junii 1911.

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die 15 Junii 1911.

L. ✠ S. Fr. I. C. Card. Vives, *Præfectus.*
† Donatus Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

S. Congregatio Indicis

Decreto 12 Junii (1) in Indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera:

Der Modernisteneid. *Ein Appel an deutsche Priester von Clericus Germanicus. Augsburg, 1910.*

Dr. W. Koch und Dr. O. Wecker, *Religiös-wissenschaftliche Vorträge. Dritte Reihe: Katholizismus und Christentum. l. u. Aufl. Rottenburg, 1910.*

Auguste Humbert, *Les origines de la Théologie moderne. — I. La Renaissance de l'antiquité chrétienne (1450-1521). Paris, 1910.*

Ottokar Prohaszka. *Az intellektualismus tulhaitasai. Budapest, 1910. — Több békességet (in Egyhazi Közlöny, Dec. 23 1910). — Modern Katholicizmus. Budapest, 1907.*

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, t. III, p. 278 s.

S. Congregatio Rituum.

I

DECRETUM

Super editionibus librorum S. Liturgiam spectantium (1).

Pluries a Sacra Rituum Congregatione normæ traditæ sunt Typographis pro editione Librorum Liturgicorum, præsertim per decreta dd. 11 augusti 1905, 14 februarii 1906 ac 25 januarii vertentis anni, quod postremum respicit editionem vaticanam ejusque reproductiones super Libris cantum gregorianum continentibus. Quo vero hujusmodi normæ latius pleniusque compleantur, Sacra eadem Congregatio, ad præcavendos et impediendos abusus, hæc quæ sequuntur, accurate discussa et perpensa, statuere voluit, atque servanda decrevit:

I. Editionibus Librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris Functionibus peragendis contineant, sive Sacras Cæremonias supradictos Ritus Precesque comitantes præscribant, sive hujus Sacræ Congregationis Decreta in unum collecta referant, sunt vel *Typicæ*, vel *juxta Typicas*.

II. Editiones *Typicæ* excudere tantum possunt vel Pontificia Typographia Polyglotta Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a Sacra Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. Singula editionis typicæ folia revisioni hujus Sacræ Rituum Congregationis submittentur, quæ seu Commissionis Liturgicæ, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, juxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. Quævis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus præscribens, ut prædictæ editioni typicæ futuras editiones omnino conforment.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, t. III, p. 242.

V. Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria huic Sacræ Rituum Congregationi tradent, in Archivio ipsius Sacræ Congregationis maxima cura et studio conservanda.

VI. Quivis Typographus, accedente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *juxta typicas*, quæ nempe adamussim prædictis editionibus typicis respondeant, excudere potest.

VII. R^mi locorum Ordinarii, diligenti rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an præfatæ editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et *imprimatur* apponant.

VIII. Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicujus Diœcesis Propriorum, de quibus editio typica non extat, si in ipsa Diœcesi cudendæ sint, R^mi locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarent et *imprimatur* apponant. Quoad vero editiones Propriorum tum alienæ Diœcesis, tum Ordinum Regularium seu Congregationum, R^mi locorum Ordinarii, quorum jurisdictioni Typographi subjacent, *imprimatur* apponant, postquam vel Ordinarius Diœcesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos prædicta Officia seu Propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a Sacra Rituum Congregatione approbatis Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint.

IX. Inter Libros Sacram spectantes Liturgiam, ad effectum præsentis Decreti, sequentes præcipue adnumerandi sunt:

a/ Breviarium Romanum
b/ Missale Romanum
c/ Rituale Romanum
d/ Pontificale Romanum
} eorumque excerpta.

e/ Martyrologium Romanum.

f/ Cæremoniale Episcoporum.

g/ Propria tum Officiorum, tum Missarum alicujus Diœcesis, Ordinis, seu Congregationis Religiosæ.

h/ Memoriale Rituum Benedicti Papæ XIII pro minoribus Ecclesiis.

i/ Instructio Clementina pro expositione Sanctissimi Sacramenti.

j/ Collectio Decretorum S. Rituum Congregationis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.
Die 17 maii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

II

BAIONEN. (1)

Nova dubia.

Ab hodierno Calendarista Diœcesis Baionensis, præhabito consensu Rev^mi Episcopi ejusdem Diœceseos, Sacræ Rituum Congregationi nova quædam dubia pro opportuna solutione reverenter exposita sunt; videlicet:

I. Ubi Festum Titularis ex longæva consuetudine celebratur ad instar Patronorum, Dominica infra Octavam ejusdem cum concursu populi, per unam Missam solemnem de Festo cum commemoratione Dominicæ, utrum solemnitas S. Joannis Baptistæ Titularis in eamdem Dominicam incidens ac solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli in Galliis præceptica, debeat huic præferri, vel in aliam subsequentem Dominicam reponi, utpote non præceptiva, sed tantum permissa (2)?

II. Utrum laico Missæ inservienti ministrari possit Sacra Communio intra Presbyterium et in ora suppedanei Altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali?

III. Utrum preces post Missam privatam jussu Leonis XIII dicendæ, omitti debeant post Missam votivam lectam de SS. Corde Jesu, prima cujusque mensis feria VI celebratam cum privilegiis Missæ votivæ solemnis pro re gravi?

IV. Quando celebrans ad Vesperas coram SS^mo Sacramento exposito Officium facit ad scamnum, debetne, cum accedit ante medium Altaris ad « Magnificat », genuflectere unico genu super infimum gradum, vel utroque genu in plano?

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, p. 322.

(2) Casus de quo quæritur occurrere jam non potest ex quo festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ translatum est in Dominicam tanquam in sedem propriam.

V. Quum cantantur Vesperæ coram SSmo Sacramento exposito, utrum celebrans possit a principio amictu, alba, stola et pluviali indutus Officium facere, eique Diaconus et Subdiaconus alba, dalmatica et tunica induti assistere a principio Vesperarum, ratione Processionis immediate post Vesperas instituendæ, præsertim in Ecclesiis quæ pluribus carent pluvialibus pro assistentibus ?

VI. Utrum in Quadragesima, quando Vesperæ immediatæ post Missam solemnem cantantur, celebrans possit pluviali super albam et stolam indutus Officium facere cum assistentia Diaconi et Subdiaconi dalmatica et tunica indutorum ?

VII. Utrum juxta Decreta 23 novembris 1906, *Dubia* ad XI, et 1 februarii 1907, Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ, ad X, Oratio *Deus, cujus misericordiæ non est numerus,* in functione Tridui vel Octidui intra annum post Beatificationem vel Canonizationem, cantari debeat ante *Tantum ergo,* vel in hoc casu servari debeat specialis dispositio Decreti 16 decembris 1902, ad VI, super privilegiis Octidui vel Tridui concedi solitis ?

VIII. Utrum novendialis supplicatio quæ, ex Litteris Encyclicis Leonis PP. XIII, *Divinum illud munus*, diei 9 maii 1897, Festum Pentecostes præcedere debet, incipi debeat feria VI infra Octavam Ascensionis Domini, ut terminetur in ipsa Vigilia Pentecostes, vel possit juxta praxim hujus Diœceseos incipi tantum Sabbato, ita ut finem habeat novendialis supplicatio ipso die Festo Pentecostes ?

Et Sacra Rituum Congregatio, audita Commissionis Liturgicæ sententia, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit :

Ad I. In casu præferatur solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli, in Galliis præceptiva.

Ad II. Affirmative (1).

Ad III. Missa de qua in precibus habeatur uti solemnis, eique applicari potest Decretum n. 3697, *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci,* 7 decembris 1888, ad VII.

(1) Ex eo quod universali usu toleratur laicum, et quidem sine habitu clericali, inservire missæ intra presbyterium et altare (dum mulieres v. g. moniales possunt tantum respondere, manentes extra presbyterium) logice sequitur ipsum posse infra missam, sicut clericum cujus locum tenet, accedere ad S. Synaxim in ora suppedanei, ante fideles.

Ad IV. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad V. Negative (1).

Ad VI. Negative (2).

Ad VII. Satis provisum in Decretis citatis.

Ad VIII. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam (3).

Atque ita rescripsit, die 8 junii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
✝ PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secret.*

Adnotanda.

Ad tertium. Quum missa votiva privilegiata de SS. Corde Jesu in prima feria VI mensis absque cantu celebrata habenda sit ut solemnis, non tantum omitti debent preces a Leone XIII post missas privatas recitandæ, sed etiam licet adhibere duos ministros qui missæ inserviant et accendere plus quam duas candelas. Cf. decreta S. R. C., nn. 3697, 7; 2740, 7; 3065; 3059, 7, 9; et *Ord. Fratr. Min.*, 19 jan. 1906; *Collat. Brug.*, XI, p. 520 et XIV, p. 670.

Ad quartum. Cæremoniale Episcoporum lib. II, c. III, n. 10 injungit ut celebrans in vesperis solemnibus accedens, ad *Magnificat*, ante medium altaris « si in eo sit sanctissimum Sacramentum, genuflectant [unico genu] *ante* infimum gradum » in plano. Ex quo videtur hunc accessum ad altare haberi ut primum accessum a loco remoto: qua in interpretatione logice declarat S. Congr. genuflectendum esse utroque genu

(1) Prohibitio hæc non afficit stolam celebrantis quæ licita declarata est nuperrimo decreto *Baionen.* 27 maii 1911, ad XII (*Collat. Brug.*, suprà p. 552) sed tantum habitum assistentium diaconi et subdiaconi.

(2) Prohibitio rursus spectat habitum diaconi et subdiaconi, quamvis hic stola a celebrante non sit retinenda, quum vesperæ cantentur quin sit facienda benedictio SS. Sacramenti.

(3) Ratio patet: ita præscribitur et insuper supplicatio novendialis, quæ fit in *præparationem* ad festum Pentecostes, ipsum festum *præcedere* debet.

in plano, si in altari palam expositum sit SS. Sacramentum. Et logice eadem duplex genuflexio est facienda post incensationem, in recessu ad scamnum.

Verum ubi celebratur missa solemnis coram Venerabili exposito, ad *Gloria* et *Credo,* idem verificatur accessus ab iisdem scamnis ad idem altare, et tunc genuflexio est facienda unico genu in infimo gradu, quod cohæret cum regula generali qua duplex genuflexio est facienda, coram SS. Sacramento exposito, tantummodo in primo accessu et in ultimo recessu ab altari, non vero infra missam aut functionem. Quare magis, ut videtur, consuluisset rubricarum uniformitati S. Congr., si confirmans usum receptum, statuisset genuflexionem simplicem esse faciendam in primo gradu altaris.

III

DUBIUM (1)

Expostulatum est a Sacrorum Rituum Congregatione: Utrum liceat, juxta prudens Ordinarii judicium, tempore expositionis privatæ vel publicæ, interiorem partem Ciborii (2) cum lampadibus electricis in ea collocatis illuminare, ut Sacra Pixis cum Sanctissimo Sacramento melius a fidelibus conspici possit?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, præpositæ quæstioni respondendum censuit: *Negative* (3).

Atque ita rescripsit, die 28 Julii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
✝ Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1911, p. 396.

(2) Nomine *ciborii* videtur hic intelligendus thronus expositionis.

(3) Hæc prohibitio est consectarium logicum ex decretis jam antea datis quibus prohibetur lux electrica *super altari,* aut quæ *præseferat modum theatralem.* Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 224; 342.

Jurisprudence civile-ecclésiastique

ANCIEN CIMETIÈRE. — DÉSAFFECTATION. — DOMAINE PUBLIC COMMUNAL. — IMPRESCRIPTIBILITÉ. — DÉCISION DU POUVOIR EXÉCUTIF.

Le sol des anciens cimetières désaffectés continue à faire partie du domaine public des communes et n'est pas, dès lors, susceptible de possession ou de prescription acquisitive, aussi longtemps qu'il n'en a pas été autrement ordonné par le pouvoir exécutif.

Cour de cassation. Arrêt du 25 avril 1911. (1)

FABRIQUE D'ÉGLISE C. COMMUNE DE MESSINES.

La Cour, — ouï en son rapport M. le conseiller Masy et sur les conclusions de M. Terlinden, premier avocat général (2);

Sur le moyen unique du pourvoi invoquant la violation des articles 538 et 2262 du code civil, la fausse application du décret impérial du 23 prairial an XII et de l'article 1er de l'arrêté royal du 30 juillet 1880, et en tout cas la violation de l'article 107 de la Constitution, en ce que le jugement attaqué (3) a considéré le terrain d'un ancien cimetière désaffecté comme continuant à faire partie du domaine public de la commune et comme n'étant, dès lors, susceptible ni de possession ni de prescription acquisitive :

En ce qui concerne la fin de non-recevoir basée sur ce que la demanderesse ne pouvait se borner à invoquer la violation des articles 538 et 2262 du code civil, les dispositions de ce code principalement et directement violées, dans le système du pourvoi, étant les articles 537 et 2226 :

Attendu que, devant le juge du fond, la fabrique d'église de Messines soutenait que le terrain revendiqué par la commune de Messines est tombé dans le domaine privé de

(1) *Pasicr.* I, 219 ss.; *Rev. de l'administration,* 1911, t. LVIII, p. 417.

(2) *Pasicr. ibid.*, p. 216 ss.; *Revue de l'administration, ibid.*, p. 413 ss. avec notes, p. 420.

(3) Trib. civ. d'Ypres, 4 mars 1910, ap. *Collat. Brug.*, t. XV, 1910, p. 296 ss.

celle-ci il y a un siècle environ et prétendait en avoir acquis la propriété par une possession trentenaire postérieure ;

Attendu que le jugement attaqué a repoussé la prétention de la fabrique en affirmant que ce terrain n'a jamais cessé de faire partie du domaine public communal ;

Attendu que si cette appréciation était mal fondée en droit et si, au contraire, le terrain revendiqué était depuis un siècle susceptible de propriété privée, le juge du fond aurait contrevenu à l'article 538 en considérant ce terrain comme une dépendance du domaine public et à l'article 2262 en refusant à la fabrique le droit d'invoquer la prescription trentenaire ;

Qu'il s'ensuit qu'en visant la violation de ces deux articles, le pourvoi satisfait suffisamment au prescrit de l'article 8 de l'arrêté royal du 15 mars 1815 ;

Au fond :

Attendu que, suivant les constatations du jugement attaqué, le terrain litigieux forme l'assiette d'un ancien cimetière supprimé depuis un siècle environ ;

Attendu que les lois issues de la Révolution française ont placé les cimetières dans le domaine public des communes ;

Attendu qu'aux termes des articles 8 et 9 du décret du 23 prairial an XII, les cimetières abandonnés doivent être fermés et rester dans l'état où ils se trouvent, sans que l'on puisse en faire aucun usage pendant cinq ans ; qu'après l'expiration de ce delai, il reste interdit d'y pratiquer aucune fouille ou fondation pour des constructions de bâtiment et que cette situation doit durer « jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné » ;

Attendu que ces dispositions ont été dictées par le respect dû aux sépultures et par des motifs impérieux de salubrité publique ; qu'il faut en conclure que, sous le régime de l'article 9 du décret, les anciens cimetières gardent en partie leur caractère antérieur, qu'ils restent consacrés à la consomption paisible des corps qui y reposent et que la destination d'intérêt public qu'ils ont ainsi conservée continue à les rendre non susceptibles de propriété privée dans le chef des communes ;

Attendu, il est vrai, que l'article 9 donne à celles-ci le droit d'affermer les anciens cimetières à condition qu'ils ne soient qu'ensemencés et plantés, mais que cette concession restreinte prouve elle-même que le sol de ces cimetières est

resté indisponible dans le domaine communal ; qu'en effet, le législateur n'eût pas expressément habilité les communes à ce simple acte d'administration s'il leur avait reconnu, sur les cimetières supprimés, tous les droits de la propriété privée, sous la seule restriction de n'y pouvoir pratiquer aucune fouille ou fondation ;

Attendu que l'historique de l'article 9 démontre de plus près encore que le sol des anciens cimetières fait partie du domaine public communal aussi longtemps que cet article leur reste applicable ;

Attendu que déjà le décret des 6-15 mai 1791 avait disposé que les cimetières ne pourraient « être mis dans le commerce qu'après dix années à compter depuis les dernières inhumations » (art. 9) ;

Que suivant un premier projet de législation sur les sépultures présenté par le ministre de l'intérieur Chaptal, le 19 prairial an XI, « les cimetières encore existants dans l'intérieur des communes... » devaient être « dans le plus bref délai transférés hors de leur enceinte » (art. 11), et que ce projet ajoutait :

« Art. 14. Aussitôt que les nouveaux emplacements seront disposés à recevoir les inhumations, les cimetières actuellement existants seront fermés et resteront dans l'état où ils se trouveront, sans que l'on puisse en faire aucun usage avant l'espace de cinq années à partir de l'époque où l'on cessera d'y faire les inhumations ; après lequel terme il sera procédé, par les officiers de police et les médecins et chirurgiens qui seront commis à cet effet... à la visite des dits terrains. »

« Art. 15. Dans le cas où ces officiers et médecins estimeraient qu'on pourrait faire usage des dits cimetières, il sera procédé... à l'exhumation des corps et ossements avant de remettre les dits terrains dans le commerce » ;

Attendu que la section de l'intérieur du conseil d'État repoussa l'idée de cette exhumation et que son rapporteur, le conseiller de Ségur, rédigea un second projet introduisant en partie l'article 9 actuel et disant :

« Art. 15. Aussitôt que les nouveaux emplacements seront disposés à recevoir les inhumations, les cimetières actuellement existants seront fermés et resteront dans l'état où ils se trouveront, sans que l'on puisse en faire aucun usage pendant cinq ans. »

« Art 16. A partir de cette époque et pendant l'espace de quinze autres années, les terrains servant maintenant de cimetières pourront être affermés par les communes auxquelles ils appartiennent, mais à condition qu'ils ne seront qu'ensemencés et plantés, sans qu'il puisse y être fait aucune fouille ou fondation pour des constructions de bâtiments » ;

Attendu que, suivant ee nouveau projet, l'exhumation des corps, qui devait précéder le retour du sol au commerce, était remplacée par l'expiration d'un délai de quinze ans, après lequel la consomption des corps était censée complète ; que dans ce système la loi eût permis le transfert du sol des anciens cimetières au domaine communal privé après l'expiration d'un délai total de vingt ans à dater de la cessation des inhumations ;

Attendu que la discussion du projet de Ségur aboutit à un troisième projet qui fut adopté par le conseil d'État et, par l'approbation impériale, devint le décret du 23 prairial an XII, actuellement en vigueur ;

Attendu que, d'après l'article 9 de ce décret, le régime préconisé par le conseiller de Ségur, pour tenir lieu de l'exhumation proposée par le ministre Chaptal, doit durer non pas pendant quinze années, mais « jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné » ;

Attendu, en conséquence, que la remise du sol dans le commerce, qui ne devait avoir lieu qu'après l'exhumation des corps (projet Chaptal) ou après l'expiration d'un délai de quinze ans (projet de Ségur), ne peut plus s'opérer, dans le système définitif du décret, que par une loi ou un acte du pouvoir exécutif ;

Attendu que l'exécution de l'article 9 a été réglementée par l'arrêté royal du 30 juillet 1880 ; que, d'après cet arrêté, la mise du sol des anciens cimetières à la libre disposition des communes ne peut résulter que d'une autorisation d'aliéner donnée par arrêté royal ;

Attendu que vainement le pourvoi voudrait faire considérer cette autorisation d'aliéner comme étant simplement l'approbation royale exigée par l'article 76 de la loi communale même pour l'aliénation du domaine privé des communes, d'où il résulterait qu'elle n'aurait pas la portée de désaffecter l'assiette des cimetières supprimés ;

Qu'ainsi comprise, cette disposition de l'arrêté royal serait inutile et surabondante ;

Qu'elle serait même illégale, en imposant d'une façon générale et sans distinction l'approbation royale, qui, depuis la loi du 30 juin 1865, article 2, n'est plus exigée pour l'aliénation d'une partie du domaine communal ;

Qu'enfin, il se voit du préambule de l'arrêté que celui-ci a pour but « de régler, au vœu de la loi, le mode de libre disposition des cimetières supprimés » ; que l'autorisation d'aliéner qu'il impose est donc nécessaire pour mettre ces cimetières à la libre disposition des communes ou, en d'autres termes, pour en opérer la désaffectation ;

Attendu que tout aussi vainement le pourvoi soutient que, avec cette portée, l'arrêté royal est illégal et qu'en l'appliquant aux faits de la cause le jugement attaqué a violé l'article 107 de la Constitution ;

Attendu que si l'article 9 du décret de prairial a laissé le sol des anciens cimetières dans le domaine communal public, c'est seulement « jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné » ; que le pouvoir exécutif puisait dans ces termes du décret et dans les articles 29 et 67 de la Constitution le droit de réglementer l'exécution de l'article 9 et le transfert des anciens cimetières au domaine privé des communes ; que l'arrêté royal du 30 juillet 1880 est donc conforme à la loi et obligatoire pour les tribunaux ;

Attendu que la fabrique demanderesse n'a pu invoquer aucune loi ni aucun arrêté royal ayant autorisé la commune à aliéner son ancien cimetière ;

Que, dès lors, en considérant celui-ci comme resté dans le domaine public imprescriptible de la commune de Messines, le jugement attaqué n'a violé aucune des dispositions légales visées au moyen ;

Par ces motifs, rejette...; condamne la demanderesse aux dépens de l'instance en cassation et à une indemnité de 150 francs envers la défenderesse.

Du 27 avril 1911. — 1re ch. — *Prés.* M. Scheyven, conseiller faisant fonctions de président. — *Rapp.* M. Masy. — *Concl. conf.* M. Terlinden, premier avocat général. — *Pl.* MM. Woeste et Van Dievoet.

Note.

Nous ferons suivre ce document de quelques observations.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Annuaire illustré de l'Enseignement Catholique en Belgique. In-8°, 378 p Bruxelles, Goemaere.

Berardi. *Theologia Pastoralis* scilicet de Parocho aliisque in variis officiis pro salute animarum laborantibus. Ed. 4ª, in-8°, 542 p. Faventiæ. Novelli & Castellani 1911. Pr. 6 fr.

De Cazalès. *Vie de la Sainte Vierge*, d'après les Méditations d'Anne-Cathérine Emmerich. In-12, 414 p. Paris, Téqui, 1911. Pr. 2,50 fr.

De Champagny. *Le Chemin de la Vérité*, in-12, XXIII-263 p. Paris, Téqui, 1911. Pr. 2 fr.

De Lamennais. *Le Guide de la Jeunesse,* précéde de « la Religion démontrée à la Jeunesse » par Balmès et de « l'Abrégé de l'Histoire Sainte » par Bossuet. In-24, 315 p. Paris, Téqui, 1911. Pr. 1,00 fr.

De Lepeleer E. *Hulptafeltjes bij de Catechismusles voor meergevorderde leerlingen.* In-8°, 175 bl Gent, Huyshauwer.

De Leersnyder R. *Socialisme, son aspect économique* de l'anglais de William Foland, in-12°, 42 p. Courtrai, Vermaut, 1911.

De Meulemeester M., C. SS. R. *L'Œuvre de Saint Clément-Marie Hofbauer à Jette-St-Pierre.* In-18, 52 p. Jette, Van Lantschoot, 1911.

Gründer, S. J. *De qualitatibus sensibilibus et in specie de coloribus et de sonis.* Friburgi Br., Herder, 1911. In-8, XI-100 p. Pr. 3,00 fr.

Laminne J. *La Rédemption.* Étude dogmatique, in-8°, 249 p. Bruxelles, Action Catholique.

Lescouhier D. *Feestdagen en Plechtigheden der Roomsch Katholieke Kerk.* 2e uitg., in-12°, 173 bl. Brugge, Beyaërt, 1911.

Meynckens C., S. J. *Manuel pratique du Religieux ou du Directeur spirituel,* traduit du flam. par Van der Aa, in-12°, XI-371 p. Roulers, De Meester, 1911.

---

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

—

I

Expone originem, argumentum et usum liturgicum Cantici : *Benedicite omnia opera Domini Domino...* (Dan. III).

II

Explica hoc assertum : unio Verbi incarnati facta est *non in natura* sed *in persona*. Cf. S. THOMAS, III, q. 2, a. 1 et 2.

III

Quid sunt *sacramentalia ?* Da notionem et species indica.

IV

Describe *efficaciam* quæ sacramentalibus generatim competit.

V

Quelles circonstances favorisèrent l'éclosion et le développement des hérésies durant la 2de période du moyen âge (1073-1294) ?

VI

Interprétez le § II de l'art. 8 du décret de 1809 : Lorsque le remplacement ne sera pas fait à l'époque fixée, l'Évêque ordonnera qu'il y soit procédé dans le délai d'un mois ; lequel délai passé, il y nommera lui-même, et pour cette fois seulement.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix : 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter.

PRIJZEN PER EXEMPLAAR. GEBROCHEERD : per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

GECARTONNEERD : met lustrine rugje, per ex. 40 cent., per 50 ex. 35 cent., per 100 ex. 33 cent.

GEBONDEN : n° 1. Engelsche cartonnage zwarte percaline, roode sneê : per ex. 50 cent., per 50 ex. 45 cent., per 100 ex. 43 cent.

n° 2. Engelsche cartonnage percaline, gouden sneê met verguld platte, per ex. 66 cent., per 50 ex. 61 cent., per 100 ex. 59 cent.

n° 3. Leder Grenat, goude sneê, ronde hoeken, platte rijk verguld, lintje en étui : per ex. fr. 1,50, per 50 ex. fr. 1,40, per 100 ex. fr. 1,35.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

A. De Meester. *De la protection et propriété des objets d'art et des documents d'histoire conservés dans les églises.* — Extrait des *Collationes Brugenses,* t. XVI, 40 p. Fr. 1.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES mensibus prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Bijvoegsel aan: COLLATIONES BRUGENSES, 1911, t. XVI.

ORGELMUZIEK ZONDER PEDAAL.

Hiermede hadden wij ten doel: aan dezen die geen pedaal hebben of geen kunnen spelen een lijst van goede, gemakkelijke, voor de kerk gebruikelijke orgel stukken en orgelwerken te verschaffen. Volledigheid beoogden wij niet; zoodat het niet opnemen van andere stukken of verzamelingen geen afkeuring bedraagt. Wij denken nochtans dat de opgegeven lijst ten volle toereikend is.

Dit werk hebben wij meest te danken aan de kunde en de dienstwilligheid van Mr Van Houtte, orgelist aan de St Maartenskerk te Yper. Daarbij hebben wij verscheidene katalogen geraadpleegd, namelijk de officieele kerkmuziekkatalogen van het Bisdom Namen, Gent, Metz, de opgaven der firma's Schwann, Capra, Pustet, Coppenrath, Breitkopf, enz.

Wij hebben het nuttig geacht melding te geven van enkele orgel- en harmoniummethoden, van de gemakkelijkste kerkzangbegeleidingen en van ééne — steeds nog de beste — begeleidingsmethode.

Brugge, 20 november.

A. De Meester.

A. — Gemakkelijke stukken.

Albrechtsberger G. 44 versetten of kleine voorspelen in *re* majeur . . . . . Fr. 1,25
Leuckart, Leipzig.

Attrup, C. Op. 9. 40 preluden. 1,60
Op. 15. 20 preluden 1,60
Modulationsexempel 2,20
Hansen, Copenhagen.

Bernards, Jos. Nederlandsch orgelalbum. 2,75
Schott, Brussel.

Biehl, Ed. Op. 45. 9 stukken voor harmonium in 3 afleveringen, afzonderlijk 1,50
Simon, Berlin.

Boëllmann, L. Op. 29 en 30. Heures mystiques, 100 stukken in twee deelen, afzonderlijk. 5,00
Enoch, Paris.

Breitenbach. Op. 16. Vade-mecum voor orgel, 135 gemakkelijke stukken. 3,75
Coppenrath, Regensburg.

Freijer, A. Op. 14. 26 korte en gemakkelijke driestemmige preluden in alle harde en zachte toonsoorten 1,35
Op. 17. 12 preluden 1,35
Uitgave Hosick (Breitkopf en Haertel, Brussel).

Goetze, H. Op. 37. 12 koraalvoor- en naspelen . . . 1,25
Kothe, Leobschütz.

Goltermann, G. Op. 72. 15 kleine en gemakkelijke stukken 1,35
Op. 89. 15 gemakkelijke stukken . . 1,60
Uitgave André.

Honig, H. Op. 50. 42 gemakkelijke stukken 1,60
Op. 56. 12 kleine adagio's 1,00
Uitgave Cohen.

Merk, G. Op. 6. 50 gemakkelijke preluden 2,50
Op. 15. 40 korte en gemakkelijke preluden . 1,90
Op. 21. 900 koraaltusschenspelen 3,75
Leuckart, Leipzig.

Mervillie, A. 33 kleine gemakkelijke orgelstukken . . 3,00
Beyer, Gent.

Moortgat, A. Recitatio textus liturgici in Missa solemni. Fr. 2,50
De Vlaamsche Muziekhandel, Antwerpen.
N. Om te gebruiken bij het reciteeren.

Palme R. 110 gemakkelijke en korte voorspelen . . 1,00
Uitgave Hesse.

Schildknecht, Jos. Op. 19. 178 kadenzen in de kerktoonsoorten, om te gebruiken bij het reciteeren. . . 2,00
Pustet, Regensburg.

Singenberger. Harmoniumschool. 300 gemakkelijke preluden in alle toonwijzen. 4de uitgave. 7,50
Pustet, Regensburg.

Reinhard, A. Op. 34. 50 korte en gemakkelijke koraalvoorspelen 3,75
Simon, Berlin.

Walczynski (Mgr). Op. 53. 12 gemakkelijke stukken . 2,00
Op. 51. 12 zeer » » . 2,00
Op. 74. 20 kleine zeergemakkelijke stukken 3,00
Capra, Turin.

Weise, C. Gemakkelijke preluden 1,70
Uitgave Hansen, Copenhagen.

—

B. — Iets moeilijker stukken.

Attrup, C. Op. 8. 50 preluden. . . . . Fr. 1,60
Op. 10. 20 » 1,60
Hansen, Copenhagen.

Bach, J. S. 60 koralen met gecijferden bas 1,35
Breitkopf, Volksuitgave nº 730, Brussel.
N. Ten gebruike van dezen die harmonie leeren schrijven en spelen.

Id. Antologia XII, bevattende 50 koralen 2,00
Capra, Turin.

Id. 371 vierstemmige koralen 4,00
Breitkopf, Volksuitgave nº 10, Brussel.
N. Kunnen maar moeilijk zonder pedaal gespeeld worden.

Binder, Jos. Op. 14. 20 stukken, voor-, tusschen-, en naspelen, fughetten en kadenzen 2,25
Böhm, Augsburg.

Bossi, M.-E. Op. 33. 10 voordragstukken. . . . . Fr. 2,70
Böhm, Augsburg.

Brosig, Mor. Op. 25. 5 preluden voor orgel of harmonium 2,50
Op. 24. 4 andante voor orgel of harmonium 2,20
Schlesinger, Berlin.

Collin, C.-A. Voix mystérieuses de l'orgue 7,00
Procure générale de mus. relig. Arras.
N. Eenige nummers zijn niet voor de kerk gebruikelijk.

Delépine. Les harmonies paroissiales pour orgue ou harmonium 3,00
Procure générale de mus. relig. Arras.

Franck C. L'organiste. Recueil de pièces pour orgue ou harmonium 5,00
Enoch, Paris.
N. Enkele nummers zijn voor het kerkelijk gebruik niet aanbevelenswaardig.

Frescobaldi. Antologia VIII, bevattende 30 stukken voor orgel of harmonium 2,00
Capra, Turin.

Gressner A. Fughetten-album. 3,50
Coppenrath, Regensburg.

Gruber, Jos. Op. 172. Preludenboek. 62 kadenzen, 53 preluden, 141 modulatiën. 4,00
Böhm, Augsburg,

Guilmant, Al. L'organiste pratique, édition sans pédale 12 livraisons, chacune 3,35
Schott, Bruxelles.

Kothe, B. Preludenboek. 311 doorgaans gemakkelijke preluden, (enkele met pedaal) 3,75
Leuckart, Leipzig.

Lipp. Harmonium-album. 67 stukken in 2 deelen, afzonderlijk 4,00
Böhm, Augsburg.

Perosi, L. Centonum. 100 orgelstukken met of zonder pedaal 5,00
Bartarelli, Milaan.

Piel, P. Op. 85. 60 stukken, 2 deelen, afzonderlijk. . 2,50

Op. 76. 64 stukken in de oude toonwijzen . . . Fr. 3,75
Schwann, Düsseldorf.
N. Warm aanbevolen aan de jonge orgelisten, om de nauwkeurige aanduiding van de vingering.

Ravanello, Or. Op. 41. 5 preluden. 2,00
Op. 46. L'Organista liturgico. 36 voorspelen en versetten naar gregoriaansche melodiën 2,50
Capra, Turin.

Reinhard, A. Op. 51. 24 koraalvoorspelen. 3,15
Op. 52. 60 koralen in vier deelen, afzonderlijk 1,90
Simrock, Berlin.

Renner, Jos., jun. 30 kleine preluden voor orgel of harmonium 3,50
Feuchtinger, Berlin.

Rinck, Ch.-H. Verzameling van voor-, na- en tusschenspelen:
Afl. VII, op. 47. 15 korte en gemakkelijke koraalvoorspelen, met of zonder pedaal. 0,75
Afl. VIII, op. 49. 12 koraalvoorspelen. 0,75
Afl. IX, op. 52. 12 » 0,75
Afl. XII, op. 58. 12 » 0,75
Schott, Brussel.

Id. Orgel-album uitgegeven door Lux met vingering . 3,75
Schott, Brussel.
N. Aan beginners zeer aanbevolen.

Id. Compositions choisies pour orgue ou harmonium . 3,00
Procure générale de musique religieuse, Arras.

Id. Antologia XIII, bevattende 100 voor- en naspelen. 2,00
Capra, Turin.

Siboni, Er. Op. 11. 20 preluden 2,50
Hansen, Copenhague.

Sulzer, J. Op. 10. 4 preluden voor orgel of harmonium. 2,00
Breitkopf's volkuitgave, Brussel.

Tilborghs, J. 25 stukken 2,00
12 » 2,00
Muraille, Liége.

Van Couwenbergh, H. 10 gemakkelijke stukken . . 3,00
150 preluden, versetten, enz. 4,60
Muraille, Liége.

Volckmar, W. Op. 21. 40 korte en gemakkelijke voorspelen in de gebruikelijkste toonwijzen, (met of zonder pedaal). . . . Fr. 2,50
Op. 25. 40 korte en gemakkelijke voor- en naspelen (met of zonder pedaal) . 2,50
Op. 55. 36 kleine, gemakkelijke en eenvoudige toonstukken (met of zonder pedaal), 2 deelen, afzonderlijk . . . 1,90
Op. 66. 100 kleine en gemakkelijke toonstukken in alle toonwijzen (met of zonder pedaal), 4 deelen, afzonderlijk. 1,65
Maier, Fulda.

Wolfram. Preluden-album. 100 preluden voor orgel of harmonium 1,35
Peters, nº 2086.

—

C. — Verzamelingen bevattende over het algemeen gemakkelijke en middelmatig moeilijke stukken van oude en moderne meesters.

Bottazzo en **Ravanello.** Verzameling van 20 stukken voor harmonium van oude en moderne meesters . . Fr. 2,00
Capra, Turin.

Diebold, Joh. Der Fest-organist. 35 voor- en naspelen (uitgave zonder pedaal). 2 deelen, afzonderlijk. . . 3,15
Gezamenlijk 5,63
Kothe, Leobschütz.
N. Gemakkelijk de nºs 5, 7, 10, 13, 17, 19, 21, 22, 23, 25, 29, 32, 34.
De andere stukken iets moeilijker.

Kothe, B. Handboek voor orgelisten. 1ste deel: 364 stukken, waaronder 200 gemakkelijke en 150 middelmatig moeilijke, 2de uitgave, (bijna allen zonder pedaal). . 5,65
Leuckart, Leipzig.

Mettenleiter, B. Arrangementen van voortreffelijke kerkgezangen der oude en moderne grootste meesters, voor orgel of harmonium, 12 deelen, afzonderlijk . . 1,90
Schwann, Düsseldorf.

Moortgat, A. De Kerkorgelist. 189 stukken voor orgel of harmonium 6,00
Breitkopf en Härtel, Brussel.

N. Doorgaans gemakkelijke en voor de kerk gebruikelijke stukken.

Reinhard, A. Op. 54. Cæcilia. Verzameling van oude en moderne koraalvoorspelen, 9 deelen, afzonderlijk. Fr. 1,90
Simon, Berlin.

Riegel. Praxis organœdi in ecclesia. Stukken uit de XVIe en XVIIe eeuw, in de oude toonsoorten, (meest zonder pedaal en doorgaans gemakkelijk)
I deel 4,50
II » 3,75
III » 5,60
Weger, Brixen.

Troppmann. Op. 6. Orgelschat. 1ste deel (enkele nummers met pedaal) 3,75
Böhm, Augsburg.

Van Durme. Collection de 36 pièces pour orgue, avec ou sans pédale, ou pour harmonium, 2 deelen . . . 4,50
Bij den schrijver, Temsche.

Van 't Kruis, M.-H. Album voor harmonium of orgel van verschillende arrangementen en oorspronkelijke werken, bestemd voor huizelijk en kerkelijk gebruik. 5,40
Leiden, G. Los.

Volckmar, W. Orgel-Album. 1ste deel (zonder pedaal). 2,00
Peters Leipzig, (n° 383).

—

D. — Orgel- en Harmoniummethoden. — Begeleiding. — Begeleidingsmethode.

Lemmens. Orgelschool. 1ste deel. . . . . Fr. 7,00
Schott, Brussel.

Protze. Méthode d'Harmonium, texte allemand et français 7,50
Schott, Bruxelles.

Schildknecht, Jos. Op. 36. Harmoniumschool . . . 9,40
Coppenrath, Regensburg.

Begeleiding van het « Ordinarium Missæ » en de « Cantus diversi » door **Wagner, P.** 5,00

Begeleiding van het « Commune Sanctorum » door **Wagner, P.** . . . . . Fr. 5,00
Procure générale de mus. relig. Arras.

Organum Comitans ad Graduale Vaticanum door **Desmet Alf., Desmet Al., De Puydt O.**

PARS I.	Proprium de Tempore	15,00
PARS II.	Proprium Sanctorum	13,00
PARS III.	Missæ Aliquibus in locis celebrandæ. . .	6,00
PARS IV.	Toni ℣. Gloria Patri ad Introïtum, Alleluia Tempore Paschali, Hymni Appendicis et Missæ Votivæ	6,00
PARS V.	Kyriale	6,00
PARS VI.	Commune Sanctorum	6,00
PARS VII.	Missæ propriæ pro diversis diœcesibus.	
PARS VIII.	Missa pro defunctis	1,50

Dessain, Mechelen.

Lepage. Traité de l'accompagnement du plain-chant. 2 parties: 1e partie. Théorie des accords; 2e partie. Notes étrangères aux accords 12,00
Rennes, Bossard-Bonnel.

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. *Interpretare Psalmum 94:* Venite exultemus, *attento textu qualis legitur in Psalterio* Romano *(recitatur ad Invitatorium Matutini), et in Psalterio* Gallicano, *(refertur in Vulgata, et recitatur in II° nocturno festi Epiphaniæ)* (1).

R. Varia ratione distinguunt auctores strophas hujus psalmi; melius, ut videtur, in duas strophas distinguitur, quarum 1ª hortatur ad colendum adorandumque Deum, qua dominum et creatorem totius universi (1-5), 2ª vero populum Israel in specie hortatur ad obsequium et obedientiam præstandam Deo, qua Domino Israel et vindici inobedientiæ in Ipsum commissæ (6-11).

Circa hunc Psalmum inquiremus *primo* de origine et auctore; *secundo* exponemus sensum qui videtur fuisse sensus litteralis textus originalis.

I. **Auctor Psalmi.**

In versione LXX et in Vulgata (2) Psalmus attribuitur David auctori; præterea in epist. ad Hebræos (IV, 7) dicitur hic psalmus legi *in David* (3). Exinde non pauci auctores (4) concludunt David esse absque dubio aucto-

(1) Circa utrumque hoc Psalterium latinum, et usum utriusque in liturgia, vide dicenda *infra*.

(2) Αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαυΐδ. — Laus cantici ipsi David.

(3) Iterum terminat diem...., *in David* dicendo...

(4) Wolter, O. S. B., *Psallite Sapienter*, 1906; Emmanuel, O. S. B., *Nouvel essai sur les Psaumes*, 1869; Thalhofer, *Erklärung der Psalmen*, 1880.

rem hujus psalmi. — Nihilominus alii auctores hanc conclusionem non admittunt, vel saltem minus asseveranter loquuntur (1). Aiunt enim inscriptionem illam adesse quidem in LXX et *inde* etiam in Vulgata (2), ast eam deesse in textu hebraico (3); quod vero spectat testimonium epistolæ ad Hebræos hac in re, notant ἐν Δαυεὶδ non necessario significare *per Davidem,* sed æque bene intelligi posse *in Psalterio Davidico*, ita ut circa auctorem ipsum nihil notaret epistola ad Hebr. (4). — Unde revera videtur res dubia et incerta quisnam fuerit Psalmi nostri auctor. — A fortiori res incerta erit in quibusnam adjunctis et quemnam in finem ps. fuerit compositus (5).

---

(1) Lesètre, *Le Livre des Psaumes,* (Collection La Sainte Bible), 1883; Cornely, *Introd. in U. T. libros sacros. Introd. specialis,* t. 2, n. 188.

(2) Quum enim Vulgata pendeat a LXX, non habet, qua testis textus originalis, valorem independentem a LXX. Unde utraque versio hac in re pro una computari debet.

(3) Unde decretum Commiss. Bibl., de auctoribus et tempore compositionis Psalmorum (Cfr. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 371), hic non videtur applicari: decretum enim, ubi agit de vi probativa quæ *titulis* Psalmorum inest, insistit in concordantiam textus hebræi cum græco textu alexandrino aliisque vetustis versionibus (ad 2m). — Niglutsch, *Brevis explicatio Psalmorum,* 1910, supponit titulum jam adfuisse in textu originali, et tantum incuria librariorum ex hoc textu excidisse. Quod sane laboriosum esset probare.

(4) Hinc iterum Ps. noster non attingitur a Decr. cit. Comm. Bibl., quod ad 1m, notat appellationem *Psalterii davidici* non habere eam vim ut David haberi debeat auctor unicus totius Psalterii, et ad 4m, argumentum pro authentia davidica haurit, inter alia ex *attributione* psalmorum *Davidi* facta in aliis libris S. Scripturæ; revera psalmi omnes quorum, speciminis gratia, dicitur in decreto origo davidica non posse denegari (ad 5m), omnes isti de facto in aliis locis Veteris vel Novi Testamenti *directe* sub Davidis nomine citantur (David dicit, Deus dixit per os David, David in Spiritu vocat..., etc.); nullus ex psalmis a decreto tanquam Davidicis propositis, inducitur formula « *in David* » quæ in Ep. ad Hebr. Psalmum nostrum inducit.

(5) Inter patronos originis Davidicæ quidam putaverunt ps. compositum esse occasione translationis arcæ in montem Sion (II Reg., VI, 12 ss.); alii David prophetice induisse personam pii regis Josiæ, cultum Domini reintegrantis. — Res ad minus incerta videbitur.

II. **Interpretatio Psalmi.** — Sic per strophas et membra sua parallela describi potest Psalmus, deinde explicandus :

Iª Stropha. *Incipit ardenti invitatione ad Deum laudandum* (1-2); *deinde indicatur motivum: Jahve enim est Deus magnus, dominus totius universi, utpote omnium creator* (3-5).

1. Venite, exultemus Domino,
   jubilemus rupi salutis nostræ;
2. Occurramus faciei ejus in gratiarum actione,
   in psalmis jubilemus ei.
3. Quoniam Deus magnus (est) Dominus,
   et rex magnus super omnes deos;
4. Quia in manu ejus (sunt) profunda terræ,
   et cacumina montium (sunt) ipsius;
5. Quia ipsius est mare, et (nam) ipse fecit illud,
   et (ipsius est) arida, (nam) manus ejus formaverunt (eam).

IIª Stropha. *Iterum incipit ardenti invitatione ad Deo obedientiam præstandam* (6); *deinde indicatur motivum: Jahve enim est Deus noster, quocum nos fœdere obligati sumus* (7); *et allegatur exemplum prævaricationis et inobedientiæ Judæorum in deserto, qui fuerunt a Deo puniti et a terra promissa exclusi* (8-11).

6. Venite, procumbamus et procidamus,
   genua flectamus coram Domino, factore nostro.
7. Quia ipse (est) Deus noster,
   et nos (sumus) populus pascuæ ejus et oves manus ejus.
8. Hodie, utinam vocem ejus audiatis:
   Nolite obdurare cor vestrum, sicut (quondam fecerunt patres vestri) in Meriba,
   sicut (fecerunt) in die Massa in deserto,
9. Quando tentaverunt me patres vestri,
   probaverunt me, et viderunt (etsi vidissent) opus meum.
10. Quadraginta annis tædio habui generationem (istam),

et dixi: Populus errantium corde (sunt) isti,
et (etenim) ipsi non cognoscunt vias meas.
11. Quibus juravi in ira mea:
si introibunt in requiem meam!

Annotationes.

1. *Jahve,* Nomen Dei in V. T., quod ordinarie vertitur Κύριος a LXX, et *Dominus* a Vulgata. — *Rupi,* hebr. *tsôr,* quam vocem Vulg., post LXX ordinarie vertit: *Deus.* Sensus est: Jubilemus Domino qui est rupes in qua salus nostra fundatur.

3. Jahve (subj.) est magnus Deus (attrib.). — *Deos,* hebr. *elohim;* hisce indicantur falsæ divinitates quas gentes adorabant. Psalmista sane non intendit earum realitatem affirmare, at unice modo loquendi communiter adhibito se accomodat.

In psalt. *Romano,* et inde in Invitatorio Matut. additur hic: *Quoniam non repellet Dominus plebem suam* Hic textus absque dubio est interpolatus; etenim in alio textu quovis, hebr., græco, latino, etc., nullibi hæc verba occurrunt; dein evidenter disturbant omnem parellelismum membrorum et ipsum processum logicum sententiarum; fuerint desumpta ex ps. XCIII, 14 ubi congruo loco leguntur.

4. *Profunda terræ:* sic textus hebr.; et inde optimus parallelismus antitheticus membrorum: *Profunda* seu abyssi terræ, ea quæ homo penetrare non valet (cfr. Job XXXVIII, 16), sunt in manu ejus, in dominio ejus, et *cacumina montium* sunt ipsius. Sic designatur universa terra. — *Ipse conspicit,* quod legitur in psalt. rom. loco *ipsius sunt,* minus congruit parallelismo membrorum.

5. *Arida, (le continent, het vasteland)* in oppos. ad *mare.* — *Et (nam):* notum est hebræos varias conjunctiones sæpissime indicare per merum copulativum *Vav,* et ex contextu esse eruendum sensum determinatum ipsius: ita in casu: est omnium dominus *quia* omnium creator.

6. *Genua flectamus.* Textus hebr. habet *nibrekah,* quod est: *genua flectamus,* præbetque sensum in parallelum membrum optime quadrantem. — Versio: *ploremus,* quæ refertur a Psalt. *Rom.* et *gall.,* quæque vertit græcum κλαύσωμεν, non congruit parallelismo; ortum duxerit ex male lecto *nibkèh,* (ploremus) pro *nibrekàh;* quæ utique confusio facillime fieri potuit.

7. Inter nos et Jahve conclusum est fœdus: Ipsum in Deum nostrum assumpsimus, obedientia Ipsi promissa; Ipse vero nos in populum suum assumpsit: populus sumus quem sicut oves in pascuis deducit, quosque manu sua gubernat. (Beelen supponit in textu originali lectum fuisse: *populus manus ejus* et *oves pascuæ ejus;* sensus sane idem manet, sed melior figura). — His verbis evolvitur titulus specialis ad obedientiam, qui jam uno verbo indicatur v. 6: *factore nostro.*

8. *Hodie... audiatis.* In t. hebr. hæc verba junguntur cum v. 7. Quidam (Mossé, *Les Psaumes de David*, 1879) sic vertunt: nos sumus populus ejus, si (*'im*) vocem ejus audimus; alii (ut Beelen) legunt cum Vulg. et epist. ad Hebr., una phrasi: Hodie si vocem ejus auditis, nolite obdurare corda vestra....; ast incongruum est dicere: Hodie si vocem *ejus* auditis, nolite facere sicut patres vestri, qui tentaverunt *me*..... Unde melius phrasis sic legitur: Utinam (sic dicit *Psalmista*) hodie audiatis (practice, eam adimplendo) vocem Dei (dicentis, — et sequuntur verba Dei): Ne obduretis corda vestra. — Quænam adjuncta historica intelligantur ab auctore dum tanta insistentia inculcat eis obedientiam *hodie* præstandam, determinari non valet. — *Ne obduretis cor*, ne sitis inobedientes erga Dominum. — Vss. 8-9 alludunt ad ea quæ referuntur facta dum populus Israel, post exitum de Ægypto, in deserto morabatur: Deficiente aqua in deserto, murmuraverunt contra Moysen, et ideo vocatum est nomen illius *Massa* (i. e. jurgium) et *Meribah*, (i. e. tentatio), quia filii Israel ibi jurgati sunt et quia tentaverunt Dominum (Exod. XVIII, 7). — Simile factum narratur Num. XX, ubi locus *Meribah* vocatur. Hæc facta in memoriam revocantur in Deut. (VI, 26; IX, 22; XXXIII, 8) et in Psalmo nostro. At in omnibus his locis, LXX et Vulgata nomina ista propria verterunt ac si fuissent communia.

9. *Probaverunt me, (zij hebben mijne macht op de proef gesteld, ils m'ont mis à l'épreuve),* nimirum per inobedientiam suam. Cfr. Ps. LXXVII, 19 s. — *Etiam viderunt:* quidam intelligunt: probaverunt potentiam meam, et utique viderunt opus meum, experti sunt potentiam meam, vindictam meam. Communius tamen et melius: Probaverunt potentiam meam, etsi ex omnibus miraculis quæ in exitu de Ægypto et in deserto patraveram, notam eam habere debebant. Cf. Ps. XLIII, 2; CV, 13, 22.

10. *Tædio habui,* hebr. *'agôt,* quam vocem bene verterunt LXX per προσώχθισα; ast hanc vocem græcam male intellexit translator latinus (psalt. *romanum*), vertens quasi fuisset composita ex προς, *ad,* et ὄχθη, *ripa:* ad ripam accedere, inde: *proximus fui;* revera προσοχθίζω significat *offendere,* et meritò correxit S. Hier. (psalt. *gallicanum*): *offensus fui.* — *Semper,* Ἀεὶ, quod legitur in Vulg. et LXX, deest in t. hebr.; ortum duxerit ex obvia confusione inter *'ôd* (adhuc, semper), et *'am* (populus). — *Vias meas,* non quidem vias quibus ego ambulo, sed vias quibus volo eos ambulare, adeoque *præcepta mea.* — Hæc præcepta *non cognoscunt,* cognitione np. practica: ea non adimplent, sunt inobedientes in me.

11. *Quibus,* hebr. *'asér,* quod vertitur a LXX: ὡς, a Psalt. *gall.* (Vulg.): *ut,* a Psalt. *Rom.: quibus.* Et ordinarie intelligitur ab exegetis: offensus fui ipsis..., *quare* juravi, vel: *adeo ut denique tandem* juraverim. Ast inde videtur oriri difficultas: etenim juramentum divinum ad quod Ps. alludit contigit, non *in fine* quadraginta annorum, ut videretur supponere Psalmista, sed in initio (Cfr. Num. XIV, 26 ss.: Vivo ego, ait Dominus,... filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta. Cfr. *Zeitschrift für Katholische Theologie,* 1902, pp. 396 ss.). — Difficultas sane omnis evanesceret si, ut supponit Briggs *(A crit. and exeg. commentary on the book of Psalms,* 1907), *quadraginta annis* esset interpolatio posterior, vel si, cum Zenner-Wiesmann *(Die Psalmen nach dem Urtext,* 1906) omitteres totum v. 9 et 10. — Ast non videtur necessarium ad tales, utique sæpius arbitrarias solutiones recurrere. Etenim congruum sensum præbet Psalt. Rom.: *quibus:* sic enim vv. 8-11 intelligere possumus: Nolite obdurare corda vestra sicut fecerunt in Meribah et Massa patres vestri, ubi invitis omnibus miraculis meis, adhuc tentaverunt me; nolite agere sicut patres vestri quos per 40 annos tædio habui in deserto, utpote populum insipientem et peccatorem; nolite agere sicut patres vestri *quibus* juravi in ira mea..., quos in ira mea a terra promissa exclusi. — Psalmista np. intendens suos coævos ab inobedientia deterrere, eis ex memoria refert exemplum veterum Judæorum: eorum insolentem pervicaciam in Deum, tædium quo per 40 a. Deum affecerunt, eorum quoque exclusionem a terra promissa, — quin intendat inter hæc varia facta notare successionem

chronologicam. Imo nonne adest ordo chronologicus idem quo in Pentateucho eadem facta referuntur? Revera, primo tempore post exitum de Ægypto contigerunt Judæorum insurrectiones in Meribah et Massa; dein, per 40 annos adhuc in deserto permanserunt; tandem, successit punitio finalis, quatenus terram promissam revera non ingressi sunt: hoc ultimum refert Psalmista revocando in memoriam juramentum divinum quo hæc punitio in illos fuerat pronuntiata. — *Si introibunt...;* est formula juratoria incompleta, sic v. g. supplenda: si introibunt, non sim ego Deus, vel non sim Deus verax; ergo, non introibunt. — *Requies* de qua hic agitur et quam Deus vocat *suam* utpote cujus Ipse largitor, intelligitur requies terræ Chanaan Judæis promissa. Cfr. *Deut.* XII, 9.

A. Vander Heeren.

II

Q. *An et cur demonstrari potest Christum esse Deum ex hoc quod in N. T. sæpe vocatur* « Filius Dei »?

R. Sensus quæstionis (1) est utrum ad demonstrandam Christi divinitatem possit confici *speciale* argumentum ex nomine « Filius Dei », nempe ex hoc quod illud nomen sæpe in variis S. Scripturæ N. T. libris attribuitur Christo. Quæstioni sic propositæ respondemus:

Negative.

Quam responsionem infrà explicabimus sed præmittendæ sunt duæ

Præviæ animadversiones. 1. Quando agitur tum de determinando *sensu* appellationis « Filius Dei », tum de determinanda *vi demonstrativa* quæ inest attributioni hujus nominis ad Christum, oportet ut *pro singulis testimoniis* consideretur imprimis a qua persona proferatur, nempe utrum a Deo Patre aut ab ipso Christo aut ab angelo proferatur, vel a dæmone aut ab homine.

(1) De tota quæstione cf. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, Paris, 1905; Cellini, *Il valore del titolo* « Figlio di Dio », Roma, 1907.

a/ *Sensus* enim locutionis dependet a mente ejus qui illam adhibet et proinde ab ejus cognitione quam habere potuit (sive naturaliter, sive supernaturaliter) de Christo: consequenter quando definiendum erit utrum, in determinato testimonio, appellatio « Filius Dei » significet proprie illum qui naturali generatione a Deo originem habet et proinde verus est Deus, an improprie illum qui speciali quadam relatione unitur Deo, diversa a filiatione naturali, absque dubio ratio habenda est de persona quæ hanc appellationem profert et de statu ejus cognitionis, nec ex hoc quod constat ab una persona in tali testimonio adhibitam esse appellationem « Filius Dei » in sensu proprio, poterimus concludere quod eadem appellatio eamdem habeat significationem quando profertur ab alia persona (1).

b/ Quoad *vim demonstrativam,* nempe quantum ad conclusionem: ergo in hoc textu cognoscimus revelari Christum esse Deum, iterum distinguere oportet personas quæ Christo attribuunt appellationem « Filius Dei »: nam cognitio de divinitate Christi a nemine, præter Deum, haberi potest nisi per Dei revelationem (2): igitur ad dijudicandum valorem cognitionis et affirmationis circa Christum, oportet inquirere quisnam loquatur. Si v. gr. ipse Deus loquitur et docet Christum esse Filium Dei naturalem, ipso facto nobis revelatur divinitas Christi; idem dicendum de homine qui et quatenus inspiratus a Deo loquitur; non idem dici potest de alio homine, qui potest errare.

---

(1) Apud auctores catholicos plerique censent in confessione Petri: « Tu es Christus, Filius Dei vivi » (*Matth.* XVI, 16), appellationem « Filius Dei » significare in mente Petri naturalem et proprie dictam filiationem divinam, ita ut his verbis significetur divinitas Christi. Supponamus hunc sensum esse certum: non poterimus *ex hoc concludere* eadem verba habere eamdem significationem in sermone Pilati dicentis: « Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei » (*Matth.* XXVI, 63). Quod cæteroquin patet ex rationibus omnino diversis quibus utuntur interpretes ad utrumque textum explicandum.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 574 ss.

2. Altera animadversio, quæ majoris est momenti ut recta habeatur ratio exponendæ demonstrationis de divinitate Christi, in hoc est ut bene distinguantur hæc duo: *demonstrare,* ex aliquo textu vel ex quibusdam textibus, aliquam veritatem, puta divinitatem Christi, et hoc: *supposita aliunde cognita aliqua veritate,* puta divinitatem Christi, ostendere hanc veritatem esse de facto contentam seu enunciatam in tali textu vel in talibus testibus.

Consideremus v. gr. hunc textum: « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui » (1). Si hæc verba sola considerantur non possumus ex his *demonstrare Christum esse naturalem Dei Filium:* nam non repugnat ut purus homo dicatur Filius Dei, imo specialiter dilectus et objectum speciale complacentiæ divinæ: ad justificanda hæc verba sufficeret hunc hominem speciali dignitate vel sanctitate a Deo præditum fuisse. Sed si supponimus notum ex aliis textibus Christum esse naturalem Filium Dei, non poterimus dubitare quin Pater intenderit appellationem « Filius meus dilectus » eo sensu quo importat proprie dictam naturalem filiationem, licet hoc non intellexerint homines qui audierint hoc assertum (2).

Responsio declaratur.

Nequit divinitas Christi demonstrari ex ipso nomine

(1) *Matth.* III, 17.

(2) Hic notare juvabit falsum esse quod Deus vel Christus non potuerit docere id quod auditores sui tunc non potuerint intelligere vel quod sensus verborum Christi determinandus et interpretandus sit unice secundum cognitiones quas habebant Judæi tempore Christi. — Præterea quoad statum cognitionum religiosarum apud Judæos, tempore Christi, cf. LAGRANGE, *Le Messianisme chez les Juifs,* Paris, 1909; quo in opere, p. 265, legitur: « Quand on prétend que Jésus a pris pour point de départ de son enseignement la foi commune de son peuple en matière eschatologique, on ferme les yeux sur ces hésitations et ces incohérences [décrites plus haut]. Ce qui est vrai, c'est que la plupart des idées dont il s'est servi étaient en effet dans l'air. Mais il a tout groupé dans une solution si simple qu'elle porte le sceau de sa divinité, surtout lorsqu'on la rapproche des prophéties qu'elle réalise dans une parfaite harmonie ».

« Filius Dei », speciatim argumento sic proposito: Significatio nominum præsumitur propria quamdiu non demonstratur impropria ; atqui significatio nominis « Filius Dei » attributi Christo non demonstratur impropria; ergo significatio nominis « Filius Dei » attributi Christo est sumenda ut propria (h. e. designat naturalem filiationem a Deo).

R. *Maj. dist....* quamdiu non demonstratur *saltem ut dubia* significatio, *conc.;* quamdiu non demonstratur *ut certo* impropria, *nego.*

Min. contrad. Significatio nominis « Filius Dei » attributi Christo, *considerati in connexione cum tota doctrina de Ipso*, non demonstratur impropria, *conc.;* significatio nominis « Filius Dei » *ex sese* considerati, *subdist.:*
non demonstratur saltem *ut dubia, nego*,
non demonstratur *certo impropria*, *conc.*

Explicatur distinctio. Si res quasi *a priori* consideratur, attributio nominis « Filius Dei » facta alieno homini, excitare debet dubium de sensu quo appellatio adhibetur : sane quod homo quidam sit etiam Deus, est aliquid omnino supernaturale et aliquid quod naturalem hominis cognitionem superat.

Præterea si inspicitur ipse usus S. Scripturæ, nomen « Filii Dei » in forma plurali adhibetur de puris hominibus. Et licet admittatur « in universis Scripturis, præter unum Filium Dei, qui est Jesus Christus, nullam *personam singularem* et *definitam* ex propria ss. scriptorum sententia appellari *Filium Dei,* nisi fortasse ratione typi quem gerat ipsius Jesu Christi » (1); licet etiam constet hoc nomen *speciali ratione* convenire Christo, ita ut hæc ratio sit ipsi soli *propria*, tamen nondum possumus ex ipso nomine solo deducere illud sumendum esse sensu *proprio,* quo designatur naturalis filiatio: quia non repugnat quod Christus propter spe-

(1) Franzelin, *De Verbo Incarnato,* Roma, 1869, thes. III, p. 12.

cialem unionem cum Deo, sed diversam a filiatione naturali, puta propter *messianitatem,* vocatus fuisset Filius Dei (1).

Conclusio. Non igitur ex ipso nomine « Filius Dei », sed ex doctrina revelata, quæ utique exprimitur compendiose in vocabulo « Filius Dei » intellecto secundum hanc doctrinam, demonstranda est divinitas Christi.

Adnotatio. Quoad significationem quam vocabulo « Filius Dei » attribuebant de facto illi qui tempore Christi vivebant, dicit P. Billot (2): « Quod appellatio Filii Dei fuit ab iis inter quos Christus vixit, in sensu veræ et propriæ divinitatis constanter intellecta ». Hæc propositio non admittenda est (3).

Sed nec admitti potest assertio omnino contraria, quam propugnabat P. Rose (4), asserendo nomen « Filius Dei », prout adhibebatur et intelligebatur a contemporaneis Christi, nihil aliud significare quam

---

(1) Cf. Van Crombrugghe, *De Verbo Incarnato,* Gandavi, 1909, p. 6; Lepin, *o. c.,* p. 45 ss. Inde non ut apodicticum habemus argumentum quod proponit P. Billot, *De Verbo Incarnato,* 3er Ed., Roma, 1900, p. 506, his terminis: « Quod nomen Filii Dei, singulariter, absolute et sine addito in Evangelio a Christo assumptum, est *ex sese* certissima ejus divinitatis affirmatio ». Certo non negat P. Billot filiationem divinam sensu analogico attribui hominibus et bene exponit varias rationes illius analogiæ (*o. c.,* p. 505). Deinde concludit: « Uno demum verbo aut filii Dei dicuntur aliqui comparative ad alios, aut si absoluta est appellatio, semper conjungitur conveniens explicatio ». Sed nobis videtur dari textus in quibus absoluta est appellatio « Filius Dei » de Christo et in quibus constat Christum præ omnibus aliis speciali ratione vocari Filium Dei, sed in quibus textibus non sufficiens est explicatio ut possimus *concludere* agi de *ipsa naturali filiatione.* Cf. Cellini, *o. c.,* p. 50, 177.

Nec ut apodicticum habemus argumentum quod indicat Franzelin, *o. c.,* p. 17: Si nomen « Filius Dei » ubi tribuitur definitæ personæ, non significat filium tantummodo adoptivum, sed habet eminentem significationem, sequitur hanc significationem esse *naturalis filii Dei;* hanc consequentiam negamus: non enim repugnat ut detur aliud quam ipsa naturalis filiatio quod verificet prædictam *eminentem significationem.*

(2) *O. c.,* p. 508.

(3) Cf. Cellini, *o. c.,* p. 57.

(4) *Etudes sur les Evangiles,* Paris, 1904, p. 182-197.

nomen Messias. Nam apud Judæos, viventes tempore Christi, nomen « Filius Dei » non erat nomen quo designabant Messiam (1); licet Judæi potuerint intelligere nomen « Filius Dei » tamquam specialiter aptum quo designaretur Messias (2), tamen potuerint etiam, quidam saltem ex Judæis, recte percipere doctrinam Christi et inde cognoscere Christum esse naturalem Dei Filium. Ex adjunctis igitur et ex diversis hermeneuticæ mediis dijudicandum erit pro singulibus textibus quænam fuerit mens auditorum Christi vel loquentium de Ipso (3).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Expone præcipuas sententias circa institutionem sacramentorum.*

R. Opportunum ducimus in hac quæstione non parum intricata certa ab incertis secernere et, præmissis doctrinæ punctis quæ unanimi catholicorum consensu admittuntur, indicare objectum controversiæ et varias solutiones ad illud enodandum proponi solitas:

I. **Puncta doctrinæ certa.**

A. *Attenta ipsa natura sacramenti, attentaque œconomia gratiæ:*

1° *Certum est* sacramenta institui non potuisse nisi *dependenter a Deo,* siquidem Ipse solus auctor est gratiæ, cujus signa efficacia existunt sacramenta. Et sane, uti arguit S. Thomas, in 1ª-2ᵃᵉ, qu. 112, art. 1, « nulla res potest agere ultra suam speciem, quia semper oportet quod causa potior sit effectu; donum autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ,

(1) Cf. Lagrange, *o. c.*, p. 104 s., 213 ss.; *Evangile selon S. Marc*, Paris, 1911, p. 57; Franzelin, *o. c.*, p. 20.

(2) Cf. Lepin, *o. c.*, p. 45.

(3) Cf. Cellini, *o. c.*, p. 143.

cum nihil aliud sit quam quædam participatio divinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam: et ideo impossibile est quod aliqua creatura gratiam causet ». Cf. etiam 3m P., qu. 64, art. 1.

2° *Certum est* sacramenta institui non potuisse nisi *dependenter a Christo qua homine,* seu a Christi Domini humana voluntate. Christus namque passione sua, « quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ justificationis et meritorie et effective » (1), ac ex hoc capite dispensator existit omnis gratiæ, in ejusque voluntate humana positum est gratiæ distributionem regere et moderare. Habebat proinde Salvator qua homo potestatem instituendi signa gratiæ efficacia, eamque talem ut independenter ab Ipso institui non potuerint.

Quæ profectò duplex potestas sacramenta instituendi una quæ competit Deo, altera quæ competit Christo-homini, non eodem gradu est habenda. Potestas Dei est *suprema* et *absolute independens*, et ideo dicitur *potestas suprema auctoritatis,* eique obnoxia est et subjecta potestas Christi-hominis, quæ respectu illius est potestas *instrumentalis ac ministerialis:* sicut nempe Christus secundum humanam naturam non est causa meritoria gratiæ nisi in quantum humanitas est instrumentum divinitatis Ejus, sic secundum eamdem naturam non habet potestatem in sacramenta nisi instrumentalem dumtaxat et ministerialem; sed, quemadmodum ratiocinatur Angelicus Doctor, l. c., « quia (humanitas Christi) est instrumentum conjunctum divinitati in persona, habet quamdam principalitatem et causalitatem respectu instrumentorum extrinsecorum qui sunt ministri Ecclesiæ... ideo..., in quantum homo, habet (Christus) *potestatem ministerii principalis,* sive *potestatem excellentiæ* ».

3° *Certum est* quod Christus Dominus, cui secundam

(1) S. Thomas, P. 3ia, qu. 64, art. 3, in corpore.

divinam naturam competit potestas auctoritatis, et, secundum naturam humanam, potestas excellentiæ in sacramenta, potuisset aliis, puta apostolis vel posterioris Ecclesiæ principibus, relinquere munus sacramenta instituendi : ipsis communicando potestatem qua sacramenta instituerent, dependenter utique a Christo ac sacramentorum efficacià ab Ipsius meritis derivatà.

Nimirum potuisset Christus Dominus statuere et decernere sacramentorum existentiam omninò indeterminatè, statuendo scil. ut existerent quædam adminicula ad gratiæ beneficium consequendum, missione concredita Apostolis eorumve successoribus illa gratiæ media eligendi eòrumque œconomiam moderandi, operationis modum determinandi ac finem respective proprium, salva illorum mediorum dependentia a Christi meritis in gratiam operando.

Hoc sensu Christus non diceretur proprio nomine sacramentorum institutor, non magis quam Deus dici posset proprie obligationem induxisse missam audiendi die dominica, licet Ecclesia hanc obligationem imposuerit in executionem generalis ac indeterminati mandati divini de Deo colendo.

B. *Attenta doctrina Ecclesiæ et signanter Concilii Tridentini :*

Certum est, et quidem fide tenendum, omnia sacramenta Novæ Legis esse a Jesu-Christo instituta (1).

Christus ergo ipse de facto instituit omnia et singula sacramenta, nec horum institutionem aliis reliquit faciendam.

Porro ad hoc ut proprio verborum sensu possit dici sacramenta omnia et singula instituisse, oportet ut non tantùm generali ac indeterminato modo decreverit existentiam quorumdam mediorum ad salutem vel gratiæ adeptionem ; postulatur ut ipse Christus moderaverit

(1) Sess. VII, can. 1 : « Si quis dixerit sacramenta Novæ Legis non fuisse omnia a Jesu-Christo Domino Nostro instituta... anathema sit ».

œconomiam illorum mediorum, ac singulis illis finem proprium adscripserit; a. v. ut decreverit existentiam septem signorum efficacium gratiæ, et quidem signorum quæ respective ordinarentur ad determinatam gratiam specialem significandam ac operandam, regenerativam scil., roborativam et ita porro. Hæc sunt quæ requirantur et sufficere videantur ut sustineatur propositio conciliaris: Christum omnia ac singula sacramenta instituisse.

II. **Objectum Controversiæ.**

Controversia incipit ubi *ulterius* inquiritur *circa modum* quo Christus Dominus sacramenta instituerit.

Nimirum non una est ratio secundum quam Christus jure ac in proprio verborum sensu proclamari queat sacramentorum omnium institutor. Vel

1° Christus tantùm decrevit existentiam septem signorum efficacium gratiæ, ejusque specialis ac propriæ in ordine ad proprium respectivè finem septuplicem; non autem determinavit uniuscujusque signi elementa constitutiva: hæc determinanda reliquit, si non pro omnibus, saltem pro quibusdam sacramentis, Apostolorum collegio aut Ecclesiæ quorum fuerit eligere elementa quibus dictum signum constaret: hac salva restrictione ut maneret in signo aptitudo ad significandum et significando operandum effectum proprium unicuique sacramento ex Christi voluntate adscriptum. Vel

2° Etiam determinavit Christus constitutionem physicam singulorum septem sacramentorum, statuendo ut v. gr. Baptismus conferretur ablutione aquæ, sub invocatione SS. Trinitatis, Confirmatio sub impositione manuum et formæ correspondentis prolatione; sed ita determinavit ut *locus esset alicui latitudini,* quatenus nempe Apostoli vel Ecclesiæ principes potuerint, non quidem abrogare materiam et formam a Christo inductas, sed eas (pro omnibus sacramentis vel pro quibusdam saltem) accuratius et strictius determinare vel etiam

novis elementis adaugere, adeo ut *ipse signi valor*, infra certos limites, obnoxius esset Ecclesiæ voluntati: hæc nempe duplex conditio esset tenenda, ut scil. in novis elementis inductis servaretur aptitudo signi utque integritas non læderetur elementorum a Christo constitutorum.

Hac ratione posset Ecclesia disponere ut Baptismus non conferretur *validè* nisi sola infusione aut immersione, rejecta aspersione; ut forma adhibita in Ecclesia Latina unicè valeret vel inter Latinos sola valida foret; pro Confirmatione, posset decernere ut, præter impositionem manuum, quæ supponitur a Christo inducta, ad accuratiorem significationem adhiberetur etiam unctio, idque *pro ipso sacramenti valore*. Vel

3° Determinavit Dominus elementa constitutiva signi *ne varietur,* nulla scil. latitudine relicta Apostolis eorumve successoribus circa materiam et formam, *quoad earum valorem;* quo pacto Ecclesia non modò non posset abrogare materiam et formam a Christo statutam, sed nec eis aliud elementum adjungere vel illas accuratius determinare, *nisi pro sola liceitate ministrationis.*

Nota. 1° Sub unaquaque ex modò descriptis sententiis tribus sustineri potest, uti diximus, sacramentorum omnium et singulorum institutio per Christum, idque sensu verborum proprio ac obvio (1).

In *tertia* et etiam in *secunda* explicatione, perfecte salvatur institutio sacramentorum per Christum *immediata*, cum ex facto ipsius Domini septem signa determinata supponantur in actu secundo constituta et usui fidelium pervia; imo in utraque illa sententia determi-

(1) Hoc assertum, in quantum spectat primam sententiam, exemplo illustratur ab Harent, in articulo *La Part de l'Eglise dans la détermination du rite sacramentel*, apud *Etudes*, tom. LXXIII, p. 317 s. « Un prince veut fonder un ordre de chevalerie. Il en fixe à lui seul la nature, le but, les privilèges; il laisse à un ministre le soin de régler le cérémonial, même dans la partie essentielle à la validité de la réception. Cependant, de l'aveu de tous, c'est le prince lui-même qui a institué cet ordre ».

natur signum in sua forma *specifica:* aliter tamen atque aliter, siquidem determinatio signi in tertia explicatione fixa est et nulli ulteriori determinationi ejus valorem afficienti obnoxia, dum in secunda explicatione locus relinquitur ulteriori determinationi vel et novi elementi accessui, idque ita ut valor signi inde afficiatur.

Quod autem spectat *primam* explicationem: potest etiam aliquo modo in ipsa salvari institutio per Christum *immediata* cum determinatione signi *generica,* quatenus scil. Christus Dominus statuerit signum requiri aptum ad gratiam specialem et propriam significandam, reliquerit vero Apostolis vel Ecclesiæ munus signum infra hosce limites specificè determinandi; de facto etiam a plerisque modernis Auctoribus dicitur sententia de institutione immediata cum determinatione signi generica, aut, breviori formula, sententia de institutione immediata generica (1). Attamen non minori jure diceret aliquis sacramenta, juxta hanc primam interpretationem, instituta fuisse a Christo *mediatè:* stricte enim loquendo sacramenta non incipiunt in actu secundo existere et esse usui fidelium pervia nisi postquam signum, cui gratia efficaciter connectatur, in concreto et in sua forma specifica est determinatum; in quantum ergo determinatio signi non est ab ipso Christo facta in concreto et in sua forma specifica, in tantùm potest dici sacramenta non esse ab Ipso in actu secundo constituta, eorumque institutionem fuisse Ecclesiæ demandatam (2).

---

(1) Illi Auctores institutionem sacramentorum mediatam dicunt illam esse quæ describitur suprà, sub I, A, 32.

(2) Videtur quod non pauci Auctores antiquiores hanc eamdem vel vix non eamdem sententiam, quam nunc moderni vocant de institutione immediata in genere, præ mente habuerint, quando vindicant, pro nonnullis sacramentis, institutionem per Christum *mediatam*: unde non rarò oritur confusio in disputationibus Auctorum circa præsentem quæstionem, aliis arguentibus contra alios secum consentientes re et solis verbis dissentientes.

Ita, inter alios, S. Bonaventura. Docet quædam sacramenta, signan-

2° Silentio prætermisimus sententiam quamdam sic dictæ institutionis *implicitæ,* quam proponit POURRAT, *La Théologie Sacramentaire,* 3e éd., Paris, 1908, p. 273 s.: censet laudatus Auctor Christum instituisse quædam sacramenta (omnia scil. præter Baptismum et Eucharistiam), immediate quidem, sed nondum perfecte constituta et per decursum temporis ad plenam suam constitutionem evolvenda (1).

---

ter Confirmationem et Extremam Unctionem, a Christo esse instituta *mediatè:* de Extremà enim Unctione, *In L. IV Sent.,* disp. XXIII, art. 1, qu. 2 (Editio Operum omnium, ad Claras Aquas, 1889, tom. IV), docet eam esse institutam per Apostolos, « sicut dictum est de sacramento Confirmationis ». Ast quomodo S. Doctor intelligit hanc formulam institutionis mediatæ per Apostolos? In *Breviloquio,* P. VI, cap. 4, (tom. V, 1891), aperte urget sacramenta fuisse instituta a Christo Domino, sed *diversimode:* alia, completè, et clarè instituit, distinctè et integrè, alia, in specie Confirmationem et Extremam Unctionem, *insinuando et initiando;* in *Commentario* autem *in L. IV Sent.,* disp. VII, art. 1, qu. 1, ubi in responso ad 1m, negat Confirmationem a Christo fuisse institutam, integrè scil. et completè, ideo ostendit se negare institutionem per Christum, quia Ipse non instituit *formam,* quæ fuit ab Apostolis determinata, addens, in qu. 2, Confirmationem prius non habuisse materiam nec formam, sed illa elementa postea esse instituta, et ideo Confirmationis institutionem non esse factam a Christo. Institutio ergo quæ Christo adscribitur mediata talis est quæ conveniat cum institutione immediata generica.

Quam interpretationem confirmat doctrina ab eodem S. Bonaventura proposita circa sacramentum Pœnitentiæ, *In L. IV Sent.,* disp. XVII, p. II, art. 1, qu. 3, ubi docet confessionem esse a Christo insinuatam, ab Apostolis vero institutam, hoc scil. sensu, quatenus in potestate clavium immediate concessa a Domino acceperint potestatem remittendi peccata et simul determinandi modum convenientem, i. e. « per morbi seu peccati detectionem et peccantis humiliationem et sacerdotalem absolutionem ».

Idem valet de *Ruardo Tappero,* uti non obscure liquet ex opere, cui titulus: *Explicatio Articulorum 20 venerandæ facultatis S. Theologiæ generalis studii Lovaniensis,* in editione Operum, anni 1503, Coloniæ. Nimirum in explicatione articuli 1i tom. I, p. 2-3, docet omnia sacramenta esse a Christo instituta, sed probabilius non omnia instituta esse ab Ipso immediatè, sed condita fuisse ab Apostolis « quoad determinationem et significationem materiæ et formæ in quibus consistunt; clarius autem adhuc loquitur, tom. II, p. 142-143, ubi de institutione Confirmationis.

(1) Quoad illa sacramenta, ait « Le Sauveur en a posé les principes essentiels; le développement devait montrer aux Apôtres et à l'Église ce

Vix enim non confunditur hæc sententia cum sententia prima, quam moderni vocant de institutione immediata generica; et, in quantum dici posset quid novi inducere, nititur confusione inter imperfectam sacramenti constitutionem ejusque perfectam et explicitam cognitionem in mente christianorum per priora sæcula (1).

IV

Q. *Vindica sententiam de eadem institutione præplacentem.*

R. 1. Unaquæque ex tribus sententiis inter catholicos propositis, et sub responso ad III^m Qu., sub II, delineatis, salva fide teneri potest. Uti namque ex præcedente responso liquet, in quacumque illarum explicationum intacta servatur doctrina a Concilio Tridentino definita, cum in tribus sententiis salvetur institutio omnium et singulorum sacramentorum per Christum, eaque sensu verborum proprio et obvio intellecta.

Quod speciatim spectat *primam* explicationem de institutione immediata in genere, seu de institutione mediata, ad mentem S. Bonaventuræ et aliorum antiquiorum: illam a Synodo Tridentina non reprobari variis indiciis *confirmatur*.

Et quidem a/ ex eo quod canones conciliares censentur dirigi contra hæreticos et novatores, ac, nisi contrarium innotescat, in hunc sensum sunt intelligendi ut intactas relinquant controversias in scholis agitatas;

---

que le Maître a voulu faire. Jésus en effet ne pouvait pas tout dire à ses Apôtres: non potestis portare modò. De même qu'il a laissé à l'Esprit-Saint le soin de faire connaître explicitement à l'Église le dogme catholique révélé, ainsi Il a pu confier à ce même Esprit la mission de dévoiler toutes les richesses de l'institution sacramentelle, lorsque les besoins de la société chrétienne grandissante l'exigeraient ».

(1) Cf. VANDER HEEREN, in recensione operis Pourrat, apud *Revue d'Histoire ecclésiastique*, 1907, p. 803; DE SMET, *De Sponsalibus et Matrimonio*, 2^a ed., n. 98.

unde ægre dicetur canonem primum Sess. VII damnare doctrinam a S. Bonaventura ejusque schola propugnatam (1), eo vel magis quod plures e theologis Concilii e familia erant et schola S. Doctoris, ac nihil in præparatoriis actis occurrit quo innotescat rejectam fuisse illam sententiam, licet mentio fuerit de illa facta in disputationibus (2).

Confirmatur b/ ex testimonio jam laudati Ruardi Tapperi, qui noscitur Concilio interfuisse et partem habuisse non levem in ipsa præparatione canonum circa sacramenta. Nimirum, in opere citato, postquam, p. 2-3, dixerit probabilius quædam sacramenta a Christo fuisse instituta per ministerium Apostolorum, quoad determinationem scil. materiæ et formæ, « salva tamen et integra manente significatione » a Christo volita, concludit ibidem, declarando: « Et si hæc potestas fuerit apud Apostolos, an fuerit solum apostolica, an in Ecclesia manserit apud eorum successores, inquiri potest, sed nihil horum requirit articulus (i. e. canon Concilii), qui solum habet quod omnia sacramenta sunt a Christo instituta, non autem quod ab eo instituta sunt immediatè ».

2. Quodsi quæratur quænam ex præfatis tribus sententiis præferenda videatur, en quæ, salvo meliori, proponenda censeamus:

Tertia sententia, vindicans, *pro omnibus sacramentis*, institutionem immediatam cum determinatione signi

(1) Hoc fatetur ipse FRANZELIN, tertiæ sententiæ acerrimus propugnator, in *Tractatu de Sacramentis in genere*, ed. 3ia, Romæ, 1878, p. 184.

(2) Cf. THEINER, *Acta genuina Concilii Tridentini*, Zagrabiæ, 1874, tom. I, p. 383 ss., notatim p. 395 et 397: in priori loco ad art. 2m de Confirmatione, ubi de hujus sacramenti institutione agebatur, advertitur a Joanne Consilii, quod sit habenda ratio sententiæ scholasticorum dissentientium, et, altero loco, notatur ab Andrea Vega quod « debet considerari, cum non sint testimonia clara, quod ab Apostolis vel a Deo sit instituta ». Cf. etiam DE BAETS, *Quelle Question le Concile de Trente a entendu trancher, touchant l'institution des Sacrements par le Christ*, apud *Revue Thomiste*, 1906, p. 30 ss.

specifica ne varietur, ex una parte aptius quadrat cum doctrina, cap. 2, Sess. XXI Concilii Tridentini, enuntiata (1), eique favent Auctores moderni plurimi (2); ex alia vero parte obstant gravissima rationis momenta quominus adeo stricte urgeamus institutionem et determinationem signi sacramentalis per Christum.

Revera in illa sententia ægerrime explicatur quomodo, per prima Ecclesiæ sæcula, et etiamnum in Ecclesia Orientali, sola impositione manuum conferebatur sacramentum *Ordinis*, dum nunc temporis ordinatio non censeatur valida in Ecclesia Latina, nisi impositioni manuum accesserit porrectio instrumentorum; non facilè explicatur etiam quomodo ad *Confirmationis* materiam, præter impositionem manuum quæ sola memoratur in S. Scriptura, pertineat ulterius unctio eaque facta cum oleo ab Episcopo benedicto; minus tandem intelligitur quomodo ad valorem *Extremæ Unctionis* censeatur requiri, in Ecclesia Occidentali, benedictio olei facta ab Episcopo, dum, inter Orientales, valida habetur sacramenti administratio peracta cum oleo a simplici sacerdote benedicto (3).

Quibus omnibus attentis non potest ut certa imponi sententia de determinatione omnium sacramentorum specifica ne varietur, nec solida probabilitate caret, imo probabilior dicenda videtur utraque alia sententia,

---

(1) S. Synodus « declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut, in sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia*, ea statueret vel mutaret quæ.... magis expedire judicaret ».

(2) Tales præ cæteris sunt Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, Friburgi Brisgoviæ, 1908, ed. 3ia, tom. IV, n. 221 ss.; Sasse, *Institutiones theologiæ de Sacramentis Ecclesiæ*, Friburgi Brisgoviæ, 1897, tom. I, p. 128 ss.; Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, Paderborn, 1906, 2 ed., tom. III, p. 57 ss., quibus favet etiam Kern, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Pustet, 1907, p. 141.

(3) De hisce latius disserentes cf. Harent, *La Part de l'Église dans la détermination du rite sacramentel*, apud *Études*, tom. LXXIII, n. 321 ss., et maximè Fr. Schmid, *Die Gewalt der Kirche bezüglich der Sakramente*, apud *Zeitschrift für kath. Theologie*, 1908, p. 43-54 et 254-288, coll. *Revue Thomiste*, 1908, p. 212 ss. et 467 ss.

admittens, pro quibusdam saltem sacramentis (1), determinationem genericam dumtaxat aut determinationem specificam variationi obnoxiam.

Nec probabilitatem illam evacuare valet invocatum cap. 2 Sess. XXI. Meritò enim reponit VAN NOORT: « Si Christus ritum alicujus sacramento in genere tantum determinavit, substantia hujus sacramenti est apta gratiæ significatio, non autem specialis significandi modus » (2). Non multa etiam attentione dignum est argumentum oppositum a FRANZELIN, o. c., p. 187, sub 3°, necnon a POHLE, o. c., p. 55 s., ex analogia scil. deductum, quatenus, cum constet quædam sacramenta, notatim Baptismum et SS. Eucharistiam, a Christo accepisse determinationem signi specificam, camque fixam, idem sit dicendum de reliquis: analogia namque non est talis ac tanta ut in omnibus sint æquiparenda sacramenta ad invicem; nec quæstio de institutione est a priori definienda sed ratio est habenda facti historici.

3. Si ulterius postuletur cuinam ex duabus sententiis relictis, primæ vel secundæ, calculus sit adjiciendus, non ita liquet:

Ex una parte sufficit secunda sententia ut ratio reddatur variarum mutationum quæ, juxta superius notata, videntur esse introductæ in materia et forma quorumdam sacramentorum (3); strictius etiam inhæret defini-

(1) Dicitur: pro quibusdam sacramentis; quia extra controversiam ponitur SS. Eucharistiæ sacramentum, cujus ritus facilè conceditur fuisse determinatus in sua forma specifica ne varietur; quod idem posse dici videtur de sacramento matrimonii, quod ex Christi institutione liquet constare contractu matrimoniali, ita ut materia et forma signi sacramentalis semper fuerint ac sint in contractu valido, licet variæ conditiones apponi possint contractus validitati

(2) *Tractatus de Sacramentis Ecclesiæ*, Amstelodami, 1905, p. 82.

(3) Si enim in Ecclesiæ potestate reponitur elemento in signi constitutione a Christo inducto aliud elementum adjungere, vel signum a Christo statutum, sub sanctione nullitatis, accuratius determinare, sponte intelligitur quomodo, Ecclesia sic disponente, materia et forma olim valida jam nunc non valeat, vel valeat in Oriente et non in Occidente.

tioni Tridentinæ, cum sacramentorum institutionem efficacius et perfectius referat ad Christum; ex alia parte prima sententia melius enodat difficultatem quæ oritur ex silentio documentorum pristini ævi circa quorumdam sacramentorum existentiam (1): hac enim admissa prima sententia, nihil prohibet a nobis supponi quod Ecclesia sua potestate ritum determinandi non sit usa, pro uno alterove sacramento, nisi post aliquod temporis intervallum, quodque adeo dictum sacramentum nonnisi post aliquot annos vel decennia in existentiam devenerit concretam, usui fidelium perviam.

Cæterùm quid impedit quod, sepositis sacramentis extra controversiam positis, utraque sententia, prima scil. ac secunda, simul admittatur: quatenus nempe doceatur quædam sacramenta genericam tantùm a Christo Domino accepisse signi determinationem, alia autem, in specie Baptismum (2), fuisse in suo respective ritu determinata specificè, ita tamen ut, in elementis signum constituentibus, non excludatur, infra limites suprà delineatos, quædam variatio ipsum valorem afficiens?

V

Q. *Vindica doctrinam Ecclesiæ de numero septenario sacramentorum.*

R. I. **Dogmaticè** probatur. Et quidem

1° Ex *definitione Concilii Tridentini*, Sess. VII, can. 1°,

(1) Cf. infrà dicenda sub responso ad sequentem quæstionem.

(2) Ita S. Bonaventura, pro Baptismate, quod docet perfecte et integre a Christo institutum immediatè, admittit locum fuisse variationi et accuratiori determationi. In *Breviloquio* nempe, P. VI, cap. 7, docet formam Baptismi esse expressionem SS. Trinitatis « in distincta, propria et ordinata nominatione..., licet in tempore primitivæ Ecclesiæ *poluerit fieri in nomine Jesu* »; in *Commentario* autem in *L. IV Sent.*, dist. XXIII, art. 1, qu. 2, notat quod « Apostoli, Spiritu Sancto dictante, formam Baptismi a Christo institutam et confirmatam ad tempus mutaverunt ». Eodem modo loquitur Ruardus Tapper, *o. c.*, tom. II, p. 143.

anathema dicentis contra illum qui dixerit « Sacramenta Novæ Legis... *esse plura vel pauciora quam septem,* videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium ».

2° *Ex fide unanimi Ecclesiæ catholicæ*, inde a XII° sæculo: quem consensum inde a dicto tempore extitisse, et quidem consensum tanquam in doctrinam ad fidei depositum pertinentem, nemo catholicus est qui neget (1). Jamvero notum est, juxta principia theologica, traditionis apostolicæ irrefragabile et infallibile criterium esse in fide Ecclesiæ, quandocumque unanimiter credit et tenet aliquod punctum tanquam pertinens ad fidei depositum.

II. **Historicè.**

A. *Indirectè, argumento præscriptionis:*

Constat ex variis documentis et fidei professionibus, ecclesias schismaticas Orientales, non tantùm Græcam Orthodoxam, sed et Nestorianam necnon sectam monophysitarum, constanter retinuisse fidem in septem nostra Novæ Legis sacramenta, idque non obstantibus conatibus protestantium qui omni vi studuerunt Græcos in suas partes deducere (2).

Ex quo facto en quomodo eruere liceat argumentum præscriptionis:

---

(1) Circa Doctores qui, in priori et altera parte sæculi 12i, primi, sub nitida formula et clausa cum serie, expresse docuerunt septem esse sacramenta, nec plura nec pauciora, cf. GILLMANN, *Die Siebenzahl der Sakramente bei den Glossatoren des Gratianischen Dekrets,* Mainz, 1909; coll. DE GHELLINCK, *A propos de quelques affirmations du nombre septénaire des Sacrements au XIIe Siècle,* apud *Recherches de Science religieuse,* I (1910), p. 493 ss.; POURRAT, *La Théologique Sacramentaire,* 3e ed., 1908, p. 243 ss.; POHLE, *o. c.*, III, p. 21 s.; VAN NOORT, *o. c.*, n. 13.

Quod autem spectat solemniores Ecclesiæ professiones, sive in conciliis et synodis latas sive a SS. Pontificibus editas, eas enumeratas videsis apud PESCH, *Prælectiones Dogmaticæ,* tom. VI, n. 71.

(2) Cf. POHLE, *o. c.*, III, p. 23-25; VAN NOORT, *o. c.*, n. 15 s.; PESCH, *l. c.*, n. 75-81; SASSE, *o. c.*, p. 179 ss.; SCHANZ, *Die Lehre von der hl. Sacramenten der kath. Kirche,* Freiburg im Breisgau, 1893, p. 199 ss.; *Revue du Clergé français,* tom. LXVIII (1911), p. 233 ss.

Doctrinam quam Græci schismatici et aliæ citatæ sectæ *nunc* tenent, jam tenebant *tempore schismatis,* quo momento sejunctæ sunt ab Ecclesia catholica; non est enim possibile quod sectæ inter se adeo divisæ fide, lingua, ritibus atque moribus, et insuper maximo odio erga Ecclesiam Romanam laborantes, vel inter se convenerint ad illud punctum doctrinæ introducendum, vel illud unanimiter ab Ecclesia Latina, post suam ab ea separationem, acceperint. Ascendendum est igitur ad sæculum IX, pro Orthodoxis, et usque ad sæculum V, pro reliquis: unde possumus concludere, sæculo V, in Ecclesia Orientali et Occidentali viguisse fidem in septem nostra sacramenta.

Ulterius procedendo, ægre explicatur hujusmodi in sæculo V consensus per universam Ecclesiam, quin doctrina in quam convenitur, ab Apostolis fuerit accepta: non potest namque in Ecclesiam irrepsisse tanta innovatio, quin provocaverit controversias et reclamationes, eo vel magis quod agatur de ipsis vitalibus elementis Ecclesiæ, eisque cum praxi fidelium tam intimè connexis: harum autem reclamationum nullibi apparet vestigium.

B. *Directe.*

Ut stricte dicta instauraretur demonstratio historica directa septenarii numeri sacramentorum a Christo institutorum, opus esset testimoniis et documentis illum attestantibus, quibus ininterrupta serie ascendamus usque ad ævum apostolicum. Quæ demonstratio institui nequit: etenim non tantum desideratur, in litteratura antiqua, doctrina nitidè enuntiata de numero septenario, sed mentiones de nonnullis sacramentis singillatim spectatis nimis raræ sunt, per tria priora sæcula, aut nimis obscuræ, quam ut exinde deducatur directum argumentum historicum (1).

(1) Ipse Tixeront, *Histoire des Dogmes. — La Théologie Antinicéenne,* Paris, 1905, p. 458, fatetur: « Sur les autres rites, Extrême Onction et Mariage, les documents des trois premiers siècles se taisent on ne disent que peu de chose ».

Porro sufficit vindicare dogma contra adversarios qui contendunt existentiam septem sacramentorum a Christo institutorum non modò non demonstrari historicè, sed et historicè esse inficiandam, ad hoc invocantes silentium quod in documentis priorum sæculorum observatur circa nonnulla sacramenta.

Contra quos sic arguimus :

1° Non sine exaggeratione affirmatur invocatum silentium. Non desunt namque testimonia, esto rariora, tam in scriptis SS. Patrum vel scriptorum ecclesiasticorum quam in ipsis Sacris Litteris, alludentia ad singula sacramenta : quorum testimoniorum seriem exquirere ac recolligere spectat ad varios tractatus de sacramentis in specie (1).

2° Dato unum alterumve sacramentum in documentis antiquitatis silentio prætermitti, hoc non probaret contra institutionem dominicam septem sacramentorum.

Revera

a/ Silentium illud magna ex parte explicatur ex eo quod SS. Patres de sacramentis non agunt systematicè nec tractant, uti mos est nunc, de sacramentis in genere, notiones et principia generalia exponendo, eaque dein applicando in singulis tractatibus de sacramentis in specie : loquuntur de uno alterove sacramento pro opportunitate, maximè de illis sacramentis quæ magis prostant usui neophytorum, in quorum intructionem plerumque scribebant ; et ita fit ut frequentius exponant doctrinam Baptismatis et Eucharistiæ, quæ sacramenta, cum Confirmatione Baptismati intimè conjuncta, ritum complebant initiationis (2).

(1) Juvat studiosum lectorem remittere : pro Sacramento Confirmationis, ad Dölger, *Das Sakrament der Firnung historisch-dogmatisch dargestellt*, Wien, 1906, p. 27 ss., coll. *Collat. Brug.*, t. XV, 184 s.; pro Extrema Unctione, ad Kern, *De Sacramento Extremæ Unctionis*, Ratisbonæ, 1907, p. 51 ss.; pro sacramento Matrimonii ad nostrum tractatum *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 99. Cf. etiam *Collat. Namurc.*, tom. V. p. 88 ss.

(2) Non provocamus ad *disciplinam Arcani*, cum non constet eam in hac re magnum influxum exercuisse, eo vel magis quod ejusdem existentia ante finem sæculi 2i in dubium vocatur.

b/ Etiamsi fatendum esset explicitam notitiam de uno alterove ritu a Christo instituto ejusque sacramentalitate desiderari apud SS. Patres Ecclesiæ nascentis, immerito adhuc concluderes ad sacramentalitatis illius ritus ejusque institutionis dominicæ negationem.

Possunt enim hæc duo simul consistere: institutum aliquod ortum habere a Christo Domino, veritatem aliquam ab Ipso fuisse propositam, eamque ad fidei depositum pertinere, et tamen illius instituti vel veritatis notitiam per tempus plus minusve longum fuisse obscuratam et confusam in mente fidelium; potest scil. admitti evolutio, non quidem objectiva in ipso dogmate, sed in fidelium cognitione et conscientia circa dogma (1).

Tardior illa evolutio circa notitiam sacramentalitatis quorumdam rituum, adeoque et numeri septenarii, nec minoris nec majoris, eo melius intelligitur quod ipsa notio sacramenti, pro indole sua abstracta et minus pervia, tamdiu manserit confusioni obnoxia et minus accurata, quemadmodum liquet ex inspectione scriptorum usque ad medium ævum usque (2).

---

(1) Ita, pro matrimonio, quid impedit quod, ex una parte, Christus Dominus contractum matrimonialem auxerit dignitate sacramentali, et quod, ex alia parte, primi christiani, matrimonium ineundo, sacramentum receperint absque illius dignitatis sacramentalis conscientia?

(2) Circa evolutionem notionis sacramenti cf. POURRAT, *o. c.*, p. 2-42; MEERSDOM, *Le Développement du dogme et le dogme du nombre septénaire des sacrements*, apud *N. R. th.*, 1910, p. 607 ss.

Ille defectus nitiditatis in theologica notione sacramenti; simul attenta methodo diu vigente doctrinam theologicam minus systematicè proponendi, in causa fuit cur tamdiu abfuerit, in tractatibus theologicis et canonicis, series clausa ac definita septem sacramentorum, cur tamdiu sacramentis una serie adnumeraverint varia merè sacramentalia, uti videre est apud *S. Petrum Damianum* († 1072), *Opera Omnia*, ed. Cajet. I., serm. 69, et alios coævos, qui in eadem enumeratione, juxta Baptismum, Eucharistiam, memorant dedicationem ecclesiæ, inunctionem regum, velationem monialium, installationem canonicorum; ex illa tamen confusione in enumeratione non illicò sequitur eamdem confusionem viguisse in mente, siquidem similes mixtæ series occurrunt apud Doctores Petro Lombardo posteriores, optime conscios numeri septenarii, quique in aliis locis accuratè et expresse docent septem esse sacramenta, ea

c/ Posset tandem, salva fide, sustineri, in primis temporibus Ecclesiæ, unum alterumve sacramentum nondum habuisse existentiam practicam et usui fidelium perviam; nempe admitti potest, juxta dicta sub responso ad IV^m quæstionem, Christum instituisse quædam sacramenta *genericè,* cum determinatione signi generica et abstracta, munere relicto Ecclesiæ ritum determinandi ac statuendi. Potest ergo supponi unum alterumve sacramentum illam determinationem, et, cum ea, practicam et concretam existentiam non accepisse nisi post aliquod temporis intervallum.

Nota. Circa *rationes congruentiæ* ob quas Christus Dominus instituenda decreverit septem sacramenta, cf. *S. Thom.*, III P., qu. LXV, art. 1.

A. De Smet.

VI

Q. *In quibusnam missis et quare omittitur ps.* Judica me?

R. I. **In quibusnam** missis? Huic quæstioni aperte respondet Rubrica Missalis (*Rit. celeb.* III, 6): « Hic psalmus nunquam prætermittitur nisi in Missis defunctorum et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive: in quibus semel tantum dicta antiphona *Introibo* cum ministris [in missa solemni] sacerdos statim subjungit *Adjutorium nostrum* etc. » ut in aliis missis.

1. Ad quod primum notandum est, omittendum nempe esse psalmum « in Missis *de Tempore* a... » h. e. in missis de Dominica (Passionis et Palmarum) et de

distinctè et ordinatè enumerando, distinctione facta inter sacramenta proprie dicta, quæ principalia vocant et sacramenta minora seu sacramentalia. Cf. Gillmann, *o. c.*, p. 20 ss.

feria, non vero in missis festivis nec etiam in missis votivis, ne quidem in iis missis votivis quæ recolunt mysteria Passionis, ut sunt votivæ de Cruce aut de Passione.

Et revera anni ecclesiastici officia eisque conformes missæ pertinent ad duplicem ordinem origine et significatione diversum: a/ aliis, quæ dicuntur *de tempore*, recoluntur, successione quadam chronologica simul et logica, præcipua mysteria vitæ Salvatoris et operis Redemptionis nostræ. Determinantur juxta diem Nativitatis et Resurrectionis et diversis anni epochis tribuunt indolem specialem mysteriis quæ commemorantur conformem. b/ Cetera, quæ *de Sanctis* nuncupantur, celebrantur in honorem Sanctorum et, absque respectu ad priorem ordinem, habent sedem in die fixa in determinato mense (aut hebdomada): hæc omnia sunt officia festiva et participant aliquid de lætitia diei dominicæ et memoriæ resurrectionis Christi Domini. — Præterea quædam officia aut missæ, quæ vocantur *votiva*, celebrari possunt extra omnem relationem ad officia anni ecclesiastici sive de tempore sive de Sanctis et ideo non participant de indole propria alicujus epochæ anni liturgici.

Ex quibus intelligitur quare suppressio psalmi *Judica me*, præscripta in missis *de tempore* passionis, non debeat extendi ad missas de Sanctis aut votivas.

2. Dicitur in rubrica « usque ad Sabbatum Sanctum exclusive ». In missa ergo hujus diei jam dici debet ps. *Judica*. Verum quidem est diem Sabbati Sancti adhuc pertinere ad Quadragesimam; et vigilias — quæ sunt tantum præparatio ad festa — non solere participare de indole gaudii quo celebrantur festa ipsa. Atvero antiquissimæ vigiliæ Paschatis et Pentecosten revera per totam noctem agebantur, ita ut missa ad auroram diei festi celebraretur et recoleret jam ipsum mysterium Resurrectionis Domini vel Adventus Spiritus Sancti. Postea anticipata fuit et celebrata missa jam in die

sabbati, sed servavit indolem suam festivam : ideoque nec *Gloria*, nec *Judica me* sunt omittenda (1).

II. **Quare?** Psalmus XLII *Judica me* aptissimus est qui recitetur a sacerdote ascendente ad altare Dei sanctum. Plura enim verba hunc ipsum accessum ad aram sacrificii vivide exprimunt : « Ipsa [lux et veritas Dei] me deduxerunt et adduxerunt [h. e. deducent et adducent] in montem sanctum Dei et in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei... » Sed præterea affectus qui pervadunt totum psalmum ii sunt quibus animari decet sacerdotem in accessu ad tremendum sed omnibus supereminens sacrificium : *timoris* nempe ob indignitatem et impugnantes hostes, sed et *fiduciæ* ob fortitudinem Dei qui emittet lucem et auxilium (2), *gaudii* tandem ingentis ob inæstimabile beneficium quo a Deo dignabitur. Et inter hæc sensa prævalere videtur affectus lætitiæ sanctæ quæ excludat omnem tristitiam « quare tristis es, anima mea ? », et prosiliat in laudem Dei et confessionem « in cithara », in confessionem Dei « qui lætificat juventutem meam », qui est « salutare vultus mei et Deus meus ».

Sed præcise illi affectus gaudii excludentis omnem tristitiam minus congruere videntur cum sensibus animæ quæ lugeat defunctos vel compatiatur intime doloribus patientis et morientis Salvatoris sui.

Ob hanc rationem suppressam fuisse recitationem præfati psalmi censent communiter auctores. Quæ sententia confirmari potest ex eo quod in iisdem missis omittitur non solum, ut in pluribus aliis missis, doxo-

(1) Ob eamdem rationem in missa vigiliæ Paschatis et Pentecosten, secus ac in ceteris vigiliis, adhibenda sunt color paramentorum, *Credo* præfatio et *Communicantes* et *Hanc igitur* propria ipsis festis, et excluditur commemoratio alius festi aut oratio imperata, et prohibetur quævis missa votiva et quælibet missa *Requiem*, excepta missa exequiali cantata aut pro paupere lecta in vigilia Pentecosten.

(2) In textu : « Emitte lucem tuam et *veritatem tuam* » *veritas* significat veracitatem seu *fidelitatem* Dei promittentis auxilium.

logia major seu *Gloria in excelsis*, sed etiam doxologia minor seu *Gloria Patri*, ad aspersionem aquæ benedictæ, ad Introitum et ad Lavabo, quia præfatæ doxologiæ habentur ut cantus festivi, ut verba laudis et exultationis.

Verum ex his solis non satis apparet quare non fuerit suppressa simul cum psalmo etiam antiphona « Introibo ad altare Dei, ad Deum qui *lætificat* juventutem meam », quæ manifeste exprimit eumdem affectum lætitiæ, et propter quam peculiariter electus fuerit psalmus. Hoc eo magis mirum videtur quod solet antiphona sequi eadem fata ac psalmus cujus est antiphona (1).

Ratio hujus conservationis nobis videtur esse quod probabilius verba « *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* », ex versu 4 psalmi XLII desumpta, jam in usu erant antequam totus psalmus recitaretur cum iisdem verbis tanquam antiphona.

Fatendum quidem est, si inspiciamus antiqua scripta liturgica et sacramentaria (2), in pluribus ad sæculum IX usque (3), psalmum adnotari recitandum, in aliis vero penitus deesse. Sunt tamen et alia in quibus psalmus recitatur tantum usque ad vers. 4 *Introibo* (4). Imo in quibusdam mentio est de antiphona *Introibo* vel sola (5)

---

(1) Ceterum mirum videri potest plures ex prioribus versibus ps. *Judica me* cantari ad Introitum Dominicæ de Passione. Nonne et hæc ratio forte contulit ad omissionem psalmi ejusdem?

(2) Quorum mentionem vel textus vide ap. LEBRUN, *Explication des prières et cérém. de la Messe,* Ie part. de la Messe, art. 3.; Dom MARTÈNE, *De antiquis Eccl ritibus* lib. I, p. I, c. III, art. 12 (ed. Rotomagi, 1700); Card. BONA, *Rerum liturgicarum* lib. II, c. II, n. 3.

(3) Vide diversos *Ordines* v. g. ap. MARTÈNE, *op. cit.*, p. 528; 548; 555; 562; 566; 579; 600; 604. Idem in Missa Latina edita primum a Flacco Illyrico (v. BONA, *o. c.*, p. 377), quæ missa est s. VIII-IX, forte ab Alcuino confecta (D. CABROL, *Rev. Bénéd.* 1905, p. 151 ss.), et in *Micrologo* a Bernoldo Constantiensi ante 1085 edito (Migne *Patr. Lat.*, t. 151, col. 992) etc.

(4) Cf. MARTÈNE, *op. cit.*, p. 515. Similiter adhibetur textus: *Introibo* in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea... *Ibid.* p. 577.

(5) Cf. MARTÈNE, *op. cit.*, p. 355 (in Majori Monasterio Turonensi) et forte p. 356 (in monasterio Gellonensi).

vel saltem separata a psalmo (1). Et jam S. Ambrosius et auctor libri *De Sacramentis* citant hanc antiphonam quasi dicenda esset a neo-baptizatis dum renati ex aqua et Spiritu et ad juventutem spiritualem per Confirmationem roborati, solemni processione a baptisterio *introibant* ad ecclesiam et *ad altare Dei, ad Deum qui lætificabat juventutem* suam, ut ad mensam dominicam cibo cœlesti reficerentur (2). Nihil mirum si eamdem antiphonam postea recitarent etiam sacerdotes celebraturi. Et revera hæc sola antiphona ad nostra usque tempora servata est in ritu Ambrosiano. Ubi autem accessit psalmus ad antiphonam, animadvertimus magnam in usu discrepantiam : recitatur ab aliis in sacristia, ab aliis in accessu ad altare, alibi rursus ad ipsum altare et pluribus in locis non injungitur (3). Unde facilius intelligitur psalmum in missis pro defunctis et de tempore Passionis non fuisse assumptum ob verba lætitiæ expressionem, quin tamen supprimeretur ipsa antiphona.

C. Callewaert.

---

(1) Cf. Martène, *op. cit.*, p. 582.

(2) S. Ambrosius, *De mysteriis*, c. 8. « His abluta plebs dives insignibus, ad Christi contendit altaria, dicens: « *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* ». *De Sacramentis*, IV, 2 : Veniebas ergo desiderans ad altare, utpote qui tantam gratiam videras, veniebas desiderans ad altare quo acciperes sacramentum Dicat omina tua: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* ».

(3) Ex quo melius intelligitur forma prohibitiva rubricæ : « Hic psalmus *nunquam prætermittitur* nisi .. »

Notæ quædam introductoriæ in Psalmos.

Interpretationi nonnullorum Psalmorum, ex iis præsertim quos usu quotidiano officii recitandos habemus, quam in præsenti fasciculo incæpimus, non inutile erit præmittere nonnulla, quo indicentur:

1. *Origo* et *indoles* necnon fons potiorum *difficultatum* textus latini psalmorum;

2. Textus psalmorum qualis in variis libris *liturgicis* occurrit;

3. Nonnulla *media* quæ *ad ipsorum meliorem intelligentiam* juvare possunt.

I. **Origo et indoles textus liturgici psalmorum.**

Ut notum est, fuerunt psalmi primitus conscripti **lingua hebraica**, et maxime quidem diversis temporibus et adjunctis. Quum autem, præ aliis libris veteris Testamenti, essent jam apud Judæos usus liturgici valde frequentis, sæpissime quoque fuerunt, sive psalmi solitarii sive collectiones plus minusve amplæ, transscriptionibus novis transmissi, donec tandem, post reditum a captivitate Babylonica in unam collectionem fuerunt adunati.

Postea, — certe jam ante medium sæc. II ante Christum, — fuit psalterium translatum in **linguam græcam**, versione quæ vocatur **Alexandrina** seu **septuagintaviralis** (LXX) (1), quæ versio in nostra materia est magni momenti, quum, ut dicetur infra, ipsa inservierit versionibus latinis conficiendis.

Porro versio LXX, etsi quoad substantiam sit conformis textui originali, et ab eo non differat nisi in rebus sub respectu doctrinali minoris momenti, — tamen in multis præbet textum obscurum et difficilem intellectui. Et revera

a/ Translatores græci præ oculis habebant *textum*

(1) De hujus versionis origine, momento et utilitate, vide supra, pp. 180 ss.

hebraicum qui *ipse jam erat in multis corruptus.* Etenim decursu temporis tam diuturni, per continuò iteratas transcriptiones fieri non poterat quin multæ corruptiones textuales *accidentales* in textum hebraicum irrepserint: etenim in textu hebraico prout tunc temporis scribebatur, deerant *litteræ vocales*, et solæ consonantes scribebantur, adeo ut usu et memoria et ex contextu supplenda essent vocalia; deerat quoque *separatio* inter vocabula; imo inter phrases et psalmos integros deerant signa punctationis, imo sæpe omnis separatio materialis; ubi novum vocabulum vel nova phrasis inciperet, ex usu et ex contextu desumere debebant; cæterum notum est multas consonantes hebraicas in *scriptione quadrata* forma sibi esse simillimas adeoque faciles quæ mutuo confunderentur. — Præter corruptiones textuales *accidentales* quæ ex causis assignatis facile oriri poterant, accesserant etiam mutationes *intentionales:* ita præsertim, in usum liturgicum psalmis originalibus non raro parva addiderunt vel inseruerunt, præsertim tempore exilii et post exilium. Ita Ps. XXXIII, 23; L, 20 s.; LXVIII, 33 ss. Cf. Decr. Commissionis biblicæ, *ad 6.*

b/ Præterea ipsi translatores græci non raro *male legerint textum suum hebraicum,* ut ex modo dictis facillime intelligitur fuisse possibile et obvium.

c/ Tandem ipsi in multis *defectuose verterunt ipsum textum hebraicum* quem bene legebant: sæpius enim serviliter et ad verba verterunt, adeoque multos hebraismos, qui indoli linguæ græcæ repugnant in textum suum græcum servarunt. — Præcipuos hebraismos indicamus infra, sub III, ubi de mediis ad intelligendum textum Psalmorum juvantibus agimus.

Porro hæc versio septuagintaviralis, in multis ita obscura et defectuosa inserviit qua textus ad **versiones nostras latinas conficiendas.** Nempe:

Primo ex versione LXX facta est, decurrente sæc. II, prima versio latina, quæ dicitur **Vetus Itala:** facta est

autem et ipsa modo valde servili, adeoque habebat eosdem defectus et obscuritates quales aderant jam in LXX; additis imo nonnullis *græcisismis* quos LXX in suam versionem introduxerant; erat præterea lingua valde rustica et latinitas barbara, non classica. Adde tandem quod et ipsa hæc versio, decurrente tempore, variis adhuc fuit corrupta interpolationibus et mutationibus amanuensium.

Unde non immeritò, rogante S. Damaso Pontifice, *S. Hieronymus,* circa a. 383, revisionem hujus antiquæ versionis latinæ aggressus est, attamen non juxta textum hebr., sed juxta textum græcum; ast, ne nimia novitate turbaret lectores versioni existenti assuetos, pauca tantum mutavit, et ubicumque sensus idem erat, versionem existentem immutatam servavit (1). Textus sic correctus, qui Romæ originem habuit, et primo in Ecclesiam Romanam introductus fuit, vocatur **Psalterium Romanum.**

Ast accurata non fuerat correctio; præterea, textus sic correctus sat citò iterum alteratus est; et ideo S. Doctor inter a. 386-391 novam correctionem aggreditur, juxta editionem hexaplarem LXX, eamque magis accuratam et criticam, signis quoque, obelis et asteriscis, notando ea in quibus LXX et textus hebr. inter se discrepabant. At infeliciter a transscriptoribus frequentius omittebantur signa critica ab Hieronymo introducta; insuper, tempore decurrente, corruptiones textuales novæ irrepserunt in textum. Textus sic ortus vocatur **Psalterium gallicanum,** eo quod primò introductum et satis celeriter diffusum in Ecclesias Galliæ.

Postea tandem tertiam adhuc versionem psalterii aggressus est S. Doctor, circa a. 390-391, et juxta quidem ipsum textum hebraicum, eo fine, ut ipse ait, ut

(1) *Epistola CVI, ad Sunniam et Fretelam.* « Nos, emendantes olim Psalterium, ubicumque sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare noluimus, ne nimia novitate lectoris studium terreremus ».

contra Judæos, negantes auctoritatem versionis LXX, argui posset ex textu quodam cum ipso originali conformi. Vocatur hæc versio, verbis S. Doctoris, **Psalterium secundum veritatem hebraicam.** Etsi in nonnullis accidentalibus sit defectuosa, nihilominus multo præstantior erat duabus versionibus anterioribus, et, fatentibus ipsis Protestantibus hodiernis, veri valoris critici et scientifici. Nihilominus, ne nimis turbaret consuetudines populi, noluit Ecclesia hanc versionem præcedentibus substituere, nec in usum suum officialem assumere.

II. **Usus et textus liturgicus Psalmorum.**

Ut ex multis librorum V. T. locis constat, habebat Psalterium in cultu et *liturgia judaica* eximium locum; et ex templo et synogogis Judæorum transiit psalmodia in *Ecclesiam christianam;* præeuntibus, in usu Psalmorum, ipso Christo et Apostolis, transiit in usum privatum et publicum. « Ideo Psalterium merito liber precationum Ecclesiæ vocari potest: non celebratur officium divinum, quin etiam cantus Psalmorum locum habeat. Recitantur Psalmi vel partes Psalmorum in celebratione Missæ, in administratione Sacramentorum, in consecrationibus et benedictionibus ecclesiasticis, præcipue autem in horis canonicis, in quibus totum Psalterium per singulas ferias hebdomadis distributum est » (1).

At non semper eodem textu recitantur psalmi in variis locis liturgiæ: etenim

Psalterium Gallicanum, quod fuit brevi a plerisque ecclesiis adoptatum, illud est quod legimus *in Vulgata* nostra, — et inde etiam ordinarie adhibemus in usu liturgico, in specie in Breviario Romano, inde a Pio V. Attamen textus *Veteris Italæ* non correctæ in usu mansit in ritu Ambrosiano Mediolani; psalterium vero *Romanum* adhibetur in Officio Ecclesiæ Vaticanæ S. Petri

(1) NIGLUTSCH, *Brevis explicatio Psalmorum,* p. 16.

Romæ, et extra hanc Ecclesiam in missali et in aliquibus partibus Breviarii, signanter in Invitatorio Matutini, et in plerisque antiphonis et responsoriis. — Hujus usus diversi hæc est origo: Psalterium quidem *Romanum* jam erat satis vulgatum et sat diu in usu, ita ut juxta textum latinum in hoc psalterio relatum, jam confecerint libros liturgicos Ecclesiæ. Quando autem postea assumptum est psalterium *gallicanum*, facile quidem erat in liturgia textum gallicanum substituere romano, ubicumque agebatur tantum de psalmis eadem simpliciore melodia recitandis; at, ubicumque textus liturgicus notabatur melodia musicali non raro valde ornata, puta in Introitu, Graduali, etc. Missæ, vel in antiphonis, responsorio et Invitatorio officii, majoris facilitatis gratia, textum hucusque adhibitum, romanum np. servaverint (1).

III. **Media nonnulla quæ ad intelligendum Psalterium nostrum juvare possunt.**

Pauca tantum eaque generalia indicamus, quæ ex dictis supra, *ad I*, obvie sequuntur. — Prostat np.

1. Recursus ad *textum originalem*, *vel saltem ad bonam versionem* juxta hunc textum hebraicum confectam (2).

Revera, ut diximus, versio LXX et inde etiam versiones nostræ latinæ, ob varias causas non raro textum hebraicum male intellexerunt verteruntque (3). Unde jam suo tempore monebat S. Hieronymus: « Sciendum quid hebraica veritas habeat. Hoc enim quod Septuaginta transtulerunt [i. e. textus LXX et textus latini juxta LXX confecti], propter vetustatem in Ecclesia

(1) Hisce intelliges undenam ortum duxerit quod Psalmus 94 *Venite exultemus...*, alio textu occurrat in Invitatorio Breviarii, juxta Psalterium np. *Romanum*, et alio textu in 2º Nocturno festi Epiphaniæ juxta Psalterium *Gallicanum*: ibi enim est cantandus melodia satis ornata; hic vero simpliciore melodia psallendus.

(2) Hujusmodi versionem exhibet Crampon, tum in opere suo majori, tum in opere minori: *La Sainte Bible, traduction d'après les textes originaux* (Desclée, Tournai).

(3) Hujusmodi recursus *supra*, contulit ut ps. XCIV, v. 6 corrigeremus legendo *genua flectamus* pro *ploremus*, et v. 10, legendo *populus* pro *semper*.

decantandum est, et illud [ipse textus hebraicus] ab eruditis sciendum propter notitiam Scripturarum » (1).

Similiter recursus ad **versiones antiquas** puta ad LXX, utilis esse posset, in quantum istæ versiones testimonium reddunt de textu hebraico qualis existebat tempore quo versiones istæ factæ sunt. Sed quum textus LXX et ipse fuerit decursu temporis corruptus, etiam ipse deberet perprius debito modo restitui. — Item recursus ad textum psalterii *romani* et a fortiori *gallicani* utilis esse potest tum proxime ad restituendum textum LXX, tum remote ad restituendum textum hebraicum; magis adhuc versio quam S. Hieronymus directe confecit secundum hebraicam veritatem, adjumento esse poterit ad determinandum textum hebraicum qualem legebat suo tempore S. Doctor.

2. Notitia præcipuorum saltem **hebraismorum** et **expressionum difficiliorum** quales in Vulgata nostra occurrunt (2). — Ut hic tantum præcipuos quosdam hebraismos notemus:

a/ *Tempora verborum*. Quum Hebræis duo tantum sint sic dicta tempora, futurum et præteritum, quibus tamen, pro variis adjunctis reddi possunt sive præteritum, sive præsens, sive futurum, — LXX et post ipsos versiones nostræ latinæ vix non semper sic dictum futurum per verum futurum, sic dictum præteritum per verum præteritum verterunt. Unde non raro, ut poterit vel ipse contextus innuere, tempora verborum in textu latino erunt mutunda (3).

(1) *Epistola CVI, ad Sunniam et Fretelam.*

(2) Catalogum præcipuorum hebraismorum et expressionum hujusmodi exhibet Bacuez-Vigouroux, *Manuel biblique*, t. II; Ceulemans, *Introductio et Commentarius in Psalmos;* Van Steenkiste, *Introductio in Psalmos*, etc.

(3) Exempla abundant: Dominus *regnavit* = Dominus *regnat* (ps. XCII); *Confitebor* tibi, Domine = *Confiteor*... (ps. CX); Cum *invocarem, exaudivit* me Deus.... in tribulatione *dilatasti* mihi = cum *invoco, exaudi* me, Deus..., *dilata* mihi (ps. IV); *Posuisti* tenebras, et *facta est* nox: in ipsa *pertransibunt* omnes bestiæ silvæ = *ponis* tenebras et *fit* nox: in ipsa *pertranseunt*..... (ps. CIII).

b/ *Adverbia* fere nulla habent, sed vertunt per *verba;* similiter *adjectiva* per *substantiva* (1).

c/ *Comparativum* exprimunt positivo cum propositione *min,* quam Vulgata vertit: *præ, ex, super, quam* (2).

Superlativum vero per adverbium *valde, nimis,* vel per substantivum reduplicatum, vel per additum aliquod nomen rem in genere suo optimam designans (3).

d/ Pro *neutro* genere quo carent adhibere solent *femininum* (4).

e/ Frequenter utuntur conjunctivo *Vav*, ubi in lingua græca et latina requireretur particula magis determinata; *et, sed, quia, etsi, dum,* etc., dum tamen LXX et versiones latinæ verterunt per *xaì* aut *et* (5).

3. Attentio in **poetica artificia** quibus Hebræi suos psalmos confecerunt, ut potissimum in divisionem psalmorum in **versus** (6) et **strophas,** et præprimis adhuc in **parallelismum membrorum** (7).

---

(1) Apposuerunt adhuc peccare ei = *iterum* peccaverunt (ps. LXXVII); Accelera ut eruas me = *citò* erue me (ps. XXX); Ad adjuvandum me festina = *citò* adjuva me (ps. LXIX). — Virga *directionis* = virga *recta,* sceptrum justum (ps. XLIV); Deus *justitiæ meæ* = Deus meus *justus* (ps. IV); memoria *sanctificationis* = memoria *sancta* (ps. LXXVII).

(2) *Bonum* est sperare in Domino *quam* sperare in principibus = *melius* est (ps. CXVII); *Mirabilis* facta est scientia sua *ex me* = nimis mirabilis, nimis alta est scientia tua, quam ut ego eam mente attingam (ps. CXXXVIII).

(3) Laudabilis *nimis* — *maxime* laudabilis (ps. XLVII). — *Vanitas vanitatum* = res vanissima; *sanctum sanctorum* = pars templi sanctissima; canticum canticorum = canticum excellentissimum (het *hooglied*). — *Adeps frumenti* = frumentum optimum; cedrus Dei = cedrus altissima. — Cfr. CEULEMANS, *l. c.*

(4) *Unam* petii a Domino, *hanc* requiram = unum peto, hoc requiro (ps. XXVI).

(5) Exempla habes in ps. XCIV supra explicato: Ipsius est mare, *et* ipse fecit illud = *nam* fecit illud; probaverunt me, *et* viderunt opera mea = *etsi* vidissent....

(6) Interpunctio qua vss. ab invicem separantur in Vulgata non raro incongruo loco fit, et interdum fuit correcta in ipsis libris liturgicis.

(7) Omittimus quæ dicenda essent de rythmo syllabarum. seu de metro poetico qualis in textu hebr. invenitur: hic enim rythmus primo sæpe inobvius est qui detegatur; cæterum, ut patet, inhæret textui

Dari **versus et strophas,** (etsi non semper ejusdem numeri versuum), hodie ab omnibus admittitur, etsi in casu concreto, sæpe non conveniunt in illis determinandis. — *Strophæ* in specie distingui possunt ab invicem vel argumento (1), vel per sic dictum « refrain » (2), vel per alphabetismum (3), etc. (4).

Parallelismum vero **membrorum,** seu rythmus sententiarum, in eo est quod inter duas vel tres (raro numerosiores) lineas seu « membra » existit aliqua proportio *logica* seu *correspondentia sententiarum*. Hæ sunt præcipuæ species : Parallelismus *synonymicus,* quando primum membrum resumitur alia forma, sæpe cum aliqua gradatione (5) ; — *antitheticus,* quando secundum membrum in lucem ponit primum, ab op-

---

hebraico et necessario periit in quacumque *versione*; similiter omittimus quæ dicenda essent de *assonantia, alliteratione, homœoteleuta (les rimes), paronomasia*, et similibus quæ iterum textui *hebraico* inhærent.

(1) Cfr. Ps. II, ubi notabis strophas: 2-3; 4-5; 6-7^{a}; 7^{b}-9; item ps. XL et ps. XCIV supra explicatum.

(2) Cfr. Ps. XLI et XLII, ubi notabis « refrain » in XLI, 6 et 12 et XLII, 5. (Et hinc quidem probatur hos duos psalmos primitus unum constituisse.) Cfr. etiam XLVI, XLIX, et, exemplum hac in re præclarum, ps. CVI.

(3) *Alphabetici* vocantur psalmi quorum singuli vss. vel complexus vss. incipiunt a litteris ordine alphabetico sibi succedentibus. Exemplum habes in *Lamentationibus Jeremiæ,* ubi Vulgata nostra servavit litteras initiales: *Aleph, Beth, Ghimel,* etc. — Item ps. 118 quem in parvis horis officii diurni recitamus, ubi hoc modo 22 strophæ, singulæ 8 vss., distinguuntur. Fuerunt in officio nostro binæ et binæ adunatæ in strophas per *Gloria Patri...* separatas. Vestigium mansit in Vulgata nostra: Ita vss. 41-48 (recitantur *ad Tertiam,* in 2^{a} parte « psalmi » primi) omnes incipiunt eodem vocabulo *Et:* Psalmista hebr. hic opus leve habuit, et singulos vss. hujus seriei incœpit per conjunctivum *Vav.* — Erat hoc artificium Hebræis magnæ utilitatis ad memoriter retinendos psalmos recitandos, in quibus forte (ut in ps. 118) deerat nexus logicus.

(4) In nonnullis psalmis, in t. hebr., occurrit interdum vox: *selah,* quam LXX verterunt διάψαλμα, Vulg. vero omisit (excepto ps. XLXI, 9 ubi vertit: *in æternum*). Hujus vocis incertus est sensus, et utrum revera addita fuerit ad distinguendas strophas, certo dici nequit.

(5) Cfr. Ps. II, 3 ss.; III, 2; XVIII, 2 s.; CXIII. Vide etiam ps. XCIV *supra* explicatum, vv. 1.

posito (1); — *syntheticus*, quando secundum membrum perficit primum, complendo, demonstrando, comparatione explicando ideam ipsius (2).

Non sine magna utilitate attentio in has strophas et membra parallela dirigetur: est enim utilissima ad recte indagandum, et memoriter retinendum sensum psalmorum, eorum præprimis quorum recitatio quotidie ex onere officii nobis incumbit, indeque ad recitandos hos psalmos cum majore attentione et devotione. Singulæ enim *strophæ* sæpe habent suam ideam et affectum proprium. Cfr. ps. XCIV, de quo supra, ubi prior stropha ardens est invitatio ad *adorandum* Deum, utpote creatorem et dominum *omnium;* altera vero ardens item invitatio ad *præstandam Deo obedientiam* debitam, utpote titulo speciali Deo et Domino *nostro*. — At præprimis *membra parallela* ad meliorem intelligentiam conferent, quum in istis unum membrum sit quasi explicatio alterius (3).

A. Vander Heeren.

(1) Cfr. Ps. XIX, 8 s. — Hic parallelismus frequentior est in *Proverbiis*.

(2) Cfr. Ps. III, 5; XVIII, 8 ss.

(3) « On pourrait comparer le parallélisme au mouvement d'un balancier qui va et revient sur lui-même. Le second membre du parallélisme est comme l'écho du premier ». Bacuez-Vigouroux, *o. c.*, n. 592.

Applicationes habes jam plures in ps. XCIV *supra* explicato: Verba: *Quoniam non repellet Dominus plebem suam,* quæ hic recitantur juxta Psalt. *romanum* (v. 4), diximus esse interpolata, ideo, inter alia motiva, quod disturbant omnem parallelismum membrorum. — Eodem v. 4, loco *fines* terræ, quod refertur in utroque psalt. latino, legimus cum t. hebr: *profunda,* in parallelismo cum *cacumina* montium. — Item *Ipse conspicit* quod recitatur juxta psalt. *romanum* abjecimus, et prætulimus: *sunt ipsius* quod refertur a psalt. *gallicano,* juxta textum hebr.: hæc enim verba, non vero ista, bene quadrant in membrum parallelum: *in manu ejus sunt.* — V. 6, voci *ploremus* quæ, juxta textum LXX, refertur in psalt. gallicano et romano, substituimus: *genua flectamus,* eo quod hæc lectio adest in t. hebraico qualis hodie existit, necnon in t. hebraico qualem legebat S. Hieronymus (siquidem ipse, in Psalterio suo *secundum hebraicam veritatem* eodem modo vertit: genua flectamus), et insuper hæc sola lectio bene quadrat cum parallelo membro 6ª.

S. Congregatio Rituum.

QUINQUE ECCLESIARUM (1).

Super consuetudine absolutionem pro defunctis ad tumulum peragendi diebus Dominicis et Festis, finita Missa de die.

Hodiernus Episcopus Diœceseos Quinque Ecclesiarum, in Hungaria, Sacræ Rituum Congregationi ea quæ sequuntur humillime exposuit; nimirum:

Pluribus abhinc annis, inscio Episcopo, viget in nonnullis Ecclesiis Filialibus Diœceseos Quinque Ecclesiarum consuetudo Anniversaria fundata, cum *Libera me Domine*, diebus Dominicis et Festis peragendi, prout sequitur. Primo quidem celebratur Missa cantata de Dominica aut Festo in colore. Finita Missa, celebrans accedit Sacristiam, depositaque casula et induto pluviali nigri coloris, illico ingreditur Ecclesiam pro Absolutione facienda ante tumulum seu castrum doloris, quod tantum post finem Missæ in Ecclesia construitur. Quæritur: An in casu consuetudo retineri possit, quum dicta Anniversaria diebus Dominicis et Festis ex fundatione sint affixa, et, propter distantiam ab Ecclesia Matre et alia officia Sacerdotum, vel etiam ob defectum competentis dotis, in dies feriales vix transferrri possint?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: Pro gratia, attenta consuetudine: exceptis tamen duplicibus primæ classis et dummodo Absolutio et Responsorium locum habeant omnino independenter a Missa de die, juxta Decretum num. 3870, *Romana*, 12 Julii 1892, ad VIII (2).

Atque ita rescripsit atque indulsit, die 31 Maii 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret*.

(1) Cf. *Act. Apost. Sedis*, 1911, p. 283.

(2) Hujus citati decreti textum et explicationem vide ap. *Collat. Brugen.*, t. IX, p. 606; t. XI, 527; t. XIII, p. 472.

Sacra Congregatio Concilii

Ad R. P. D. Josephum Bilczewski, Archiepiscopum Leopoliensem (Lemburg) ritus latini (1).

Rev^me^ Domine uti Frater,

Relatis in S. C. Concilii ab A. T. propositis dubiis: — 1° An scilicet sufficiant pro erigenda in parochia confraternitate tres sorores religiosæ, quæ veritates religionis christianæ docent, et insuper una persona civilis, quæ pueros invigilat tempore discendi?

2° An sit conditio sine qua non ad lucrifaciendas indulgentias, ut omnes, qui inter membra confraternitatis doctrinæ christianæ in parœcia admitti volunt, in speciali libro inscribantur, et ut habeant cartulam admissionis in confraternitatem?

E^mi^ Patres respondendum censuerunt:

Ad I. Pro erigenda quacumque confraternitate nullus est præscriptus numerus adscribendorum.

Ad II. Negative nisi confraternitas erecta sit ad modum organici corporis ita ut haberi debeat uti confraternitas sumpta stricto sensu.

His notificatis eidem A. T. cuncta fausta precor a Domino.

Die 10 Novembris 1910.

L. ✠ S.

C. Card. Gennari, *Præfectus.*
Basilius Pompili, *Secretarius.*

(1) *Acta Ap. Sedis,* 1911, p. 390.

S. Congregatio S. Officii

(SECTIO DE INDULGENTIIS).

Sodalitas a S. Missa reparatrice novis Indulgentiis ditatur (1).

Die 7 Septembris 1911.

SS^mus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X, quum ex variis Apostolicæ Sedis Indultis, non uno tempore datis, inter Archiconfraternitates et Confraternitates, a S. Missa Reparatrice nuncupatas, plurimisque in locis erectas, desiderabilem uniformitatem deesse consideraverit, hujusmodi incommodo occurrere volens, per facultates Supremæ huic S. Congregationi S. Officii impertitas, abrogatis omnibus et singulis Indulgentiis, quibus hucusque prædictæ Consociationes gavisæ sunt, quomodocumque demum fuerint concessæ, novas, defunctis quoque applicabiles, in favorem tam existentium, quam in posterum erigendarum, quibusvis in locis, Archiconfraternitatum, nec non item existentium vel erigendarum quæ ejusmodi Archiconfraternitatibus aggregatæ fuerint, Confraternitatum, elargiri dignatus est. Sunt autem:

A. — Plenariæ, pro Christifidelibus rite in Sodalitatem cooptatis, si confessi ac S. Communione refecti aliquam Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint: 1° Die eorum ingressus in Sodalitatem; 2° In festis: *a*/ Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis et SS. Cordis D. N. J. C.; *b*/ Pentecostes, SS. Trinitatis et SS. Corporis Domini; *c*/ Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V.; *d*/ Omnium Sanctorum; *e*/ S. Norberti Ep. C., S. Tharsicii M., S. Paschalis Baylon C., S. Julianæ de Corneillon V.; *f*/ Titularis Ecclesiæ, in qua quælibet Sodalitas erecta est; 3° Bis in singulis

(1) *Acta Ap. Sedis*, 1911, p. 476.

annis, diebus a respectivis Ordinariis, semel pro unaquaque Sodalitate designandis; 4° Semel in anno, die ad cujuslibet Sodalis arbitrium eligendo.

B. — Plenaria in mortis articulo (defunctis non applicabilis), pro iisdem Sodalibus, si confessi ac S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, SS^mum^ Jesu nomen, ore, si potuerint, sin minus corde, invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint.

C. — Partialis centum dierum, pro consociatis, qui aliquod pietatis opus, ad finem Sodalitatis assequendum, peregerint.

Tandem Idem SS^mus^ indulsit, ut in locis in quibus, diebus festis de præcepto servandis, unica celebratur Missa, Sodales valeant, loco alterius Missæ, juxta Consociationis leges audiendæ, huic obligationi satisfacere, ante vel post Sacrum de præcepto, per aliquod temporis spatium ante SS^mam^ Eucharistiam pie orantes.

Præsentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

Aloisius Giambene,
Substitutus pro Indulgentiis.

Adnotationes.

Ad uniformitatem inducendam ordinatus est novus elenchus indulgentiarum pro omnibus sodalitatibus a S. Missa Reparatrice nuncupatis. Qui omnino attendatur, ne pietas fidelium frustretur. Abrogatæ igitur censeri debent omnes et singulæ indulgentiæ, quas *supra* t. X, p. 617 et t. XI, p. 478 Archiconfraternitati pro regno Belgico concessas exhibuimus. Hæc autem Archiconfraternitas, erecta in ecclesia abbatiali B. M. V. Tongerloæ, intactum servat privilegium aggregandi pro regno Belgarum confraternitates atque sic communicandi cum eis indulgentias præsenti decreto recensitas. Porro sodalitates jam legitime aggregatæ non egent nova aggregatione, ut statim gaudeant noviter concessis indulgentiis. Unum dumtaxat est, ut scilicet respectivi Ordinarii designent duos dies in singulis annis, prout habetur sub 3°.

Designat Ordinarius Brugensis festum S. Joseph sponsi B. M. V., et festum S. Michaëlis archangeli.

Festa S. Norberti = 6 Junii ; S. Tharsicii = 25 Nov.; S. Paschalis Baylon = 17 Maii ; S. Julianæ de Corn. = 5 Aprilis.

Attendatur indultum in fine decreti, pro nostris tamen regionibus vix utile, cum non valeat nisi in locis in quibus, diebus festis de præcepto servandis, unica celebratur missa. Quodsi ob aliam causam cuipiam physice aut moraliter impossibile sit alteri missæ assistere, censemus adhuc posse loco alterius missæ institui Sacram Communionem vel decurrente hebdomada audiri missam ad eamdem intentionem reparationis (1).

H. Mahieu.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 617.

Jurisprudence civile-ecclésiastique

ANCIEN CIMETIÈRE. — DÉSAFFECTATION. — DOMAINE PUBLIC COMMUNAL. — IMPRESCRIPTIBILITÉ.

Cour de Cassation. Arrêt du 25 avril 1911 (1).

Observations.

Cet arrêt de la Cour de Cassation, concluant, conformément à l'avis du premier avocat général, au rejet du pourvoi contre le jugement du tribunal civil d'Ypres du 4 Mars 1910, s'appuie sur une série de suppositions fort critiquables. Il suppose en effet que les cimetières désaffectés et soumis au régime de l'art. 9 du décret de prairial conservent une destination d'utilité publique, qui les rend non susceptibles de propriété privée dans le chef des communes, en tant qu'ils restent consacrés à la consomption paisible des corps qui y reposent; il suppose que cet article 9 du décret a pour objet de régler les conditions de la remise du cimetière désaffecté dans le domaine privé du propriétaire; il suppose que l'arrêté royal du 30 juillet 1880, sans empiéter sur le pouvoir législatif, n'est qu'une mesure d'exécution prise en vertu des termes même du décret pour réglementer le transfert des cimetières au domaine privé des communes.

Nous croyons inutile de répéter les considérations que nous avons émises en appréciant le jugement précité du tribunal d'Ypres (2), il nous semble cependant opportun d'insister sur certains points.

1° La Cour de Cassation en affirmant que les cimetières désaffectés conservent leur caractère d'utilité publique soutient une opinion qui se heurte à l'ensemble de la doctrine. Les auteurs (3) sont d'accord pour

(1) *Collat. Brug.*, p. h., p. 611-616.

(2) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 298 ss.

(3) V. cependant les *Pandectes*, v° cimetière, n° 333bis, 340.

affirmer que du moment où, par désaffectation, la destination de l'immeuble fait défaut, il ne peut plus s'agir que de propriété privée. Sans doute l'intérêt de la salubrité publique et le respect dû aux morts exigeaient que le législateur mit des réserves à la faculté du propriétaire de disposer de sa chose; mais ces réserves mêmes prouvent que l'immeuble a perdu son caractère de domanialité publique. Peut-on prétendre, comme le veut le premier avocat général (1), qu'un bien ne sort du domaine public pour entrer dans le domaine privé que du jour, où il cesse d'être affecté à un service d'utilité générale *et* où la cessation de cette affectation a été constatée par la loi ou dans les formes édictées par celle-ci. Qu'il nous suffise de noter que le décret de prairial n'exige pas la constatation de la désaffection pas l'autorité publique; bien au contraire, qu'il décrète d'office la désaffectation des cimetières situés dans l'enceinte des villes et des bourgs.

2° Il semble certain que l'objet des articles 8 et 9 du décret n'a pas été de régler les conditions nécessaires pour qu'un immeuble passe du domaine public au domaine privé des communes propriétaires; mais qu'il a été d'apporter au droit d'usage des cimetières désaffectés des restrictions commandées par l'intérêt de la salubrité et le respect dû aux morts. L'arrêt de la Cour tire argument de l'historique de l'article 9 pour prouver que le sol des anciens cimetières fait partie du domaine public communal aussi longtemps, qu'en l'absence d'une loi ou d'un acte du pouvoir exécutif, cet article leur reste applicable; mais cet historique démontre seulement que la levée complète des servitudes légales mises à l'usage du terrain désaffecté, — qui ne devait avoir lieu qu'après l'exhumation des corps (projet CHAPTAL) ou qu'après l'expiration d'un délai de quinze ans (projet DE SÉGUR), — ne peut plus s'opérer

(1) Cf. *Pasic.*, l. c., p. 217.

dans le système définitif du décret « que jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné ».

« Singulière propriété privée, objecte le premier avocat général (1), que celle qui ne prévoit que la location, c'est-à-dire, l'usage temporaire d'un bien et en interdit la vente, même avec l'autorisation de l'autorité supérieure, qui est la faculté d'en disposer librement, élément principal et caractéristique du droit de propriété. » Cette interprétation, répondons-nous, ajoute considérablement au texte de l'article 9 et donne une portée exclusive et prépondérante aux mots « pourront être affermés », auxquels elle reporte également la disposition finale « jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné. » Or, il appert de documents de l'époque que les auteurs de la législation de prairial ont eu principalement en vue de fixer « un terme de cinq années pendant lesquelles on ne peut disposer du terrain pour aucun usage et de cinq autres pendant lesquelles on ne peut que semer et labourer sans fouiller ni creuser le terrain (2) », jusqu'à ce qu'il eu soit autrement ordonné.

Le ministre Chaptal dans sa circulaire interprétative du décret, du 8 messidor an XII, dit (3): « Quant aux articles 8 et 9, leurs dispositions sont de rigueur, et elles se lient trop aux règles générales de salubrité publique pour que l'exécution puisse en être négligée. Le danger d'abord de *remettre dans le commerce* (4) les cimetières dont la suppression aura été ordonnée *avant l'époque fixée par le Gouvernement,* comme aussi d'y faire, même *après l'expiration de cette époque* aucune fouille et fondation, *jusqu'à ce qu'il en soit autrement ordonné,* est trop évident... etc. » Le Conseil d'État, comme le ministre,

(1) *Pasier., l. c.,* p. 218.

(2) Avis du Conseil d'État sur l'aliénation des anciens cimetières, 13 nivôse an XIII-15 nivôse an XIII. Cf. André, *Cours de la législation civile-ecclésiastique,* t. I, v° cimetière, p. 415, Paris, 1850.

(3) *Pandectes,* v° cimetières, n° 46, note, p. 394.

(4) C'est nous qui soulignons.

au lendemain de la promulgation du décret, est donc d'avis, qu'après l'expiration du second terme de cinq ans, le sol desaffecté est remis dans le commerce, sans que cependant aucune fouille ou fondation puissent y être faites, jusqu'à ce qu'une disposition future ait levé cette servitude légale.

Est-ce étonnant, que six mois après la confection du décret de prairial, plusieurs communes demandent qu'on les autorise à aliéner ou à échanger leurs cimetières désaffectés pour les mettre à portée d'acquérir de nouveaux terrains.

Une série de documents qui forment une véritable tradition juridique conclut à la licéité de cette opération, en mettant pour condition des échanges et des aliénations, les dispositions du décret de prairial. Nous citons : un rapport du ministre Champagny à l'empereur, du 21 frimaire an XIII (12 déc. 1804), un avis du Conseil d'État, du 13-15 nivôse an XIII (3-5 janvier 1805), une circulaire du ministre Champagny aux préfets du 4 pluviôse an XIII (24 janvier 1805), un avis du Conseil d'État approuvé le 25 janvier 1807 ; un autre, du 20 décembre 1806 (1).

Voici la circulaire de Champagny du 4 pluviôse an XIII aux préfets : « Le Conseil d'État, dans sa séance du 13 nivôse dernier, a examiné si, d'après les dispositions du décret du 23 prairial an XII, les terrains qui ont servi aux inhumations pouvaient être vendus ou échangés. »

« Le Conseil a été d'avis qu'ils pouvaient l'être en imposant pour condition des ventes ou échanges l'exécution de ces mêmes dispositions, et en chargeant la police locale d'en surveiller soigneusement l'exécution. »

« Je vous invite à prendre ces explications pour règle, toutes les fois qu'il y aura lieu à demander, pour

(1) Voyez ces actes dans l'ouvrage cité de André, *l. c.*, p. 414 ss.; les *Pandectes*, l. c.

quelque commune, la vente ou l'échange d'un terrain qui aura servi de *cimetière.* »

La doctrine a adopté unanimement ces conclusions (1).

Tous ces documents établissent au moins que les auteurs du décret et l'autorité supérieure de l'époque ont considéré les cimetières désaffectés comme des terrains appartenant au domaine privé de la commune, aliénables et conséquemment prescriptibles. S'il est question d'une autorisation d'aliéner, celle-ci compète aux préfets.

On a loué l'exposé historique dans le réquisitoire de Mr, le premier avocat général, Terlinden (2); il consiste en la juxtaposition de trois textes et omet de discuter la valeur juridique de documents d'une portée considérable.

3° Mr Terlinden étend aussi outre mesure les limites du pouvoir réglementaire du roi (3), pour légitimer l'arrêté royal du 30 juillet 1880. L'arrêt de la Cour se contente de constater que le gouvernement « puisait dans les termes du décret... le droit de réglementer l'exécution de l'article 9 et le transfert des anciens cimetières au domaine privé des communes. » Nous avons vu que le décret n'a pas en vue d'opérer ce transfert, mais qu'il autorise seulement le Gouvernement à lever les réserves légales mises à l'usage des terrains désaffectés. Outre que le Gouvernement semble bien avoir ajouté aux dispositions du décret de prairial, il est manifeste que cet arrêté n'a pas une portée rétroactive et ne peut s'appliquer à des cimetières, qui comme celui de Messines, étaient sorti du domaine communal par prescription centenaire.

A. De Meester.

(1) Nous avons cité p. h., t. XV, p. 300, note (3), les *Pandectes*, De Brouckere et Tielemans, De Brabandere-Van Coillie, ajoutons : André, *l. c.*, p. 414 ; Caulet, *L'avocat du clergé*, p. 762, Paris, 1897 etc.

(2) *Rev. de l'administration*, 1911, t. LVIII, p. 420.

(3) Cf. *Ibid.*, p 420; et t. XLVII, 1900, p. 445 ss.

Notæ bibliographicæ

J.-M. Leytens, C. SS. R. *Opleiding tot de Godsvrucht.* In-18, xv-908 bl. Brugge, St Aug., 1910. Fr., 2,50 (linnen band, gouden snede).

Uit het *Voorbericht* (bl. XIV): « Dit boek bevat een volledige keuze van Gebeden en Oefeningen, en terzelfder tijd den uitleg over alles wat de godsvrucht betreft. De Christen zal het in vele omstandigheden, en tot de opheldering van vele twijfels, kunnen raadplegen; niet slechts in de kerk, maar ook te huis ».

Een nuttig boek voor godvruchtige menschen, die houden van *veel* gebeden en oefeningen of afwisseling zoeken; ook voor priesters, die over bepaalde gebeden en oefeningen wenschen spoedig ingelicht te worden.

Enkel twee opmerkingen: Waarom de H. Communie, de *dagelijksche* Communie, waartoe Schrijver opwekt, niet gebracht onder het eerste hoofdstuk; Geheiligde *dag?* Werkt de groote overvloed van oefeningen niet tegen het doel van het boek, dat heet: *Opleiding tot de Godsvrucht?* Zal de lezer genoeg zien wat eigenlijk *Godsvrucht* is, waartoe gebeden en oefeningen enkel middelen zijn? Zal hij wel inzien welke de noodigste, de voornaamste oefeningen zijn?

Joh. Jörgensen. *Het Pelgrimsboek in Franciscaansch Italië.* Uit het Deensch door **P. Stanislas Van de Velde,** Minderbroeder. Kl. in-8, XXIII-280 bl. Leuven, Keurboekerij. Te verkrijgen: V. Clabots, Bodeghemstraat, 14, Brussel.

Jörgensen heeft een bijzondere voorliefde voor den H. Franciscus van Assisië en het Franciscaansch Italië. Asisië noemt hij de « stad van zijn geloof », en nooit heeft hij 't klein dorpje La Rocca tusschen Umbrië's bergen, waar hij 't geloofsonderricht ontving uit den mond van een Franciscaan, kunnen vergeten. Uit deze liefde zijn gesproten de keurige vertaling der *Fioretti*, zijn *Leven van den H. Franciscus*, zijn *Pelgrimsboek* en zijn *In excelsis*.

P. Stanislas Van de Velde heeft vroeger de vertaling gegeven van het *Leven van den H. Franciscus*, dat misschien wel het meestergewrocht is van den Deenschen Schrijver (1). Nu krijgen we van zijne hand een welverzorgde vertolking van het *Pelgrimsboek*. Deze pelgrimstocht, uit Rome ondernomen door 't Rietidal, over Assisië en Cortona, voert den schrijver en met hem den lezer van de Kerstkribbe te Greccio tot het wonder der kruisverwonding op den Alvernoberg. Bethlehem en Golgotha! En daartusschen Fonte Colombo, La Foresta, San Felice, Foligno enz., heilige plaatsen door Franciscus betreden en geheiligd. Wat een

(1) Zie *Collat. Brug.*, t. XV, bl. 68.

lust is het voor hert en geest dien Franciscaanschen bedevaart mèe te doen!

Mocht het Pelgrimsboek bij ons vlaamsche volk ruimen toegang vinden, en mocht de bijval van beide vertalingen den vertolker aanzetten om ons ook van *In excelsis* eene vlaamsche overzetting te bezorgen!

J.-B. Ferreres, S. J. *La Communión frecuente y diaria y la primera Communión.* In-8, 296 p., 3ª ed. Barcelona, Gustavo Gili, 1911. Fr. 2,50.

Commentarius canonico moralis in decreta *Sacra Tridentina Synodus* de frequenti et quotidiana communione et *Quam singulari Christus amore* de ætate admittendorum ad primam communionem. Priori insuper decreto adnectuntur decreta et declarationes circa communionem in oratoriis privatis, circa triduum eucharisticum, fœdus Sacerdotate eucharisticum etc. Ubique invenimus expositionem dilucidam ac solidam, ita ut commentarius laudari merito possit.

Potuisset forsitan A. docere asseverantius sententiam de licita distributione Communionis in Sabbato Sancto inter Missarum solemnia (p. 109 ss.).

L. Andrieux. *La Première Communion. Histoire et discipline. Textes et Documents. Des origines au XXe Siècle.* In-8, XXXIII-392 p. Paris, Beauchesne, 1911. Fr. 3,50.

L'accueil sympathique fait aux articles si documentés que M. Andrieux a publiés dans la *Revue pratique d'Apologétique* (15 Déc. 1910 et 1r Févr. 1911) a engagé l'auteur à compléter son travail sur l'*Histoire de la première Communion.* Les articles déjà parus ont été complètement remaniés et munis de pièces justificatives. Une étude nouvelle, entièrement inédite, sur l'*Histoire de la préparation à la première Communion du XIIIe Siècle à nos jours* occupe plus du tiers du volume, en sorte que l'ouvrage constitue bien un livre nouveau, même pour ceux qui auraient pu lire les articles précédemment parus.

Nous faisons nôtre cette appréciation de la *Revue pratique d'Apologétique* (15 Juillet 1911): « Cette étude, conduite selon les méthodes les plus sévères, s'appuyant à chaque page sur des documents de premier ordre, cités textuellement en note, pour les plus importants, et dont la longue liste figure en tête du volume est, sans contestations possibles, le travail le plus sérieux qui ait été fait jusqu'ici sur la question soulevée par le Décret *Quam singulari* ».

J.-V. Bainvel. *La Dévotion au Sacré-Cœur de Jésus.* Doctrine, Histoire. 3e éd. In-8, X-498 p. Paris, Beauchesne, 1911. Fr. 4.

Nous avons annoncé ce livre t. XIII, p. 355, coll. t. XIV, p. 697. Cette troisième édition est *considérablement augmentée;* c'est surtout dans la troisième partie: *Développement historique de la Dévotion,* que l'auteur a mis beaucoup de nouveau. Il ne s'est plus contenté de marquer les étapes du

développement, de tracer les cadres en renvoyant à d'autres pour les remplir; il a fait une étude complète, il nous présente un livre qui se suffit à lui-même.

Aucun livre, à notre connaissance, ne présente un aperçu aussi solide et aussi complet *(doctrine* et *histoire)* sur la Dévotion au Sacré-Cœur de Jésus. Il a sa place marquée dans toute bibliothèque sacerdotale.

H. MAHIEU.

J.-B. Ferreres. *Los Esponsales y el Matrimonio segun la novisima disciplina. — Comentario canonico-moral sobre el Decreto Ne temere*, quinta edición, Madrid, 1911. In-8°, 460 p. Pretium 3.50 pesetas.

Inter theologos Hispaniæ modernos ac juris canonici peritos spectabilem, si non principem, locum occupat laudatus Auctor, ejusque opera numero plura notissima laude commendantur. Præsens autem monographia, anno 1908 typis primùm vulgata ac quintam jam editionem nacta, egregium exhibet Decreti *Ne temere* commentarium, quod, judicio moderatoris ephemeridis *Acta S. Sedis* (15 Oct. 1908), est « communi favore receptum apud doctos... ob claram et tutam interpretationem novæ legis de sponsalibus et matrimonio ». Reliquis hucusque vulgatis commentariis in eo præstat quod non modò theoreticè sed admodùm practicè proponitur recens moderata œconomia, variis huc spectantibus casibus appositè solutis.

Minus tamen placet, si mentem aperire liceat, materiæ distributio ac methodus quam Auctor adoptandam censuit, quatenus, præmissa interpretatione articulorum Decreti, seorsim interpretatur subsequentes S. Sedis declarationes varios articulos respective illustrantes, seorsim etiam practicas proponit doctrinæ applicationes: unde unitati nocetur ac methodicæ expositioni.

Ut ad quædam particularia descendamus, docet A. sponsalia, extra formam Pianam celebrata, irrita esse ac prorsus nulla *in foro etiam interno* (n. 164); censet domicilium et mensilem commorationem in hac re esse attendenda *respectu determinatæ paræciæ*, adeo ut sponsus non censeatur subditus Ordinarii, infra cujus diœcesis terminos per mensem degat, quin in determinata parochia a mense commoratus fuerit (n. 251). Nobiscum etiam in hoc consentit quod *momentanee vagis* non sit applicanda norma Decreti, sub art. V, par. 4, quatenus, in ordine ad celebrationem matrimonii, præviè obtinenda sit licentia Ordinarii (n. 254, 271 et 499).

Pariter admittit sacerdotes, quando vi art. VII Decreti matrimonio assistunt in extremis, dispensare posse etiam super impedimento clandestinitatis et signanter *super præsentia testium* (n. 599 et 617 ss.). Vindicat (n. 609 s.) *Ordinario* facultatem ut, positis ponendis, dispenset, non secus ac simplices sacerdotes et parochi, cum moribundis *non concubinariis*, quotiescumque urget necessitas nubendi ad consulendum conscientiæ seu legitimitati prolis, ampliato quoad hoc indulto anni 1888. Quod spectat impedimentum mixtæ Religionis, merito tenet illud quidem a

descripta facultate esse excipiendum, utpote merè impediens, sed in urgenti necessitate sponte cessare (n. 621 et 793) (1).

Tandem in controversia circa ambitum art. VIII Decreti agitata, Auctorem quem hucusque in plerisque doctrinæ punctis consentientem invenimus, planè contradicentem habemus. Non agnoscit nimirum ut probabilem adeoque ut practice tutam sententiam, quam iteratis vicibus propugnavimus (2), matrimonium scil. posse validè contrahi coram duobus dumtaxat testibus, quando, mensis spatio interposito, matrimonium celebrari nequit coram parocho ejusve delegato, quia, cum cæremoniæ civiles adimpleri nequeant, sacerdos ab assistentia matrimoniali, vi legis anterioritatis matrimonii civilis, gravis pœnalitatis sanctione, prohiberi contingit (813-818). In hoc præprimis nititur quod impossibilitas in nostro casu invocata parochum adeundi non sit *generalis* pro tota regione sed particularis tantùm respectu quarumdam personarum : hæc tamen impossibilitatis universalitas, maxime attento tenore decreti 12 Martii 1910, non videtur requiri.

A. De Smet.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (3).

Brun F. (Abbé). *Organum comitans ad Kyriale seu ad Ordinarium Missæ (juxta editionem Vaticanam).* Accompagnement à 3 parties pour orgue (ou harmonium) avec préface de Dom L. David, O. S. B., Lyon, Janin frères, 1911, in-4°, 128 p. F. 4.

Derckx. *De Vrouwe, der menschheid vloek en zegen.* Kerkrade, Alberts, 1911. In-8, 325 bl. Fl. 1,60.

Fleuret Daniel. *Inviolata, prose à 3 vois égales* (Anthologie des maîtres religieux contemporains.) Lyon, Janin frères, 1911. Fr. 2 la partition avec accompagnement ; 0,40 la partition des voix.

Messe de Sainte Hildegarde. Accompagnement par l'abbé A. Lhoumeau. Lyon, Janin frères, 1911. F. 2.

(1) Cf. nostrum tractatum *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 2ª, n. 357.

(2) Cf. Tractatum *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 2ª, n. 69; *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 646 ss., t. XV, p. 106 ss., necnon hoc t. XVI, p. 463 s.

(3) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Officium SS. Cruoris D. N. J. C., ad horas diurnas, exhibens cantum gregorianum, cum debita approbatione S. Rit. Congregationis et licentia edendi Ordinarii Tornacencis et Episcopi Brugensis, ed. Desclée et Cie, Romæ-Tornaci, 1911, 8 fol.

Poey P. *Manuel complet et pratique de Théologie Pastorale au XXe Siècle,* t. I. Mission doctrinale du Prêtre, in-8°, VIII-689 p. Montrijeau. Soubiron.

Reinstadler S. *Elementa Philosophiæ Scholasticæ.* 2 vol. in-12, p. XXVII-499 p. — XIX-495 p. Freiburg, Herder, 1911, Pr. les 2 vol.: Broché 7,50 fr., relié 9,25 fr.

Roussel A. *Le Boudhisme primitif.* Première série de « Religions Orientales », in-12, 431 p. Paris, Téqui, 1911. Pr. 4 fr.

Stroy H. *Bijbelsche Geschiedenis* voor school, patronaat en huisgezin. Nieuwe Testament, in-8°, 276 p. II. Hertogenbosch, Mosmans, 1911.

Tissier J. *Les Femmes du monde.* In-12, IX-320 p. Paris, Téqui, 1911. Pr. 3,50 fr.

Thurston H., S. J. *The Coronation Ceremonial.* In-12, 131 p. London, Catholic Truth Society. Pr. 6 pence.

Turcan R. *Cours d'instructions dominicales.* In-12, 3 vol. XV-423 p., 360 p., 391 p., 2e éd. Paris, Téqui, 1911. Pr. 3,50 fr. chaque volume.

Ugarte de Ercilla. *Espana Eucharistica* in 8°, 865 p. Madrid, Imp. des Asilo Isuerfanos, 1911. Pr. 5 ptas.

Une Journée chez les Moines. Abbaye de Maredsous, in-12a, 101 p. Pr. 1,25 fr.

Vandepitte Ch. *Petit Catéchisme de la Grâce.* In-24, IX-68 p. Paris, Téqui, 1911.

Idem. *Conférence à la Jeunesse des Écoles.* 3e Séries. in-12, XVIII-232 p., 212 p., 246 p. Paris, Téqui, 1911. Pr. 2 fr. la série.

Vosen et Kaulen. *Rudimenta Linguæ Hebraicæ.* 9a editio. in-8°, XI-171 p. Freiburg, Herder. Pr. broché 2,50 fr., relié 3,15 fr.

Wagner A. *Doctrina de gratia sufficiente.* Græcii (Graz), Ubr. Moser, 1911. In-8, 484 p. M. 8,50.

Warnier Z. *Répertoire de l'administration des communes et des établissements publics.* Namur, J. Godenne, 1911, in-8°, 590 p. Fr. 5.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Interpretare Psalmum 148: *Laudate Dominum de cœlis...*

II

Explica et demonstra hoc assertum: *In Christo non datur nisi unum esse substantiale actualis existentiæ.* Cf. S. THOMAS, III. q. 17, a. 2: JUNGMANN, *de Verbo Incarnato*, n. 147.

III

Act. Ap. VIII, 16 et XIX, 5, legitur quosdam fuisse baptizatos *in nomine Jesu:* ostende illud factum conciliari posse cum doctrina catholica circa formam Baptismi, administrandi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

IV

Expone doctrinam de necessitate medii Sacramenti Baptismatis.

V

Faites connaître l'hérésiarque Tanchelm et les erreurs qu'il répandit dans les Pays-Bas, au commencement du XIIIe siècle.

VI

Paucis expone sensum, usum ac ritum Confessionis generalis *(Confiteor — Misereatur — Indulgentiam).*

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter.

PRIJZEN PER EXEMPLAAR. GEBROCHEERD: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

GECARTONNEERD: **met lustrine rugje**, per ex. 40 cent., per 50 ex. 35 cent., per 100 ex. 33 cent.

GEBONDEN: nº 1. Engelsche cartonnage zwarte percaline, roode sneê: per ex. 50 cent., per 50 ex. 45 cent., per 100 ex. 43 cent.

nº 2. Engelsche cartonnage percaline, gouden sneê met verguld platte, per ex. 66 cent., per 50 ex. 61 cent., per 100 ex. 59 cent.

nº 3. Leder Grenat, goude sneê, ronde hoeken, platte rijk verguld, lintje en étui: per ex. fr. 1,50, per 50 ex. fr. 1,40, per 100 ex. fr. 1,35.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

NOTA BENE. Subscriptionis anni proxime insequentis pretium percipietur via postali **primis diebus mensis Decembris.**

Collationes Brugenses

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Interpretare psalmum 92:* Dominus regnavit.....

R. **Inscriptio** præmittitur Psalmo, in textu LXX et in Vulgata: *Laus cantici ipsi David, in die ante sabattum, quando fundata est terra.* Hæc deest in textu hebraico.

Prior pars inscriptionis, hanc *laudem cantici,* (utraque vox idem significat), exhibet qua canticum seu psalmum *Davidis* auctoris (1). Attamen certa non est authentia davidica (2); nonnullis auctoribus præplacet quod psalmus probabilius fuit compositus tempore Ezechiæ regis, quo regnante profligati sunt hostes populi Dei (3), occasione insignis alicujus victoriæ ab eo relatæ (4), etsi ipsa præcisa occasio determinari nequit.

Altera pars inscriptionis notat psalmum cantandum esse in sexta die hebdomadæ, in die qua fundata vel habitata est (5) terra, i. e. in die qua completa et perfecta est creatio terræ, vel in die qua, creato homine, terra cœpit habitari (6).

---

(1) *Ipsi David.* Hebraismus, dativus *(ledavid)* pro genitivo.

(2) Circa valorem hujus attributionis Davidi, in inscriptione quæ in textu originali deest, vide dicta *supra,* p. 617 ss.

(3) Cfr. Lesêtre, *La Sainte Bible,* in h. ps.

(4) Vide infra.

(5) Κατῴκισται.

(6) Revera Talmud, Tr. *Thamid,* VII, testatur hunc psalmum apud Judæos cantatum esse in feria VI assignata. Porro singulæ diei hebdomadæ assignat psalmum determinatum: primæ, ps. XXIII; secundæ, ps. XLVII; tertiæ, LXXXI; quartæ, XCIII; quintæ, LXXX; sextæ, XCII; sabatto, XCI. Cfr. Lesêtre, l. c.

Textus Psalmi, juxta textum originalem (1) sic videtur posse describi et in versus et strophas distingui:

Iª Stropha.

1. Dominus regnat! Decorem indutus est;
   Indutus est Dominus fortitudinem;
   Præcinctus est ira (virtute).
2. Firmavit orbem (terræ, qui) non nutabit;
   Firmatus est thronus tuus a sæculo;
   A sæculo tu es.

IIª Stropha.

3. Elevaverunt flumina, Domine,
   Elevaverunt flumina vocem suam.
   Elevent flumina fluctus suos!
4. Magis quam voces aquarum immensarum,
   (Magis quam) potentes fluctus maris,
   Potens (est) in altis Dominus.

IIIª Stropha. — Conclusio.

5. Promissiones tuæ fideles sunt valde,
   Domum tuam decet sanctitas,
   Domine in longitudinem dierum.

Argumentum Psalmi.

Duplici sensu ab auctoribus intelligitur Psalmus:

1°/ *in sensu proprio* (2). Describeretur nempe regia potestas Dei (v. 1), quatenus est totius universi *Creator:* orbem terrarum constituit, quasi firmum thronum suum, in initio temporis (v. 2), et quatenus est omnium rerum *Gubernator:* hoc describit typice eligendo ex omnibus creaturis eas quæ sunt omnium magis vehementes: flumina et maria, magno sonitu feros fluctus ferentia, Deumque exhibendo omnibus his potentiorem, omniaque ab alto cœlo compescentem (vv. 3-4). Et concluditur psalmus: testimonia divina (lex divina) (?) fide

(1) In quantum res possibilis est, conati sumus servare textum quem in officio recitandum habemus, eo fine ut usui practico nostro prodesse possimus. — Cæterum, in *annotationibus* infra additis, accuratius indicamus ubi mutationem in textum introduxerimus.

(2) Ita Beelen, Van Steenkiste, Niglutsch, Ceulemans, et alii.

dignissima sunt, et templum, in quo Dominus in medio nostri inhabitat, ab omni profanatione alienum esse debet.

2°/ *in sensu metaphorico* (1). Psalmus est hymnus triumphalis in honorem Domini qui de hostibus populi sui potentibus, insignem retulit victoriam (2).

Præplacet hæc altera interpretatio, quam sic, juxta textum Psalmi, evolvere possumus:

In I^a^ Stropha describitur Dominus, post relatam de hostibus victoriam, quasi triumphator indutus majestate (v. 1^a^), indutus quasi pallio fortitudine et potentia (v. 1^b^), præcinctus quasi armatura, ira et vindicta (v. 1^c^). — Describitur ut insidens orbi terrarum quasi throno suo, quem ab initio temporis fundavit, nunc autem victoria sua iterum firmum et immobilem esse ostendit (v. 2).

In II^a^ stropha describit vehementissimos conatus quos contra Dominum moverunt hostes, Dominum autem hæc omnia tentamina alta sua virtute despicientem et frangentem. — Hæc exponit pergendo eadem figura qua jam incœpit in I^a^ stropha: Hostes Dei exhibentur quasi flumina et maria impetu fluctuum et sonitu magno contra orbem terrarum, — thronum Dei — assurgentia: ast impetus eorum in vanum (v. 3). Etenim, sit validus fragor fluctuum maris, sint vehementes in furore suo, — magis potens est Dominus et ab alto cœlo vanos illos conatus compescit (v. 4).

In III^a^ tandem stropha, meminit Psalmista verbi Domini quo promiserat populo suo protectionem contra omnes hostium incursus: Promissiones tuæ fideles sunt valde, omnia enim promissa tua fideliter imples (v. 5^a^); meminitque habitaculi Domini in medio populi sui,

---

(1) Ita auctores communius.

(2) Eusebius, S. Athanasius, S. Augustinus, applicaverunt psalmum regno Christi. « Verisimile est elationes maris esse persecutiones in Ecclesiam Dei insurgentes » (Euseb., cit. apud Lesêtre, *La Sainte Bible*, in h. ps.).

templi divini quo omnis populi Judaici cultus quasi in centrum convergebat, concluditque fideli protectioni divinæ ex parte Israel respondere debere fidelem quoque cultum Domino ipsiusque habitaculo exhibendum.

Annotationes.

1. *Regnavit*, hebr. *malak*, hac forma perfecti, adhibetur ad designandum initium alicujus regni (cfr. II Reg. XV, 10; III Reg. I, 11, 13; IV Reg. IX, 13); inde designat etiam restaurationem aut confirmationem alicujus regni, ut in casu: Finita est pugna, relata victoria: Dominus regnat (1)! — V. 1 ab auctoribus quoad interpunctionem vario modo legitur. — *Ira:* sic vertimus hebr. *'af*, quam vocem versiones et auctores communiter jungunt sequentibus, in sensu: *etiam*, *etenim*, quasi v. 2 probaret potestatem regiam Dei de qua in v. 1 agitur. Constructio phraseos fit magis obvia, et parallelismus melior jungendo cum præcedentibus, in sensu *ira* seu *vindicta*.

2. V. 2[a] et 2[b] sunt membra parallela (bis idem verbum: *firmatus est*), adeo ut vere *orbis terræ* videatur exhiberi quasi *thronus Dei*. Thronus ille ab initio temporis existit; Rex ipse ab æterno est. — In textu a nobis relato servavimus ex textu officii: *firmavit* orbem, dum juxta textum hebr. legendum esset: *firmatus est orbis*.

3. *Elevaverunt...*, *elevaverunt...*, *elevent...:* Idem verbum hebr., bis in perfecto, tertia vice in imperfecto. Sensus videtur esse: En quid fecerint flumina, sed esto! Elevent fluctus suos, vani erunt omnes eorum conatus. — *Fluctus suos*, hebr. *dokiam*, notat clangorosos, in furorem versos fluctus.

4. *Voces*, iterum juxta textum hebr., vehementes intelliguntur quasi voces tonitrus. — *Flumina* et *aquæ immensæ* i. e. *mare*, metaphorice designant populos hostiles qui habitant juxta flumina Euphratem et Tigrin, ad orientem populi Judaici, et juxta mare mediterraneum, adeoque ad occidentem. Hic idem usus metaphoricus alibi adhuc occurrit. (Gen. XXIV, 10; Is. VII, 20; VIII, 7; XIX, 5). Similiter

(1) Eamdem formulam, initio Psalmi, vide in ps. XCVI, 1 et XCVIII, 1.

fluctus alibi designant potentias humanas adversus Dominum unitas. (Ps. XLV, 4; LXXVI, 17-20) (1).

Magis quam..... Sic vertimus præpositionem *min* quæ in *miqqolôt* (magis quam voces) continetur. Eamdem præpositionem ob parallelismum supplemus ante *misbᵉrê-jâm* (fluctus maris).

5. *Testimonia tua,* intelligitur vel *lex* divina, vel melius, sensu quem supra secuti sumus: *promissiones* divinæ: per victoriam quam de hostibus suis reportavit ostendit Deus quam infallibiles et fide dignæ *(fideles)* sint promissiones suæ. — *Domum tuam...* Vide sensum quem supra proposuimus. Nota tamen, eo quod ignota sunt nobis adjuncta ad quæ Psalmista alludit, nonnisi conjecturaliter nos posse sensum plurium determinare.

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Explica et falsam esse demonstra hanc propositionem 29ᵃᵐ damnatam in decreto « Lamentabili » :* « Concedere licet Christum quem exhibet historia multo inferiorem esse Christo qui est objectum fidei ».

R. I. 1. *Occasio* damnationis propositionis prædictæ fuit doctrina a Modernistis et signanter a Loisy proposita, qui explicite propugnat distinctionem inter Christum fidei et Christum historiæ (2).

2. Ut *sensus* propositionis perspiciatur, oportet a/ ut explicentur ipsa distinctionis verba:

Christus historiæ dicitur Christus qui et quatenus est

(1) Cfr. LESÈTRE, *l. c.*

(2) *Autour d'un petit Livre,* p. 11, 93, 111 s. Cf. BILLOT, *De sacra Traditione,* Roma, 1904, p. 108 ss.; LEPIN, *Christologie,* Paris, 1908, p. 9 ss.; ID., *Les théories de Mr Loisy,* Paris, 1908, passim. — Similem distinctionem jam invexerat STRAUSS, qui, anno 1865, theorias a Schleiermacher propositas refutavit libro cujus titulus erat: *Der Christus des Glaubens und der Jesus der Geschichte.* Cf. FILLION, *Les étapes du Rationalisme,* in *Revue du Clergé français,* 1909, t. 58, p. 563.

objectum cognitionis historicæ, scilicet qui et quatenus cognosci potest per varia auxilia quæ acquirendæ cognitioni historicæ inserviunt, eodem modo quo existentia et vita aliorum hominum historice cognosci potest.

Christus fidei dicitur Christus qui et quatenus est objectum fidei, scilicet qui et quatenus exhibetur a fide Christianorum, sive a fide, subjective spectata, quæ est persuasio fidelium, sive a fide, objective spectata, quæ est doctrina proposita a magisterio ecclesiastico.

b/ Sed jam considerandum est apud Modernistas nomine *fidei* non idem significari ac id quod apud nos significatur.

Nos enim *fidem* dicimus intellectus adhæsionem ad aliquid ut verum propter auctoritatem Dei revelantis: nempe nos demonstramus et admittimus factum *revelationis* propriæ dictæ (1), scilicet manifestationis ab ipso Deo factæ de quibusdam veritatibus; fides porro consistit in actu intellectus admittentis ut verum id quod dixit Deus et quia Ipse hoc dixit (2).

Modernistæ autem hanc fidem nec admittunt, nec in ipsorum systemate possunt admittere, quia ipsam revelationem divinam habent ut incognoscibilem: proinde nequeunt aliquid ut verum admittere quia hoc dixit Deus (3). Secundum ipsos fides est aliqua adhæsio necessaria sed cæca (non fundata in judicio credibilitatis) ad Incognoscibile (h. e. ad Deum) et proinde ad alias formulas religiosas, quas invenerunt homines cogitando hanc fidem et experiendo affectus religiosos. Proinde objectum hujus fidei, qua tale, non est aliquid reale, ab homine independens, quod cognoscendo attingit, sed est merus effectus subjectivæ et immanentis dispositionis, quæ vocatur indigentia divini (4).

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 575.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 561; t. X, p. 603; t. XIV, p. 201 ss.
(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 602, t. XIII, p. 205.
(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 276 ss.

Inde radicalis separatio est inter historiam et fidem: objectum historiæ est phænomenon, res sensibilis (vel sensibiliter apparens) quæ potest cognosci; objectum vero fidei est aliquid alterius ordinis et transcendentalis, est aliquid ad quod homo adhæret, quod est terminus ejus persuasionis, sed de quo non potest *cognosci,* proprie loquendo, utrum realitati sit conforme vel non.

c/ Ad Christum quod attinet Modernistæ tenent Christi, ut hominis, verba et opera posse cognosci, sicut cognoscibilia sunt aliorum hominum; sed simul docent evangelia synoptica et præsertim evangelium Joannis non esse libros historicos, quia Evangelistæ præ scopo quem habebant producendi fidem, de fidelitate historica non admodum curabant, et narrando interpretabantur evangelium secundum fidem (sensu modernistico) et experientias religiosas ipsorum: inde critico incumbit onus discernendi et selectionem faciendi inter id puod primitivæ memoriæ est proindeque verum seu historicum et id quod pertinet ad appretiationes fidei posterioremve mentis christianæ evolutionem (1).

d/ Porro illius criticæ inquisitionis, ad mentem Modernistarum confectæ, conclusio quædam est præcise distinctio inter *Christum historiæ* et *Christum fidei.*

Jamvero Christus historiæ, scilicet Christus qui et quatenus historice cognosci potest et consequenter, secundum integrum Modernistarum systema, qui solus realitati objectivæ respondet, est merus homo, qui veritates quasdam religiosas prædicavit, qui discipulos paucos et indoctos acquisivit et tandem morti damnatus, mortuus est. Ab ejus vita terrestri excludenda sunt miracula (in specie Ejus propria ex mortuis resurrectio), prædicatio de sua divinitate, de sua missione ad redemptionem mundi per mortem crucis, institutio

(1) Cf. Billot, *o. c.*, p. 110; Lepin, *Les théories de Mr Loisy*, p. 219 ss.

Ecclesiæ, institutio sacramentorum (1). Hæc vero omnia pertinent ad Christum fidei, nempe ad Christum qualis fuerit excogitatus et transfiguratus ab apostolis et aliis discipulis. Inde sequitur *Christum historiæ* esse *multo inferiorem Christo fidei.*

Quæ hucusque exposuimus contrahuntur paucis verbis in encyclica « Pascendi » :

« Ideo vulgata apud modernistas discretio inter Christum historicum et Christum fidei, Ecclesiam historiæ et Ecclesiam fidei, Sacramenta historiæ et Sacramenta fidei, aliaque similia passim. — Deinde hoc ipsum elementum humanum, quod sibi historicum sumere videmus, quale illud in monumentis apparet, a fide per *transfigurationem* ultra conditiones historicas elatum dicendum est. Adjectiones igitur a fide factas rursus secernere oportet, easque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei : sic, quum de Christo agitur, quidquid conditionem hominis superat, sive naturalem, prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque ætate, quibus ille vixit, conflatam » (2).

II. Cur *falsa* sit propositio cujus sensum exposuimus, jam non difficile est intelligere : indicabimus cur contradicat veritatibus certo cognitis.

1. Distinctio exposita inter Christum historiæ et Christum fidei includit negationem *realitatis* Christi fidei : nam hæc fides, secundum Modernistas, non est actus vere cognoscitivus, qui nempe repræsentat seu intentionaliter attingit id quod est.

Præterea Christus qui et quatenus est objectum *fidei catholicæ* est Christus ille qui miracula fecit, qui docuit se esse Deum, et se morte sua redempturum homines, qui resurrexit a mortuis, qui Ecclesiam instituit etc., et hic idem Christus, secundum doctrinam catholicam, est cognoscibilis *historia*. Eadem enim facta, quæ simplici-

(1) Textus ex operibus D. Loisy videre est apud P. Billot, *o. c.*, p. 105 ss. et apud Lepin, *o. c.*, passim.

(2) V. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 661 s. Legantur quæ sequuntur in encyclica.

ter sunt historica secundum quod humano testimonio referuntur, sunt etiam ad fidem divinam pertinentia quatenus simul investita sunt altiori et firmiori testimonio Dei (1). Igitur in doctrina catholica Christus historiæ nullo modo est inferior Christo fidei.

2. Distinctio prædicta supponit negationem historicitatis proprie dictæ evangeliorum : nam quæ a Modernistis negantur de Christo historiæ et tribuuntur Christo fidei narrantur in evangeliis ut *facta* historica de Christo historico : quæ si non admittuntur ut realia facta, sequitur non ut historicos haberi libros illos. Cæteroquin censent Modernistæ in Evangeliis non inveniri fidelem factorum relationem, sed expressionem fidei primorum christianorum quæ jam *transfiguraverat* facta vitæ Christi.

3. Tandem in *subjectivismo* quo Modernistæ interpretantur evangelia nititur prædicta distinctio : a Christi enim historici vita removent omnia facta supernaturalia et alia quæ non quadrant cum notione quam ipsi sibi de Christo præformarunt (2).

4. Ipse subjectivismus, de quo locuti sumus, nititur in falsa theoria circa humanam cognitionem et in specie circa cognitionem religiosam : quæ theoria vocatur *agnosticismus* et *immanentismus vitalis* (3).

Adnotatio. Sensum distinctionis inter Christum historiæ et Christum fidei secundum mentem Modernistarum exposuimus, erroneamque ostendimus.

Sed ulterius inquiri potest utrum prædicta distinctio in alio sensu adhiberi recte possit.

Videtur autem aliquem sensum ei tribui posse qui non necessario involvat falsum.

---

(1) Cf. Billot, *o. c.*, p. 132.

(2) Cf. Encyclica « Pascendi », in *Collat. Brug.*, t. XII, p 662 et 664.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 195 ss.; *Revue ecclésiastique de Liége*, t. IV, p. 221 ss.; *la Vie diocésaine* (documenta), t. II, p. 71, 123; *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 88, 216, 345.

Sed imprimis exponemus quædam certo rejicienda.

Non adhiberi potest prædicta distinctio eo sensu quo aliud esset Christus historiæ et aliud Christus fidei, nominatim ac si Christus historiæ esset persona realis, quæ hac in terra vixit, et Christus fidei esset tantum figmentum mentis de quo nescitur utrum respondeat realitati.

Si nomine fidei intelligitur fides proprie dicta, *subjective* spectata, nempe virtus infusa fidei, recte dicitur Christum aliter fide cognosci, aliter historia: quia hæc est cognitio mere naturalis, illa est supernaturalis: inde admitti posset Christum historiæ dici Jesum quatenus est objectum cognitionis naturalis et Christum fidei dici Jesum quatenus est objectum supernaturalis cognitionis. Hoc sensu intellectu nihil falsi continet distinctio prædicta, sed non est expressio accurata: nam non ut aliud et aliud proponendum est id quod, quum sit re unum et idem, duplici modo cognoscitur: sicut non apte diceretur homo *physiologiæ* et homo *psychologiæ*, quia aliter physiologia et aliter psychologia cognoscitur.

Si ulterius quæritur utrum fide plus cognoscatur de Christo quam historia, negandum est: quia illa, quæ de Christi persona tenemus fide, continentur in doctrina (1) et factis Christi, quæ in Evangeliis nobis narrantur.

Non tamen repugnantia fuisset in hoc quod Deus revelasset de Christo quædam, quæ non libris historicis consignantur, et tantum traditione conservarentur: v. gr. si Christus ipse non docuisset se Deum esse, potuisset Deus alio modo hanc veritatem revelare Apostolis post Christi ascensionem: in hac hypothesi Christus, quatenus historia scripta cognitus, non ut Deus cognosceretur.

J. Van der Meersch.

(1) Ipse Christus docuit se esse Deum et miraculis confirmavit suam doctrinam: inde *historice* constant ea propter quæ est admittenda divinitas Christi: hæc porro admittenda esset naturali fide, eodem modo quo historicus admittit fuisse aliquem affectum internum in homine qui testatur se hoc expertum fuisse et cæteroquin ut verax censeri debet.

III

Q. *Expone quid sit zelus sacerdotalis.*

R. Præmittimus doctrinam S. Thomæ in 1-2, q. 28, a. 4 in corp., ubi quærit *utrum zelus sit effectus amoris:*

« Respondeo dicendum, quod zelus, quocumque modo sumatur, *ex intensione amoris provenit.* Manifestum est enim quod quanto aliqua virtus intensius tendit in aliquid, fortius etiam repellit omne contrarium vel repugnans; cum igitur amor sit quidam motus in amatum, ut Aug. dicit in libro 83 Quæst. (q. 35 et 36), intensus amor quærit excludere omne quod sibi repugnat.

Aliter tamen hoc contingit in amore concupiscentiæ, et aliter in amore amicitiæ; nam in amore *concupiscentiæ* qui intense aliquid concupiscit, movetur contra omne illud quod repugnat consecutioni vel fruitioni quietæ ejus, quod amatur: et hoc modo viri dicuntur zelare uxores, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in uxore quærunt. Similiter etiam qui quærunt excellentiam, moventur contra eos qui excellere videntur, quasi impedientes excellentiam eorum. Et iste est zelus invidiæ, de quo dicitur in Ps. 36: Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

Amor autem *amicitiæ* quærit bonum amici: unde quando est intensus, facit hominem moveri contra omne illud quod repugnat bono amici. Et secundum hoc, aliquis dicitur zelare pro amico, quando, si quæ dicuntur vel fiunt contra bonum amici, homo repellere studet. Et per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea quæ sunt contra honorem vel voluntatem Dei, repellere secundum posse conatur secundum illud 3 Reg. 19: Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, et Joan. 2 super illud: Zelus domus tuæ comedit me, dicit Glossa (ord. ex Aug. Tract. X in Joan.) quod bono zelo comeditur, qui quælibet prava quæ viderit, corrigere satagit; si nequit, tolerat, et gemit ».

Zelus igitur *ex intensione amoris provenit* (1); ut autem

(1) Græce ζῆλος significat proprie ebullitionem, inde ardorem.

sit verus ac genuinus, oriri debet ex amore benevolentiæ (1), atque sic describi potest: Est intensus veri amatoris affectus, quo diligentissime quærit honorem et gloriam Dei et salutem animarum, et quidquid his duobus opponitur, fortiter constanterque repellit, si potest, et ingemiscit ac dolet, si non potest (2).

Si speciatim consideremus *sacerdotem,* statim apparet istum ardorem charitatis seu zelum esse notam characteristicam charitatis sacerdotalis. Deus enim misit Filium suum in mundum, ut *clarificaret* seu glorificaret Ipsum *super terram* (Jo. XVII, 4) et *salvaret mundum* (Jo. III, 17). Postquam autem consummavit opus quod dederat ei Pater (Jo. XVII, 4), reversurus ad Patrem, Christus instituit Ecclesiam, cui commisit opus suum continuandum in terra, et in Ecclesia constituit *sacerdotes ministros authenticos gloriæ divinæ et salutis animarum.* Zelus igitur vita sacerdotis sit seu ejus aspirationes et desideria, cogitationes, labores et opera unice tendant ad majorem Dei gloriam et salutem animarum (3).

IV

Q. *Paucis describe defectus qui solent impedire puritatem zeli sacerdotalis.*

R. Zelus, ut sit purus, nitatur oportet totus in amore benevolentiæ, quo np. intendamus *unice bonum amici,*

(1) Zelus enim oritur ex amore amicitiæ, quo intendimus *bonum amici;* qui amor amicitiæ est amor benevolentiæ, prout distinguitur ab amore concupiscentiæ, quo bonum concupiscimus *nobis.*

(2) Cf. Dirckinck, S. J. *Semita perfectionis,* semitæ unitivæ passus XXVIII; *S. François de Sales, Traité de l'amour de Dieu,* L. X, ch. 12 ss., coll. L. V, ch. 9. Ita dicit L. X, ch. 12: « Quand donc l'amour est ardent et qu'il est parvenu jusques à vouloir ôter, éloigner et divertir [détourner] ce qui est opposé à la chose aimée, on l'appelle zèle; de sorte qu'à proprement parler, *le zèle n'est autre chose si non l'amour qui est en ardeur ou plutôt l'ardeur qui est en l'amour* ».

(3) « Voilà, aiebat venerabilis sacerdos Olier, le véritable esprit du sacerdoce et la grande disposition où vous devez être continuellement comme prêtre ». *Lettres de M. Olier,* lettre 196. Cf. H. Mahieu, *Probatio charitatis,* Brugis, Beyaert, 1910, p. 108 ss.

Dei dilecti propter seipsum et proximi dilecti propter Deum. Sane sacerdos, nisi sit plane indignus vocatione sua, intendit gloriam Dei et salutem animarum, imo principaliter intendit; sed vix non semper admiscetur, minori vel majori gradu, affectus quidam concupiscentiæ, qui vocatur et est amor proprius, quo simul quærimus bonum *nobis*. Porro amor iste proprius variam habet formam, pro vario bono quod intenditur adquirendum nobis.

Tres insinuat defectus Pius Pp. X in *Exhortatione ad clerum catholicum* (1): « Fortasse ardet animus ad aucupandos honores [*ambitio*], ad rem familiarem augendam [*cupiditas*], ad captandam præsidio scientiæ prædicationem unice et gloriam [*vana gloria*] ».

1. **Ambitio.**

Ambitio est *inordinatus appetitus honoris*. Sane licitus imo et laudabilis esse potest appetitus honoris, scilicet, secundum doctrinam Angelici (2), si honor, quem quis meretur, ut est sacerdos, qui debet esse *honorabilis universæ plebi* (Act. V, 34), referatur in Deum, cui principaliter debetur honor, et ad utilitatem aliorum, ut np. sacerdos fructuosius exerceat ministerium animarum. At inordinatio est seu est ambitio avide quærere dignitates et officia splendidiora, propter honores ipsis conjunctos: *Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro* (Luc. XI, 43, coll. Mt. XXIII, 6 ss.). Neque rara est inordinatio, qua sacerdotes agunt *ut dominantes in cleris* (1 Petri V, 3), id est: spiritu dominationis in portionem gregis sibi commissam; vel qua fastidiunt officium minus speciosum, quod actu tenent, atque indignantur quod non promoveantur ad altius.

2. **Vana gloria.**

Appetitus gloriæ seu æstimationis et laudis non est

(1) In editione quam paravimus apud Beyaert, Brugis, 1908, p. 60.
(2) S. Th., 2-2, q. 131, a. 1. Cf. nostra *Probatio charitatis*, p. 149.

per se vitiosus, sed appetitus *vanæ* gloriæ importat vitium. Applicando iterum doctrinam Angelici (1), paucis indicamus quomodo opera zeli vitiet inanis gloria: quando quis quærit gloriam de bono quod non habet aut saltem majorem gloriam ac meretur bonum quod reapse habet (puta in ministerio verbi); aut inaniter delectatur in laude hominum, videlicet non referens appetitum gloriæ ad debitum finem, puta ad honorem Dei vel proximi salutem vel etiam ad proprium profectum et perseverantiam in operibus zeli (2).

Nullum fere vitium communius occurrit quam vana gloria, atque præcipue in operibus zeli, quippe quæ ut plurimum exercentur coram hominibus.

3. **Cupiditas.**

Hoc vitium solet ab hostibus exprobrari clero multum (3), unde oportet simus ab omni etiam specie cupiditatis alieni. Sane « Dominus ordinavit iis qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivere » (1 Cor. IX, 14), sed dicit Apostolus: *vivere,* non thesaurizare aut ditescere. Sane qui pascit gregem, de lacte gregis manducat (*ib.*, 7), sed mercenarius est, qui de lana et lacte, non de salute ovium est sollicitus (4).

Facile censebitur *turpis lucri cupidus* (Tit. I, 7), qui frequenter cogitat aut loquitur de reditibus, de stipendiis missarum aut assistentiæ, de taxis et tariffo; qui

(1) Q. 132, a. 1 ss. Cf. *Probatio charitatis,* p. 152.

(2) Indigent np. operarii adhuc imperfecti, quod interdum excitentur ac animentur per laudem ac approbationem aliorum, præsertim superiorum.

(3) S. Carolus Borr., Orat. II in Syn. diœc. XI, sic aiebat: « Quam multi sacerdotes sunt, alias boni, modesti, integræ vitæ, studiosi, exemplares; sed hæc maledicta tenacitas et avaritia eos Deo et populis suis reddit exosos, ac eorum vitæ et prædicationibus omnem adimit fidem ».

(4) Ad rem Petrus Blesensis, Ep. X: « Vide ne alios imiteris qui lac et lanam quærunt, in ovibus, non salutem. Periculosum est tibi, si in tonsoris officium convertas ministerium pastorale. Tondet Absalon oves suas, et fratrem suum interficit ». Et Bernardus: « Petro dictum est et tertio repetitum: *Pasce* oves meas, nec: *Tonde,* vel semel additum est ».

parochias aut munia ponderat ex annuo reditu; qui exigit jura sua cum nimia tenacitate aut quadam duritie; qui est parcus ad dandum, et tenax ad retinendum, etc.

Est et alius defectus, eheu non adeo rarus, qui proprio nomine vocatur **zelotypia**: scilicet sacerdos vere zelat gloriam Dei et salutem animarum, sed huic zelo admiscetur affectus quidam humanus, quo vult gloriam Dei procurari in loco in quo versatur, non per alios, sed *per se vel saltem præcipue per se*. Sic ægre fert quod conciones sui cooperatoris libentius audiantur, quod ejus confessionale magis frequentetur, vel saltem a cultioribus et ditioribus, quod alius vocetur ad moribundos vel in rebus dubiis consulatur. Uti patet, hoc vitium reducitur plerumque ad ambitionem aut vanam gloriam, rarius ad cupiditatem.

V

Q. *Adde aptiora remedia opponenda istis defectibus.*

R. 1. **Remedium generale** est propria sanctitas sacerdotis.

Istud luculenter inculcat Pontifex Pius X in *Exhortatione ad clerum catholicum:* homines, sic exponit ipse, sunt tantum instrumenta, a Deo tractanda; cum Deo autem conjunguntur per vitæ sanctimoniam, sine qua nihil, qua mediante omnia possunt.

« Sanctitas una nos efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus; homines in novitate vitæ ambulantes, qui, ut Paulus monet (2 Cor. VI, 5 ss.), *in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis* seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in cœlestia tendant, et alios eodem adducere omni ope contendant » (1).

(1) Lege totam expositionem in edit. cit., p. 30 ss.

At sanctitas illa obtineri nequit sine studio assiduo orationis; aliis verbis, nos sacerdotes persuasi simus « omnino necesse esse partem principem obtineat in vita nostra, ut ad perfectionem attingamus, vita interior unionis contemplativæ cum Deo; vitamque activam ex ea haurire lumen, unctionem, fervorem charitatis, integram tandem suam efficaciam oportere, eique totam subordinari » (1). Notatim oportet nos, sicut Jesus (Luc. IX, 28 ss.), *ascendamus in montem* quotidie mane ut oremus, meditando (2) ac pie sacrificium offerendo, quatenus ibi *transfigurati* ac quasi divini facti per intimum commercium cum Deo nostro, deinde *descendamus ad turbam* seu opera vitæ activæ erga proximum exercenda.

2. **Remedia specialia.**

a/ *Frequenter implorare puritatem zeli*, maxime ab amantissimo Corde Jesu, quod est cordis sacerdotalis exemplar. Utile esset sibi assumere precationem quamdam jaculatoriam, facile repetendam: ita enim et frequentius oramus et simul intentionem ipsi directe renovamus (3).

b/ *Sæpius renovare intentionem* unice quærendi gloriam Dei et salutem animarum: quoties nimirum opus aliquod zeli aggredimur, imo dum illud agimus. Hæc praxis, quæ universim utilis est atque necessaria, quum intentio sit quæ bonum opus facit, speciatim in ordine ad opera zeli formari debet tempore præparationis ad

(1) Cf. Ill. ac Rev. Waffelaert, *Alloc. Prosynod.*, a. 1911, apud *Collat. Brug.*, hoc. t. XVI, p. 446. Lege ac meditare eam totam, ac ea quæ fusius hac de re exposuit p. 321 ss., 377 ss.

(2) « Illud in hac parte caput est, ut æternarum rerum meditationi *certum aliquod spatium quotidie concedatur*. Nemo est sacerdos qui possit hoc sine gravi incuriæ nota et animæ detrimento prætermittere ». Pius Pp. X, *Exhortatio* cit., in edit. cit., p. 40. Lege sequentia, et signanter p. 50.

(3) Ita v. g. formula notissima *A. M. D. G.*, vel *Deus meus et omnia* (S. Fr. Assis.), *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum;* aut adhuc: *Omnia pro te, SS. Cor Jesu* (indulg. 300 d. ap. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 302), *SS. Cor Jesu, adveniat regnum tuum* (item ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 437) etc.

ministerium sacrum, ac deinde per totam vitam sacerdotalem retineri ac proinde exerceri debet.

Hæc porro intentionis puritas quamplurimum juvabitur, si zelus sacerdotis sit vere *supernaturalis,* fundatus np. in spiritu fidei atque fiducia in Deum (1).

c/ *Directe impugnare defectus descriptos.*

Præmittendum est serium examen, ut *sciamus* in quo deficiat zelus noster; deinde vitium determinate cognitum *mortificare* ita oportet, ut saltem jam non dominetur in nobis. Hujusmodi exercitium institui debet potissime in stadio præparationis, sed continuari vel saltem identidem reassumi post adeptum sacerdotium. Præcipua quædam vigilantiæ cura circa defectus supra descriptos commendari debet iis qui inchoarunt ministerium vitæ activæ (2).

Istud exercitium mortificationis, sicut universim negotium nostrum perfectionis, ex parte nostra complectitur meditationem et examen particulare (3). In meditatione seu oratione mentali implemus mentem sanctis cogitationibus et rectis judiciis *(ut videre possimus quæ agenda sunt);* excitamus cor et voluntatem ad concipiendum et fovendum affectus et proposita conformia judiciis *(et quæ recta sunt agere valeamus).* Porro propositum bene determinatum conamur exsequi per praxim

---

(1) *Probatio charitatis,* p. 162 ss.

(2) A primordiis ministerii, sive in parochia sive in collegio, solet pendere tota directio vitæ sacerdotalis: boni enim vel mali habitus tunc acquiri solent, qui plerumque conservantur per universum vitæ curriculum. Hinc apparet quantum intersit ut seniores juvent atque dirigant, et juniores sese committant juvandos atque dirigendos, atque porro omnem industriam adhibeant ut, adjuvante Deo, recte addiscatur *ars artium, regimen animarum,* ut ait S. Greg. M., *Regula Pastor.,* c. I. In gratiam neo-sacerdotum conscripsit valde utile opus Card. Vaughan, *De jonge Priester* (trad. A. J. V. Baaren), Leiden, Van Leeuwen, 1909 (*Collat. Brug.,* t. XV, p. 201).

(3) Cf. nostra opuscula *Het Brood des Levens,* 3de uitg., Brugge, Beyaert, 1910, bl. 157; *Le Pain de Vie,* 2e éd. (1911), p. 208; *Probatio charitatis,* p. 429 ss.

examinis particularis; et adjuvamur consiliis, monitis atque exhortationibus directoris spiritualis (1).

H. Mahieu.

VI

Q. *Faut-il être belge pour faire partie en Belgique d'un conseil de fabrique?*

R. L'absence, dans l'ensemble de la législation fabricienne, de toute disposition réglementant cette question juridique a donné lieu à des divergences d'opinion. Certains auteurs (2) requièrent la qualité de belge dans le chef des conseillers de fabriques. D'autres (3), plus nombreux, soutiennent que la loi n'exige pas la qualité de citoyen pour exercer les fonctions de fabricien. La jurisprudence s'est également prononcée en sens divers. En désaccord avec les décisions françaises (4), la jurisprudence belge (5), tout en constatant que le Département de la Justice a plusieurs fois varié, conclut à l'éligibilité des étrangers.

(1) Nonnulla in specie consideranda vel agenda indicavimus *Probatio charitatis*, p. 147 ss.

(2) Lauwers, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 17 s. Bruges, 1859; Pilette, *Traité de l'administration des fabriques d'églises*, p. 35. Bruxelles, 1886; de Corswarem, *De la législation civile des cultes*, etc., p. 226, nº 190, Hasselt, 1904; Bodart dans la *Revue de l'Administration*, t. XXVI, p. 426; Duballet, *Traité des conseils de fabrique*, p. 12, Paris, 1896; Caulet, *L'avocat du clergé*, p. 420, Paris, 1897, et autres auteurs français cités par Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 219, Louvain, 1899.

(3) V. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compendium*, 7e éd. nº 982, p. 282 s., et les auteurs qui s'y trouvent cités; Brixhe, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2e éd., vº conseiller de fabrique, Liége, 1878; Leroy, *Instructions pratiques sur la comptabilité et l'administration des fabriques d'églises*, p. 246, Tournai, 1883; Moulart, *o. et l. cit.; Mémorial belge*, t. IV, col. 451; Standaert, *Manuel de l'administration des fabriques d'églises*, p. 73 s., Gand, 1910; *les Pandectes belges*, vº fabriques, nº 130 s., et les auteurs qui y sont cités, etc.

(4) V. Duballet, *l. c.* et Caulet, *l. c.*

(5) Dépêche ministérielle du 10 sept. 1878; une autre de 1882 ap. de Corswarem, *o. et l. c.*, et Leroy, *o. et l. c.*

Il est d'abord hors de conteste que, en ce qui concerne les membres de droit, le bourgmestre doit être belge en sa qualité de fonctionnaire public, et qu'un curé étranger, mais légitimement nommé par son Évêque, peut faire partie d'un conseil de fabrique (1).

Quant aux membres électifs, l'opinion qui admet l'éligibilité des étrangers est la mieux fondée.

Il est, en effet, de principe que les exclusions sont d'interprétation étroite; qu'elles doivent résulter d'un texte formel, ou du moins être la conséquence d'un principe posé dans la loi et strictement compris. Or, ni le décret de 1809, ni aucune disposition légale postérieure ne prononce cette exclusion, directement ou indirectement (2).

L'argument le plus sérieux qu'on a fait valoir à l'encontre de cette théorie est tiré de l'article 6 de la Constitution: « Les belges sont seuls admissibles aux emplois civils et militaires, sauf les exceptions qui peuvent être établies par une loi pour des cas particuliers ». Les fonctions de fabricien constituant un emploi public, il faut, par application d'un principe de droit, exiger pour les remplir la qualité de belge.

Notons que les auteurs n'interprètent pas cette disposition constitutionnelle de façon uniforme. D'après certains, l'article 6 exclut en principe les étrangers de toutes les fonctions publiques proprement dites (3), c'est-à-dire, de celles qui supposent une délégation plus ou moins étendue de la puissance publique, de celles qui investissent les titulaires d'une portion de l'autorité, émanant, en droit constitutionnel, de la nation. D'autres étendent cette disposition aux emplois publics compris dans un sens large, c'est-à-dire, à ceux, qui, sans comprendre une participation directe ou indirecte

(1) Giron, *Dictionnaire de droit administratif*, v° fabrique, n° 8.

(2) Moulart, *o. et l. c.*

(3) Il faut en plus d'après plusieurs que ces fonctions soient salariées.

à l'exercice de l'autorité, investissent les employés d'un service public ou de la gestion d'intérêts publics.

Même à admettre cette interprétation large, encore faudrait-il soutenir que les fabriciens ne rentrent pas dans la catégorie des fonctionnaires ou employés publics, dont il est question à l'article susmentionné.

Les conseillers de fabrique ne sont pas chargés d'un service public, d'une fonction qui est un démembrement de l'administration générale, provinciale ou communale. Ils ne sont pas, à parler d'une façon exclusive, les agents ou les employés du Gouvernement ni des autorités civiles inférieures, exerçant en leur nom des droits civils ou politiques, administrant des biens appartenant et affectés à un service laïque. Qu'on considère les fabriques comme des établissements publics ou d'utilité publique, elles ne sont pas moins les représentants de l'Église ou des églises, gérant des biens ecclésiastiques, relevant au point de vue canonique et légal d'une autorité religieuse indépendante. Si l'État, de concert avec l'Église, est intervenu pour reconnaître l'existence juridique des fabriques, c'est parce qu'elles constituent les organes, par lesquels la société civile remplit ses obligations légales vis-à-vis du culte. Si le pouvoir laïque, ensemble avec l'autorité religieuse, contrôle et surveille la gestion de ces établissements, ce n'est que par mesure de protection en raison de leur utilité sociale et pour s'assurer de son obligation de suppléer à l'insuffisance de leurs revenus (1).

Nous concluons de ce qui précède que l'article 6

(1) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 967, p. 272 s.; *Collat. Brug.*, t. X, p. 37 ss. On ne peut donc dire d'une façon absolue que le droit du fabricien se rattache au droit général d'administrer, donné par la loi au pouvoir exécutif et qu'il s'exerce sous le contrôle et la surveillance de ce pouvoir. V. De Brabandere-Van Coillie, *l. c.* Le droit du fabricien, dont l'origine est due à l'action commune des deux autorités civile et religieuse, s'exerce sous leur contrôle et surveillance, à des titres différents et d'une façon également immédiate.

de la Constitution n'est nullement applicable aux fabriciens, à moins de s'en tenir à la théorie radicale du libéralisme et de faire fi du principe d'interprétation étroite admis en matière d'exclusions.

Aussi l'État n'intervient pas d'une façon exclusive dans la nomination des fabriciens; il ne leur impose pas l'obligation de prêter serment à leur entrée en fonction; et, de même que la loi exige d'eux la qualité de paroissien et non celle de domicilié dans la commune, ainsi requiert-elle de leur part la qualité de catholique et non celle de citoyen pour remplir des fonctions de zèle et de religion.

A. De Meester.

Psalmi Laudum in die Dominica (1).

Psalmus 99: Jubilate Deo.....

Auctor et Occasio. A quonam et quanam occasione psalmus fuerit scriptus, nos latet. Nulla hic adest, sive in textu originali sive in versionibus, indicatio in *inscriptione:* hic enim tantum indicatur: Psalmus in confessione, — seu melius, juxta LXX (εἰς ἐξομολόγησιν), *ad confessionem,* id est ad gratiarum actionem (2). — Quidam conjecturaliter putant auctorem fuisse pium aliquem levitam, qui, statim post ædificationem secundi templi, hunc psalmum conscripsit, qua invitationem ad populum Judaicum ut ad templum accederent ad Deum laudandum Ipsique gratias agendas. — Indubium est psalmum revera habere caracterem proprie liturgicum.

Argumentum Psalmi.

Duæ sunt partes hujus psalmi; singula pars parallelo modo duplici stropha constat (3); singula autem stropha tribus versibus.

In prima parte, *invitat* auctor populum Judaicum ad hoc ut ad templum Domini accedant, in eoque Dominum *laudent* canticis et sacrificiis *(Iª stropha).* — Et additur *ratio:* Jahve enim est Deus, est et Creator noster; nos vero populus peculiaris ipsius *(IIª stropha).*

---

(1) Hoc articulo tradimus interpretationem psalmorum 99, 62 et 66, eorum np. psalmorum quos in Laudibus recitare solemus, et quorum explicationem, ob distributionem materiæ concursus, conferentiis per modum quæstionum proponere non possumus. Eo scopo id præstamus ut interpretatio integræ illius horæ officii sit integra, utque proximo quodam fasciculo annotationes generales circa horum psalmorum usum liturgicum tradere valeamus.

(2) Sic enim habet textus originalis; — et revera ἐξομολόγησις in LXX et *confessio* in Vulgata frequenter, per hebraismum *gratiarum actionem* indicant. Cfr. ipsum psalmum nostrum, in v. 3. — Melius vertit Aquila: εἰς ευχαριστιαν.

(3) Fuerit forte primitus psalmus choralis.

In altera parte, parallelo modo, *invitat* auctor populum ut ad templum accedant, ad *gratias agendas* Domino, canticis et sacrificiis *(III^a stropha)*. — Et additur *ratio:* Quia bonus est Dominus, et misericors, et fidelis *(IV^a stropha)*.

Textus psalmi juxta textum qui videtur fuisse originalis sic describi et strophis et versibus distingui potest:

I^a stropha.

1. Jubilate Domino, omnis terra,
servite Domino in lætitia,
introite coram Ipso cum exsultatione.

II^a stropha.

2. Scitote (enim) quia Dominus ipse (est) Deus,
Ipse fecit nos, et nos ipsius (sumus),
(sumus np.) populus ejus et oves pascuæ ejus.

III^a stropha.

3. Introite portas (id est: templum) ejus cum gratiarum actione,
(introite) atria (iterum: templum) ejus cum laude,
gratias agite illi, laudate nomen ejus.

IV^a stropha.

4. Quoniam bonus est Dominus,
in æternum misericordia ejus,
et usque in generationem et generationem fidelitas ejus.

Adnotationes.

1. *Omnis terra* intelligitur *populus Judaicus:* hic enim solus invitatur ut ad templum accedat, et de ipso solo valet v. 2^c. — *Servite* Domino, designat *cultum* Domino exhibendum, potissimum per munera et sacrificia. — *Coram Ipso* est formula frequenter usurpata pro: *in templo:* hic enim Jahve peculiari præsentia habitabat.

2. *Scitote*, non de scientia speculativa dicitur, sed de agnitione practica: Agnoscite, vestro modo agendi, canticis np. et muneribus, Dominum vestrum, Jahve, ut Deum verum et unicum. — *Et nos ipsius sumus.* Textus hebraicus

massoreticus juxta *Kethib* (1) habet: *velo'*, *et non:* et hanc lectionem secuti sunt LXX et Vulgata, verteruntque: et non ipsi nos, scil. Deus fecit nos, et nos ipsi non fecimus nos ipsos. — At juxta *Qerê* habet *velô*, quod significat: *et ipsi:* hanc lectionem secuti sunt Aquila in sua versione græca et Hieronymus, in suo Psalterio secundum hebraicam veritatem, eamque referunt complures manuscripti. — Multo melior apparet hæc altera lectio, eamque in textu supra dato secuti sumus: et nos *ipsius* sumus: revera sensus v. 2[b] sic fit omnino obvius: Dominus fecit nos — et ideo — nos sumus ipsius, proprietas ipsius; item bene sequitur v. 2[c], tanquam explicatio horum verborum: *Sumus populus ejus et oves pascuæ ejus.* — Circa sensum hujus dicti, vide supra, p. 621.

3. *Portas* et *atria* Jahve per synecdochen ponuntur, qua partes pro toto, et *templum* designant.

4. *In generationem et generationem:* hebraismus valde frequens, ad designandum *omnes* generationes; *in æternum.*

Psalmus 62: Deus, Deus Meus.....

Auctor hujus Psalmi, in inscriptione, indicatur *David*, — et in hoc conveniunt versiones antiquæ cum textu hebraico. In eadem inscriptione exhibetur compositus fuisse occasione commorationis David in deserto Idumææ, ut habet textus LXX et Vulgatæ, vel potius, ut habet textus hebraicus, in deserto Judæ.

Occasione sua Psalmus refertur ad tempus quo David, fugiens coram Absalom (ita juxta recentiores; — juxta antiquos vero: coram Saul), in desertum exierat, et proximus ruinæ suæ, memor auxilii quod olim a Deo accepit, clamat ad Deum.

---

(1) Massoretæ, in textu hebraico quem paraverunt sæc. VI et sqq. post Christum, non raro præter lectionem aliquam quam scribunt in textu (quam vocant *kethib*, id est *scriptum*), in margine referunt aliam lectionem (quam vocant *qerê*, id est *legendum*), sic indicando hanc aliam lectionem sibi meliorem visam esse præ altera, imo eam loco alterius legendam esse. Sic, in casu, *scribunt* in textu *velo'* (en *scriptum*, *kethîb*), et in margine notant *legendum* esse: *velô* (en *legendum* seu *qerê*).

Argumentum Psalmi proinde huc reduci potest:

Ad Te, Deus meus et auxiliator meus, totis viribus animæ et corporis anhelo, in hac terra deserta *(Iª stropha)*. (Revocans in memoriam tempus præteritum:) Eodem ardore et desiderio olim ad sanctuarium tuum accessi ad auxilium potentiæ tuæ gloriosæ experiendum: Gratia enim et benevolentia tua pretiosior est mihi quam ipsa vita *(IIª stropha)*. (Et jam in futurum prospiciens:) Eodem ardore benedicam Te per totam vitam meam, et in laude nominis tui manus meas ad te attollam. Dulce est animæ meæ et suave, sicut cibus optimus, laudare te, et canticis jubilantibus laudat te os meum *(IIIª stropha)*. Memor sum tui, per vigilias noctis, qui es adjutor meus, et sub cujus protectione exulto *(IVª stropha)*. (Jam prospiciens ad periculum in quo versatur et ad hostes quibus circumdatur:) Tibi ego adhæreo, et tu me tueris; illi vero qui quærunt me interficere, peribunt *(Vª stropha)*; ipsi morte violenta et turpissima peribunt, ego vero cum omnibus tuis fidelibus cultoribus, de protectione tua et de punitione inimicorum, gaudebimus *(VIª stropha)*.

Textus Psalmi sic videtur posse versibus et strophis distingui.

Iª stropha.

2. Deus, Deus meus (es) tu; a prima luce requiro te;
   sitit in te anima mea,
   languescit ad te caro mea,
3. in hac terra sicca et arida et inaquosa.

IIª stropha.

   Sic (eodem ardore, olim) in sanctuario contemplabar te
   ut viderem (experirer) virtutem tuam et gloriam tuam.
4. Quia melior est misericordia (gratia) tua magis quam vita,
   Ideo labia mea laudant te.

III^a stropha.

5. Sic (eodem ardore, in posterum) benedicam te in (tota) vita mea,
(et) in nomine tuo levabo manus meas.
6. Sicut adipe et pinguedine repletur anima mea,
et labiis exultationis laudat (te) os meum.

IV^a stropha.

7. Si memor sum tui super strato meo,
in vigiliis nocturnis meditor de te:
8. Quia tu es adjutor meus,
et in umbra alarum tuarum exulto.

V^a stropha.

9. Adhæret anima mea ad te,
me sustentat dextera tua;
10. Ipsi vero (inimici mei, qui) ad ruinam quærunt animam meam,
introibunt (ipsi) in profunda terræ (= peribunt);

VI^a stropha.

11. Tradentur aciei gladii,
partes (præda) vulpium erunt.
12. Rex vero (Ego, David) lætabitur in Deo, (et)
gloriabuntur omnes qui jurant per eum (per Deum),
Quia obturabitur os loquentium mendacium.

Annotationes.

2. *Anima* et *caro* ponuntur pro toto homine: *totis viribus*. — *In hac terra...*: triplici modo legunt auctores: Sitio ad te *in* hac terra deserti: *b^e'èrèts* (ut habet textus massoreticus); vel: Sitio ad te, *sicut* terra arida (sitit ad pluviam): loco *b^e* legunt *k^e*, quæ confusio facile fieri potuit; vel: Sitio ad te, *sicut in* terra arida (sitit ad aquam sitiens): supplent *k^e*. — *Languescit*, hebr. *kàmàh*, quod LXX legerunt: *kammá(h)* et verterunt ποσαπλῶς (quoties).

5. 2^m membrum hujus v., ob parallelismum cum 1° membro, non videtur agere de invocatione nominis divini, sed de laude ipsius: dum nomen tuum laudo, levabo manus meas.

6. *Adeps et pinguedo* significant id quod in aliquo genere est

optimum. Unde sensus est: Dulce est animæ meæ et suave, laudare nomen tuum.

7. *In vigiliis,* i. e. in temporibus seu partibus in quibus nox dividebatur.

8. *In umbra alarum tuarum*, i. e. sub protectione tua.

10. *Ad ruinam* quærunt animam meam. — Vulg. vertit: *in vanum,* juxta LXX: εἰς μάτην. — Textus hebr. habet *lesoah,* ad ruinam, ad perniciem: quod potest intelligi, sensu quem in argumento psalmi indicavimus: ad ruinam *meam:* id est: quærunt me interficere (ita vertit S. Hieronymus); vel, cum plerisque auctoribus: ad ruinam *suam.* In utraque interpretatione servatur parallelismus inter duo membra v. 10, in prima, parallelismus antitheticus, in altera synonimicus. Primam præferimus, quum alteram intendens Psalmista debuisset addere suffixam: *suam.*

11. Peribunt morte *violenta*, in ore gladii, et *ignominiosa*, nam eorum cadavera relinquentur quin inhumentur, et a feris (proprie: chacals) devorabuntur.

12. *Laudabuntur*, quod refert Vulgata, quasi forma media verbi intelligendum est: laudabunt, *gloriabuntur.* — *Qui jurant per eum,* id est, juxta alios: per David, vel melius juxta alios: per Deum; designantur proinde omnes qui Deo fideles manent. — *Os loquentium mendacium,* alludit vel ad mendacia calumniosa quæ inimici David contra ipsum spargebant, — vel melius forte, per hebraismum valde frequentem quo mendacium sumitur pro peccato in genere, designat omnes qui male agunt sive adversus David (adeoque *inimicos David*), sive adversus Deum (adeoque: *peccatores*). In hoc ultimo sensu habetur parallelismus cum membro præcedente: omnes qui jurant per Deum, seu justi.

Psalmus 66: Deus misereatur nostri.....

Auctor Psalmi in inscriptione indicatur a Vulgata, post LXX, *David;* ast hæc attributio in textu hebr. deest. Quisnam revera scripserit, certo determinari nequit. — Reliqua quæ in inscriptione indicantur: *In finem, in Hymnis*, communius intelliguntur: *Præfect chori, cum fidibus:* forte, quasi indicatio musicalis data præfecto chori, circa instrumenta quæ comitarentur cantum. Res tamen minime liquet.

Occasio determinabitur ex dicendis de argumento Psalmi.

Argumentum Psalmi. — In sensu *litterali* videtur psalmus esse compositus qua gratiarum actio post messem quamdam abundantem (cfr. v. 7), vel ut canticum cantandum in festo Scenopegiæ, quando omnes fruges erant collectæ (1). Ast in sensu *figurato,* qui ab ipso psalmista omnino videtur intentus, refertur, qua psalmus messianicus, ad ipsum Christum: quasi oratio ut Deus mittat Salvatorem: Ipse enim est benedictio quam a Deo postulamus (2), facies et lumen (3) quod Deus super nos lucere faciat (v. 1); Ipse via qua Deus salvabit populum suum, et salus pro universa terra (v. 2); Ipse fructus quem producet terra (v. 7) (4); Ipse veniet gubernare omnes gentes, eritque regnum Ipsius universale (vv. 5, 6, 8).

Tres videntur distingui posse **strophæ**: In I^{a}, orat Psalmista ut mittat Deus Messiam, in benedictionem Judæis, et salutem quoque gentilibus (vv. 2-3). In II^{a}, invitat omnes populos ut Deo gratias et laudes deferant, propter mirabiles vias quibus Messias omnes populos gubernabit (vv. 4-5). In III^{a} iterat invitationem suam ex II^{a} stropha, et orationem ex I^{a}, de Salvatore futuro quem ut natum in terra a longe prospicit (5).

Textus Psalmi sic videtur posse versibus et strophis describi :

(1) In hunc sensum Ps. intelligit BEELEN; item VIGOUROUX, *La Sainte Bible polyglotte,* in h ps. « Après une grande sécheresse et une affreuse stérilité, vous avez donné la fécondité à nos champs ».

(2) Cfr. Jo. III, 16.

(3) Cfr. Luc. I, 30 ss.

(4) Cfr. Is. IV, 2; XLV, 8: Aperiatur terra et germinet Salvatorem.

(5) In his secuti sumus sensum *figuratum* et messianicum Psalmi. — Si sensum *litteralem* eligeres, sic strophas audire posses: In I^{a} orat Psalmista ut Deus benedicat populo Israel, et sic omnes populi misericordiam et bonitatem Dei erga populum suum agnoscant. In II^{a} invitat omnes populos ut Deo gratias agant propter providentiam qua gubernat mundum. In III^{a} tandem iterum invitat omnes populos ut Deo gratias agant eumque revereantur ob abundantes fructus terræ ab ipso concessos.

I^a stropha.

2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis,
lucere faciat vultum suum super nos;
3. Ut cognoscant in terra viam tuam,
in omnibus gentibus salutem tuam.

II^a stropha.

4. Confiteantur tibi (= laudent te) populi, Deus;
Confiteantur tibi populi omnes.
5. Lætentur et exultent gentes (= nationes),
quoniam gubernas populos in æquitate,
et gentes (= nationes) in terra dirigis.

III^a stropha.

6. Confiteantur tibi (= laudent te) populi, Deus,
confiteantur tibi populi omnes.
7. Terra dedit fructum suum.
Benedicit nos Deus, Deus noster,
8. Benedicet nos Deus,
et metuent (= reverebuntur) eum omnes fines terræ.

Annotationes.

2. *Lucere faciat vultum suum,* ob parallelismum cum primo membro, significat idem quod: *benedicat nobis.*

Et misereatur nostri, quod additur a Vulg., deest in t. hebr. Revera versum nimis longum efficeret, nec ad sensum requiritur. Probabilius huc irrepserit ex nota quadam marginali qua aliquis explicabat v. 2^b.

3. *Litt.:* Ut innotescat in terra via tua, in omnibus gentibus salus tua. — *Via* Dei intelligitur, non quæ ducit ad Deum, sed, ob parallelismum cum 3^b, via qua Deus salvat populum.

4. *Confiteatur,* per hebr. valde frequentem idem est quod: laudare et gratias agere.

7^b et 8^a sensu accomodatitio a Patribus intelligitur de mysterio SS. Trinitatis.

Nota. Verba hujus ps. intelligi possunt vel in sensu præsenti: Deus miseretur nostri...; vel in sensu optativo, ut in Vulgata; vel in sensu assertivo futuro: Deus miserebitur..., benedicet..., confitebuntur.

A. Vander Heeren.

MISCELLANEA.

MATRIMONIALIA.

I

Inter causas ob quas institui potest *separatio a toro et a cohabitatione* numeratur periculum animæ: quæ causa obtinet quotiescumque conjux a comparte provocatur ad grave peccatum, nec efficaciter provocationi illi sese subtrahere potest aliter quam per separationem tecti. Sponte autem menti occurrit practica applicatio, non semel jam proposita, pro casu *uxoris virum habentis onanistam:* utrum ex hoc capite legitima adsit ratio separationem instituendi.

Ad quod dubium solvendum sequentia proponuntur:

1° Si agitur de viro exercente onanismum *stricte dictum,* absque artificio scil. sed cum solo retractu, præpostera hæc agendi ratio viri de se non importat provocationem ad peccatum, cum mulier possit passive sese habere et absque piaculi reatu debitum reddere, imo et petere, positis ponendis.

Quodsi per accidens discrimen exinde oriatur pro ejus anima, quatenus meritò timeatur ne uxor, viri suasionibus et fallaciis illusa, marito assentiat ejusque nefariæ actioni formaliter cooperetur, nondum illicò ratio adesset recedendi a tori simul et tecti consortio, cum ad periculum removendum stricte sufficiat ab usu matrimonii abstinere et ad solam *separationem tori* procedere.

Natum est autem fieri ut ipsa separatio lecti novum periculum mulieri pariat spirituale, periculum nempe incontinentiæ, ex continuata cohabitatione cum viro sub eodem tecto, vel ut segregatio tori adeo ægre feratur a marito, ut ipsum vitæ consortum reddatur

intoleralibile mulieremque continuis gravaminibus exponat: tunc profectò non deerit causa legitima ulterius procedendi ad *separationem tecti.*

2° Si agatur de viro onanismum exercente *latè dictum,* quatenus soleat condomistice congredi, nec a prava sua praxi deterreri valeat, uxori prostat eo ipso causa juridica *torum* deserendi: non potest namque sine immediata participatione in peccato debitum reddere hujusmodi comparti, adeoque deberet ipsi resistere non secus ac puella quam invaderet stuprator, nec cedere posset nisi coram ipsa violentia; quod practice onus importaret æquo gravius.

Quodsi tori separatio inevitabilem reddat *separationem cohabitationis,* uti, attentis modò dictis, facile continget, ad hanc devenire non prohibetur miseranda uxor.

Pro coronide in memoriam revocetur, ad propositam nempe solutionem casus, si occurrat, non esse properandum a confessario, nisi præ oculis habita norma sequenti: nimirum separatio *tori*, utpote negotium forum internum non excedens, potest, extra interventum judicis ecclesiastici, privata auctoritate institui, ac privata auctoritate a confessario consuli et permitti; contrà separatio *a cohabitatione* pertinet ad forum externum, nec proinde ad eam procedere licet nisi de sententia judicis fori externi, secluso casu adulterii certi et notorii, expressa juris communis derogatione excepto. Confessarius igitur deberet pœnitentem remittere ad parochum ut ipse causam instruat et ad Ordinarium referat (1).

II

Notant passim Auctores ad validum matrimonium requiri quidem consensum internum; sed, ob proba-

(1) In jure diœcesano Brugensi cautum est ut nulli conjugum permittatur, cum proposito separationis, domum conjugalem deserere, *etiam in casu adulterii certi ac notorii,* nisi prævie consulto parocho.

tionis difficultatem, rarissimè contingere quod in foro externo admittatur fictionis existentia, et ex hoc capite nullitas declaretur matrimonii antea contracti.

Porro apud *Acta Apost. Sedis,* III, p. 525 ss., proponitur Causa *Massilien.*, die 1 Julii 1911, coram S. Rota soluta, in qua nullitas pronuntiatur matrimonii ex eo quod sponsus non verum matrimonium contrahere voluerit, sed artem tantùm callidissimam et sacrilegam adhibuerit ut dotem sponsæ sibi compararet: quod facta matrimonio prævia illudque subsequentia, qualia exhibent tabulæ processuales, luculentissime probant. In *Decisionis* tenore provocatur ad similem sententiam a S. Congr. Concilii latam, die 7 Martii 1885, in Causa *Parisien.,* in qua agebatur de quodam Americano « qui, ut pecuniæ summam, sibi a matre intuitu nuptiarum promissam, consequi posset, matrimonium quidem contraxit, sed ficte et simulatè » (1).

III

Quæstio de *domicilio,* quamvis, sub nova disciplina Decreti *Ne temere,* jam non referat pro *valore* matrimonii, servat nihilominus suum momentum respectu *licitæ* celebrationis nuptiarum; de regula namque generali, non licet parocho assistere matrimonio nupturientium, nisi horum alteruter domicilium retinuerit in parochia aut ibidem a mense degerit.

Nuperrime, coram S. Rota, die 15 Maii 1911 (2), digesta est illa quæstio juridica in ordine ad solutionem Causæ *Ravennaten.;* præ cæteris agitata est controversia circa domicilum *legale* seu domicilium *juris,* quod et *necessarium* vocant, contradistinctum a domicilio facti, quod domicilium personale seu liberum nuncupatur.

(1) *Acta S. Sedis,* XXIII, p. 14 ss.
(2) *Acta Apost. Sedis,* III, p. 483-496.

Difinitur *domicilium legale* « illud quod ex legis dispositione acquiri necesse est, aut ratione vinculi cum aliqua persona, aut ratione status... et acquiritur per voluntatem legislatoris, qui animum acquirentis domicilium necessarium, supplet vel exprimit in lege ». Ita filii-familias, ex legis dispositione, patris vel tutoris domicilium necessariò sortiuntur, donec sunt ætate minores.

Porro domicilium illud necessarium evadit liberum statim ac penes illos, qui legali domicilio alligantur, facultas competit a jure agnita illud domicilium relinquendi et aliud comparandi; illud autem servant deinceps qua domicilium liberum et personale, donec illi renuntiaverint; et ita filii-familias domicilium paternum, quod usque ad majorennitatem habent uti domicilium legale seu necessarium, inde a majorennitate retinent qua liberum et personale, etiamsi ibidem actu non degant, donec ipsi nuntium dederint.

Ad renuntiationem quid requiritur? Duplex eadem conditio exigitur quæ postulatur ad amittendum domicilium facti, seu liberum, quippe cui in omnibus æquiparatur domicilium legale, inde a momento quo renuntiatio jure fieri valet: recessus scil. requiritur cum animo non revertendi. Non sufficit absentia a loco domicilii, etiamsi per plures annos protracta, « modò absens non abierit consilio non revertendi, animumque redeundi retineat ». Qui animus, si de eo non constat expresse, deducendus est ex variis adjunctis illum comprobantibus.

Monet autem *Decisio,* l. c., p. 495, dictam intentionem domicilium definitive deserendi absque redeundi consilio, non contineri in hoc solo facto quod sponsus vel sponsa a loco domicilii recedens, alium locum petat *unicè intuitu matrimonii* et sub conditione ibidem nuptias celebrandi (1), quamvis intendat ibidem post nuptias

(1) Dicitur: « *unicè intuitu matrimonii* », quia doctrina non applicatur

celebratas permanenter versari; sic nempe non amittitur primum domicilium nisi quando per matrimonium novum acquiritur.

Hanc juris interpretationem jam proposuimus apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 356 s., necnon tom. XII, p. 157, provocando ad adagium juris Romani, a quo jus canonicum notionem domicilii assumpsisse docemur (l. c., p. 486): « *ea, quæ desponsa est, ante contractas nuptias suum domicilium non mutat* » (1); provocando etiam ad sententiam P. WERNZ, in *Voto* ad Causam *Parisien.*, 20 Aug. 1898. Cf. etiam *Theol. Prakt. Quartalschr.*, 1901, p. 129 s.; *Pastor Bonus*, (1907) t. XIX, p. 204 ss.; BASSIBEY, *De la clandestinité dans le mariage*, Paris, 1904, p. 135 s.

IV

Notum est *catholicos Orientales*, illos scil. qui pertinent *ad ritus orientales*, sive in Oriente degunt sive in partibus Occidentis morantur, exemptos esse, donec aliter S. Sedi visum fuerit, a Decreto *Ne temere;* ita declaravit S. Congr. Concilii, die 1ª Februarii 1908, ad 1ᵐ, conformiter ad normam generalem quæ viget pro Orientalibus, quatenus in rebus disciplinaribus non ligantur Constitutionibus Pontificiis, nisi specialis mentio sit facta de disciplinæ extensione ad illos. Porro sibi reservat S. Sedes judicium de opportunitate novum jus matrimoniale, in Decreto *Ne temere* sancitum, Orientalibus applicandi in posterum; quam applicationem faciendam jam censuit respectu *Ruthenorum* pertinentium ad dioeceses provinciæ Galacianæ (Leopolitanam, Premistensem et Stanislaopolitanam), non autem respectu aliorum Ruthenorum, signanter Hungariæ. Ita disponit

casui nupturientis qui prævie jam accessit ad locum futuri matrimonii, ibique ingressus est ac definitive occupat domum, nuptiarum intuitu licet locatam.

(1) L. 32, *Dig.*, L. 1.

decretum S. C. de Prop. Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, die 5 Maii 1911, cujus decreti tenorem exhibet *Theol. Prakt. Quartalschrift,* 1911, p. 905, collatis p. 365 ss.

V

Quando dispensatio petitur a S. Sede super impedimento consanguinitatis, affinitatis aut publicæ honestatis, indicandus est *gradus*. Quæ gradùs descriptio urget ad *valorem,* ita ut dispensationis rescriptum irritetur, quotiescumque gradus remotior exprimitur pro proximiori, idque etiam quando constat errorem procedere ab incuria amanuensis; disputatur autem utrum rescriptum vitietur etiam in casu quo loco remotioris exprimitur in tenore gradus proximior, ac in utramque partem adducuntur rationis momenta; sententiæ tamen affirmativæ præferendæ favet decretum S. C. de P. Fide, 6 Febr. 1896 (*Collectanea,* n. 1238), statuentis: « Per facultatem dispensandi sur impedimento 2i mixti cum 1o, haud tributum indultum dispensandi quoque quando 1s cum tertio mixtus deprehendatur ».

Dicta severior sententia nuper confirmationem est nacta in solutione casus practici, in diœcesi Brugensi, sub fine anni currentis. Officialis Brugensis, petita dispensatione super consanguinitate in 2o gradu mixto cum tertio, a S. Congregatione de Sacramentis, die 26 Septembris, rescriptum accepit dispensationis in *secundo* gradu æquali; error autem evidenter irrepserat ex incuria amanuensium Romanorum, siquidem inscriptio et tenor rescripti conveniebant dispensationi pro gradu minori, dum 2s gradus exigit rescriptum pro gradu majori (1). Jamvero, re Romam delata, vitium sanavit S. Sedes, *novam concidendo dispensationem*, die 7 Octobris subsequentis.

(1) Cf. Tract. *de Sponsalibus et Matrimonio,* n. 246, sub 5o.

Porro notetur quod, quantumvis sententia severior exinde confirmetur, ideo suam probabilitatem non amittit solutio benignior, cum soleat S. Sedes viam tutiorem sequi, dispensando vel sanando, si casus ferat, ad cautelam. Manet ergo probabile, idque probabilitate juris, dispensationis rescriptum cum descripto errore elargitum esse validum, et impedimentum sic dispensatum esse revera ablatum; unde, in casu simili cum nostro modò proposito, si ob augustias temporis recursus ad S. Sedem esset impossibilis, et si ex alia parte instarent nuptiæ paratæ, posset applicari adagium : in dubio juris (ecclesiastici) Ecclesiam supplere, ac posset ad matrimonium procedi absque prævia dispensationis sanatione.

A. De Smet.

MOTU PROPRIO

De trahentibus clericos ad tribunalia judicum laicorum (1).

Quantavis diligentia adhibeatur in condendis legibus, sæpe non licet dubitationem præcaveri omnem, quæ deinceps ex earum callida interpretatione queat exsistere. Aliquando autem jurisperitorum, qui ad rimandam naturam vimque legis accesserint, tam diversæ inter se sunt sententiæ, ut quid sit lege constitutum, non aliter constare, nisi per authenticam declarationem, possit.

Id quod videmus contigisse, postquam Constitutio *Apostolicæ Sedis* promulgata est, qua Censuræ latæ sententiæ limitantur. Etenim inter scriptores, qui in eam Constitutionem commentaria confecerunt, magna orta est de ipsius Capite VII (2) controversia (3); utrum verbo *Cogentes* legislatores personæque publicæ tantummodo, an etiam homines privati significentur, qui judicem laicum, ad eum provocando actionemve instituendo, cogant, ut ad suum tribunal clericum trahat.

Quid valeret quidem hoc Caput, semel atque iterum Congregatio Sancti Officii declaravit (4). — Nunc vero in hac temporum iniquitate, cum ecclesiasticæ immunitatis adeo nulla solet haberi ratio, ut non modo Clerici et Presbyteri,

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1911, t. III, p. 555-556.

(2) En textus Const. *Apostolicæ Sedis:* « Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, præter canonicas dispositiones ».

(3) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 556 et 1446.

(4) Declaravit caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates, qui lege aut mandato cogunt judices; non vero privatos homines attrahentes personas ecclesiasticas ad forum sæculare, licet violent privilegium fori, si hoc attentent sine licentia Episcopi, si ageretur de clerico; sine venia S. Sedis, si ageretur de episcopo. Quos violatores, præsertim clericos, plectere poterat Episcopus pœnis et censuris ferendæ sententiæ. Cf. Santi-Leitner, *Prælectiones juris canonici*, t. II, p. 31 s., Ratisbonæ, 1899; Köck, *Die Kirchlichen Censuren latæ sententiæ*, p. 24 s., Graz, 1902.

sed Episcopi etiam ipsique S. R. E. Cardinales in judicium laicorum deducantur, omnino res postulat a Nobis, ut quos a tam sacrilego facinore non deterret culpæ gravitas, eosdem pœnæ severitate in officio contineamus. Itaque hoc Nos Motu Proprio statuimus atque edicimus: quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminæve, personas quasvis ecclesiasticas (1), sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticæ permissu (2), ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in Excommunicationem latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere (3).

Quod autem his litteris sancitum est, firmum ratumque esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die IX mensis Octobris MCMXI, Pontificatus Nostro anno nono.

PIUS PP. X.

(1) Omnes qui gaudent privilegio fori: clerici etiam minores, utriusque sexus regulares, eorumque conversi et novitii.

(2) Venia S. Sedis si agatur de episcopo, licentia vero Ordinarii si agatur de clerico inferiore episcopo.

(3) Olim, uti diximus, pœnis arbitrariis ferendæ sententiæ animadverti poterat in violatores privilegii fori; hi vero jam plectuntur excommunicatione l. s. speciali modo Romano Pontifici reservata.

Notæ bibliographicæ

De Leersnyder (R.): *Socialisme* (traduction de la brochure anglaise de W. Poland, S. J.). Courtrai, Vermaut.

Cette petite brochure de 42 pages, écrite au point de vue purement économique, fait connaître d'abord à ses lecteurs le principe collectiviste du parti ouvrier, d'après diverses déclarations de programmes socialistes élaborés en Allemagne et en Amérique; ensuite elle donne une explication de la dite théorie; et enfin, en supposant l'État socialiste réalisé, elle présente un exposé de la théorie appliquée, c'est-à-dire une démonstration de ses conséquences néfastes ou pour mieux dire de son impossibilité pratique.

Il y a de bonnes choses à glaner dans cet opuscule, tout écourté qu'il soit; seulement la lecture en est un peu ardue par suite du manque de clarté de certains termes; et puis on a quelque peine à saisir l'ordre logique, sinon dans les grandes lignes, au moins dans les subdivisions et dans la succession des énoncés et des explications.

E. Hosten.

L'Office des morts selon l'édition vaticane. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1911, in-18, VI-208 p. Fr. 1,00.

Édition de poche fort commode; texte fort; dans les psaumes les syllabes qui doivent s'adapter à la mélodie des médiantes ou des finales sont imprimées en caractères gras et italiques; les 9 leçons des matines sont notées en entier.

On se demande en vertu de quelle déclaration ou de quelle interprétation, les éditeurs se sont permis de noter, *ad libitum* et au bas des pages, les cadences rompues des psaumes et les cadences monosyllabiques ou hébraïques des leçons. Est-ce l'effet d'une erreur d'interprétation ou d'une opposition systématique à l'Édition Vaticane?

A. D. M.

P. fr. Ildefonsus, M.-Cap., *De Priester en de drankbestrijding.* Sobriëtas, Maastricht, 1911. In-8, 20 bl. Fr. 0,20.

